



15
A.
14
BIBLIOTE
CENTRA

15.4.146
146
15 F. 11

XXXV

XXXIX

il primo è doppio

L'altro te vedrai [illegible]

SANCTAE

HILDEGARDIS

ABBATISSAE IN MONTE S. ROBERTI APVD NAAM FLVVIVM, PROPE BINGAM, SANCTISSImæ virginis & prophetiſſæ,

EPISTOLARVM LIBER:

Continens varias Epiſtolas ſummorum Pontificum, Imperatorum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Ducum, Principum, & aliorum plurimorum vtriuſq; ſecularis & Eccleſiaſtici ſtatûs Magnatum ad S. HILDEGARDIM, & eiuſdem ſanctas ad eaſdem reſponſiones:

ITEM EIVSDEM S. HILDEGARDIS alia quædam, quæ ſequens pagella indicabit,

Ad confirmandam & ſtabiliendam Catholicam noſtram fidem & religionem Chriſtianam, moresq; in ECCLESIA inſtruendos & emendandos, apprimè vtilia:

Nunc primùm in lucem edita.

PSAL. 93.

Beatus homo quem tu erudiêris Domine, & de lege tua docueris eum.

.1667.

Coloniæ apud Hæredes Iohannis Quentel & Geruuinum Calenium, Anno M. D. LXVI.

Cum gratia & priuilegio Imperatoriæ Maieſt. ad Decennium.

54.

Ad Clerum Moguntineñ	pag.117
Ad Clerum Colonieñ	157
Ad Clerum Treuireñ	172
Ad Griſeos monachos	182
Quæſtionum 38.ſolutiones	206
Regulæ S.Benedicti explicatio	232
Ad ſorores ſuas explicatio ſymboli S.Athanaſij	248
Liber primus vitæ S.Hildegardis	276
Liber ſecundus	286
Liber tertius	314

Iohelis & Actorum 2.

Effundam de Spiritu meo ſuper om̃em carnem: & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ: Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri Viſiones videbunt. Sed & ſuper ſeruos meos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, EIDEMQVE CLARISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. DANIELI, MOGVNTINO ARchiepiſcopo, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario & Principi Electori, Domino ſuo colendiſſimo &c.

TOtum mundum in maligno poſitum eſſe, Reuerendiſſime in Chriſto pater ac Domine, diuus Iohannes apoſtolus iã olìm ſcripſit ac monuit. Quod ſi vnquàm obtinuit, certè hac noſtra periculoſiſſima tempeſtate quàm veriſſimũ eſſe nemo eſt niſì planè cæcus ſit, qui non videat: Tã multis (proh dolor) in fide errantibus, & in tot hęreſum & ſectarum diſcrimina diſtractis, multis in fide nutantibus & vacillantibus: alijs in fide Catholica quidem perſiſtentibus, ſed in moribus & vita à vero tramite, in vtroq; Eccleſiaſtico pariter & ſeculari ſtatu enormiter deuiantibus. Vndè ad obuiandum eiuſmodi malis, nihil præſentius eſſe palàm eſt, quàm ea in lucẽ proferre, quę ad firmãdum Catholicam noſtram & orthodoxã fidem & religionẽ Chriſtianã, & mores

in Eccleſia inſtruendos & emēdandos pertinent. Eiuſmodi aūt eſſe hæc B.Hildegardis opera, ſatìs ex ijſdē relucet. Quæ ego nuper manibus proprijs ex Archetypo, quod in monaſterio in Mōte S.Roberti ꝓpe Pingam ſanctè adſeruatur, deſcripſi: Eademq́; pietatis tantùm zelo ductus, in lucē emittere & Reipub. Chriſtianę cōmunicare operępreciū duxi, ſperans indè non paruū fructum ad Rēpub. Chriſtianā rediturum. Patronum aūt huius operis quęrēs, non putaui cuiq̄ rectiùs dedicari poſſe, q̄ R. C. T. cùm quòd eidē R.C.T. quaſi debeatur, quòd in ſuo dominio & Diœceſi Moguntineñ beatā Hildegardim cum ſuis monumētis habeat, theſaurū certè Eccleſię precioſiſſimū, tum verò, quòd R.C.T. ſingularē defenſorē & adſertorē Catholicę & orthodoxæ religionis noſtrę Chriſtianę nemo ſit q̃ neſciat. Obnixè orās, vt R.C.T. hunc meū conatū boni cōſulere, & hęc B.Hildegardis opera, & me vnà in Clientelā ſuā & patrociniū clemēter recipere velit. Referet is, qui pietatis officia multo cū fœnore remetiri ſolet Deus. De laudibus B. Hildegardis & eiuſdē operū, nō eſt q̃ nos multis agamus, poſt Iohā. Thaulerū, Trithemium, Nauclerum, & alios qui vitam eiuſdē ad longum deſcripſerunt. Benè valeat R. C. Tua, cui me totum conſecro dedicoque.

R. C. T.
humilimus cliens
Iuſtus Blanckvualt presbyter.

VITA

VITA HILDEGARDIS EX TRITTHEMIO.

Hildegardis abbatiſſa cœnobij ſancti Ruperti confeſſoris, in oppoſito Bingenſis oppidi, ex altera parte Naũ fluuij, Moguntinæ diœceſis, ordinis diui patris Benedicti, natiõe Teutonica, ex comitatu Spanheimenſi, diſcipula quondàm beatæ Guttæ (✱ forſan Iuttæ, aut Iudithæ) virginis, ſororis Megenhardi Comitis de Spanheim, fundatoris noſtri, virgo ſanctiſſimæ cõuerſationis, & à pueritia ſua diuinis reuelatiõibus illuſtrata, cuius vita multis miraculis comprobata, odorem ſuæ ſanctitatis in longinquas diſperſit regiones, adeò vt Eugenius, Anaſtaſius quartus, Hadrianus quartus, Alexander tertius, Romani pontifices, ſcriptis eam crebrius viſitantes, ſe & Romanam Eccleſiam illius orationibus commendarent. Sed & Eugenius tertius in concilio Treuirenſi, ſancto Bernardo præſente, ſcripta & opuſcula eius coram omnibus lecta, publicè approbauit: eamq́ue, vt cœpto perſtaret in propoſito, literis denuò roborauit. Omnia autem quæ ſcripſit, ex reuelatione diuina didicit. E quibus iſta ſunt:

In Regulam S. Benedicti	*lib.* I.	*Et ego paupercula fœ.*
Triginta quæſtionum	*lib.* I.	*Charitas quæ cum abſtin*
Vita S. Ruperti confeſſoris	*lib.* I.	*Nam vt in vera viſione*
Vita S. Dyſibodi Epiſcopi	*lib.* I.	*In myſtica viſione &c.*
Homiliæ 58. in Euangelijs	*lib.* I.	*Homo quidam qui h*
De Sacramento altaris	*lib.* I.	*In viſione quæ animæ*
✱ Sciuias grande volumen	*lib.* I.	*Et factum eſt in anno no*
Vitæ meritorum	*lib.* 3.	
Simplicis medicinæ	*lib.* I.	
Compoſitæ medicinæ	*lib.* I.	
Diuinorum operum	*lib.* I.	*Et factum eſt in 6. anno*
Ad Colonienſes	*lib.* I.	*Qui erat, & qui eſt, &*
Ad Treuirenſes	*lib.* I.	*Ego paupercula form.*
Exhortatorium ſecularium	*lib.* I.	*O turbæ hominum naſcẽ*
Ad ſorores ſuas	*lib.* I.	*O filiæ quæ veſtigia*

Ad Monachos griſeos	*lib.1.*	*Ego paupercula in le*
Carmina diuerſa	*lib.1.*	*Qui ſunt hi qui vt nub*
Et ſancto Bernardo	*epi.1.*	*In ſpiritu myſteriorum*
Epiſtolarum ad diuerſos 135.	*lib.1.*	*O mitis pater, ego paup*

Scripſit & alia. In omnibus autem opuſculis ſuis catholica doctrina relucet, quæ vel fidem confirmet, vel inſtruat mores, nec quicquam dixit aut ſcripſit vnquàm, quod in dubium poßit vocari. Et cùm Latini ſermonis eſſet ignara, tamen reuelante ſpiritu Dei, omnia Latinè & cõgruè dictauit, notarijs excipientibus. Vidimus multas epiſtolas Conradi tertij & Frederici primi imperatorum, & epiſcoporum Moguntinenſis, Treuirenſis, Colonienſis, Bremenſis, Hieroſolymitani, & aliorum penè innumerabilium, qui ex diuerſis mundi regionibus, fama ſanctitatis & reuelationum eius prouocati, ſe ſcriptis commendabant orationibus ipſius, & diuerſarum quæſtionum ſolutiones quærebant. Moritur ſub Frederico imperatore primo, Anno Domini 1180. ætatis ſuæ 82. indictione tertiadecima, decimoquinto Calendas Octobris,

VATICINIA QVAEDAM SIVE PROphetiæ ſublimis ac illuminati theologi D. Ioannis Thauleri, in vetuſtis codicibus repertæ.

QVæſo mortales omnes, ex animo & multo cum timore atq; tremore magnam Dei iram, & iam olìm meritas Diuinæ iuſtitiæ plagas attẽdite, quæ licèt hoc tempore plùs quàm in quadringentis retrò annis mundo grauiter immineant, valdè tamen metuendum eſt, multò incompræhenſibiliùs, inſuperabiliùs, grauiusq; etiã ſuprà quàm æſtimari queat, adhuc irruituras. Tam enim graues ac magnæ erunt calamitates illæ, vt quotquot tunc ſupereſſe contigerit, optaturi ſint atq; dicturi: O vtinàm nos plagæ priores abſumpſiſſent: nam tunc fortè vel animarum noſtrarum iacturam nullam feciſſemus: nunc verò cùm corporis, tum animæ grande periculum ſuſtinemus. Porrò ſigna, quæ terribiles has magnasq; plagas portendent, partìm ſunt breues iſtæ atq; diſciſſæ, & in varias ſubindè formas abominabili quadam metamorphoſi nunc quidẽ ſic, nunc verò aliter commutatæ veſtes, cum inſolentibus ac laſciuis geſtibus. Quod totum haud dubiè ex malignorũ ſpirituũ ſuggeſtione, & in corda hominum inſtillatiõe procedit. Sicut & ſancta Hildegardis ante annos ſer-

Quid ſi ridiculã hodiè veſtit⁹ diuerſitatẽ videat?

fermè ducentos apertiſſimè prædixit, & prædicēdo mundū præmonere ſtu-
duit. Et hæc quidem, necnon & pleraq; alia ſigna, iam annis decem euidē-
ter apparuêre. Cuiuſmodi verò plagæ ſupradictæ futuræ ſint, eadem ſancta
Hildegardis multa cum diſtinctione deſcripſit. Nec tamen has aliquis
vulgò edicere audet, eô quòd ipſas minimè capiat, & metuendum ſit, hui-
uſmodi publicatione comminatas plagas accelerari magìs debere, quàm
impediri. Verùm vt pijs quibuſq; perſpicuū ac notum fiat, quomodò ſeſe ha
rum calamitatū temporibus habere ac gerere debeant, lubet eas hîc ſub
parabolis ac ſimilitudinibus ob oculos ponere. Concernent quippe ſacro-
ſanctam fidem noſtram, & ſacramenta, & omnes Eccleſiaſticas atq; Chri-
ſtianas conſtitutiones. Vndè in tantam homines fluctuationem ac errorem
præcipites ibunt, vt cuinā ceu catholicæ veritatis aſſertori, credere tutò
poſſint atq; confidere, prorsùs ſint ignoraturi. Et hoc quidem idcircò diui-
na permittet iuſtitia, quòd nos ex multo iam tempore ità negligēter, immò
& vitiosè viuendo, ipſam fidem moribus ac vita impugnauimus: ac di-
gniſſimū Chriſti corpus vnà cum alijs Eccleſiæ ſacramentis, cum omni de-
niq; ſanctimonia Chriſtiana, tam planè irreuerenter, indignè, impurè, in-
fructuosè tractare ac ſuſcipere auſi ſumus. Magna igitur tunc pericula
contaminatis, vitioſis, & diuinam inſpirationē contemnentibus immine- Ezech. 9.
bunt. Quotquot verò ſignū Thau frontibus ſuis impreſſum habuerint, i.
oēs qui per fidem Chriſti viuam, in quodā melioris vitæ initio atq; profectu
inuenti fuerint, ab his plagis immunes erūt. Id quod beatus Ioannes Apo-
calypſeos capite nono has plagas ſub obſcuris quidē verbis, ſed à B. Hilde-
garde luce clariùs detectas, recenſens teſtatur. Cæterùm fidelis ac ſaluber-
rimi conſilij oīmibus, qui periculoſis illis temporibus victuri ſunt, nobis per
B. Hildegardē reuelati, iſta ſumma & intentio eſt: Vt videlicet ſeneſcenti,
ac propemodùm effœtę matri ſuæ Eccleſię ſanctę, animo reſignato ac ꝓpen-
ſiſſima voluntate, patienter atq; humiliter condeſcendētes, oībus ordinati-
onibus atq; doctrinis illius, q̄ nobis hucuſq; palàm in ſuggeſtu à concionato-
ribus proponuntur, ſpontanea ac obedienti ſubiectione obtemperent: nec
vlli alteri ꝑſuaſioni fidem adhibeant, etiamſi vel angelus de cęlo, pręter id
quod euāgelizatum eſt, annunciet ac perſuadere moliatur, ſicut & à Dn̄o Gal. 1.
noſtro Ieſu Chriſto diligenter p̄moniti ſumus, cùm diceret: Super cathedrā Matth. 23.
Moſis ſederunt ſcribæ & phariſæi. Oīa ergò quęcunq; dixerint vobis, ſer-
uate & facite: ſecūdùm opera verò eorū nolite fecêre. Item beatus Paulus:
Sed licèt nos, inquit, aut angelus de cælo euāgelizet vobis, p̄terquàm quod Galat. 1.
euan-

euangelizauimus vobis, anathema ſit. Immenſa illa ac inexhauſta Dei mi-
ſericordia, dignetur nos in viua ac vera Chriſti fide ſemper ſtabiles cõſer-
uare. Scriptum eſt prædictum vaticinium in eo libro, vndè huc tranſlatũ
eſt, Anno à Chriſto nato milleſimo trecenteſimo quadrageſimooctauo.

Nunc igitur, dilectiſsimi, certi eſtote, quòd niſi in melius vitam noſtram
cõmutare ſtudeamus, grauiter nobis plagæ prædictæ immineant, ità quòd
tanta erit afflictio, vt iudicium extremũ nobis ad memoriam ſit reuocatu-
Tempora hîc noſtra acu tãguntur. ra. Quæ enim nunc pace multa gaudere videntur, in maxima tunc vexa-
tione erunt, & Dei verba peruertentur, cultusq́; diuinus penè in obliuionẽ
ibit: & vnus huc, alius illuc properabit: nec facilè ſciri poterit, quorsùm
hæc tandèm euaſura ſint. Interìm tamen fideliſsimus Deus nidulum ali-
quẽ habebit, vbì ſuos conſeruet protegatq́;. Diſcat ergò quiſq; pati, & abne-
gare ſeipſum: auſcultans intùs vocem patris ſui, quid ille in ſe loquatur: ac
forìs matris ſuæ, i. Eccleſiæ ſanctæ. Horum quippe vox vna eſt. Quarè qui
has voces non didicerit agnoſcere, in æternum pereat neceſſè eſt. Exurget
enim vox fallax, quæ omnes huic paternæ voci auſcultare nolẽtes, in erro-
rem abducet. Sonat autem nobis paterna vox per vocem ſanctæ matris
Eccleſiæ in omnibus doctrinis, præceptis atq; conſilijs illius. Væ proindè ac
iterùm væ omnibus, voci huic obtemperare nolentibus, vt ſeipſos in verita-
te paruipendant, & ſtudeant eſſe humiles. His enim teterrimæ deſperatio-
nis vox inſpirabitur, dicẽtibus pſeudodoctoribus falſum eſſe atq; confictũ,
quicquid vnquàm priſcæ veritatis doctores hîc edocuêre. Quicunq; igitur
in fundo ſuo humilitate deſtituti fuerint, & pro ſuo ipſorum ſenſu ac pro-
prio beneplacito in ſuis illis vafris ac ſubtilibus conceptibus perdurauе-
rint, hi omnes in tantos abducẽtur errores, vt cunctos Eccleſiæ ritus ac in-
ſtituta, fallacia & à veritate aliena ſint credituri. Quod profectò ex ipſo-
rũ vitioſiſsimo vel maximè procedet fundo: tum etiã, quòd veri illius atq;
viui fundi penitùs expertes erunt. Vera nanq; humilitas eſt, Deũ ex toto, ex
toto, inquam, & ex omni diligere: hoc eſt, dilectiſsimi, verũ totius boni fun-
damentum. O ſi præuidere poſſetis, chariſsimi, quantis anguſtijs atq; peri-
culis mundus ipſe & quotquot Deo in fundo ſuo vel ſaltẽ Dei amicis reue-
rà nõ adhæſerint, olìm inuoluẽdi ſint, quamq́; terribiliter cum illis agetur,
(ſicut adhuc in proximo veris Dei amicis ſignificatũ eſt per reuelationem)
& quàm deniq; vera fides conculcabitur: ſi, inquã, hæc ſciretis dilectiſsi-
mi, ſenſus veſtri naturales hoc nulla ratione ſuſtinerent. Qui tunc victuri
ſunt, cogitent hæc ipſis longè antè prædicta ſuiſſe.

AD B. HILDEGARDIM, SVMMORVM PONTIFICVM, IMPERATORVM, ARCHIEPISCOporum, Epiſcoporum, aliorumq́; plurimorum Magnatum, Eccleſiaſticorum pariter & ſecularium, EPISTOLAE VARIAE, eiuſdemq́; B. HILDEGARDIS ád caſdem ſanctæ Reſponſiones.

EVGENIVS PONTIFEX HILDEGARDI.



EVGENIVS SERVVS ſeruorum Dei, Dilectæ in Domino filiæ Hildegardi, præpoſitæ in Monte beati Roberti, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Miramur ô filia, & ſupra id quod credi poteſt, miramur, quia Deus iam noſtris temporibus noua miracula oſtendit, cùm te ſpiritu ſuo ità perfudit, quòd diceris multa ſecreta videre, intelligere, & proferre. Hoc à veridicis perſonis ità eſſe percepimus, qui ſe fatentur te & vidiſſe & audiſſe. Sed quid nos ad hæc dicere valemus, qui clauem ſcientiæ habentes, ità quòd claudere & aperire poſſimus, & hoc prudenter facere per ſtultitiam negligimus? Congratulamur igitur gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ, hoc admonentes, vt ſcias, quòd Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Gratiã autem hanc quę

Is eſt eius nominis III.

Iac.4. 1.Pet.5.

in te eſt, conſerua & cuſtodi, ità vt ea quæ in ſpiritu proferē-da ſenſeris, prudenter proferas, quatenùs illud audias: Aperi
Pſal. 70. os tuum, & adimplebo illud. Quòd autem inſinuâſti nobis de loco illo, quem in ſpiritu tibi præuidiſti, hoc permiſſione & benedictione noſtra & Epiſcopi tui fiat, ità quòd ibì regulariter cum ſororibus tuis viuas ſecundùm regulam ſancti Benedicti ſub clauſura eiuſdem loci.

EVGENIO APOSTOLICO, HILDEGARDIS.

O Mitis pater, ego paupercula forma ſcripſi tibi hæc in vera viſione in myſtico ſpiramine, ſicut Deus voluit me docere. O fulgens pater, in tuo nomine tu veniſti in terrā noſtram, ſicut Deus prædeſtinauit, & vidiſti de ſcriptis veracium viſionum, ſicut viuens lux me docuit, & audîſti eam amplexibus cordis tui. Nunc finita eſt pars ſcripturæ huius. Sed tamen eadem lux non reliquit me, ſed in anima mea ardet, ſicut eam ab infantia mea habui. Vndè nunc mitto tibi literas iſtas in vera admonitione DEI. Et anima mea deſiderat, vt lumen de lumine in te luceat, & puros oculos infundat, & ſpiritum tuum exuſcitet ad opus ſcripturæ iſtius, quatenùs anima tua indè coronetur, quod DEO placet: quia multi prudentes de terrenis viſceribus ſpargũt hæc in mutationem mentium ſuarum, propter pauperem formam quæ ædificata eſt in coſta, & quæ eſt indocta de philoſophis. Tu ergò pater peregrinorum, audi illum qui eſt fortiſſ. rex, & in palatio ſuo ſedit, & magnas columnas coram ſe ſtantes habuit aureis cingulis præcinctas,

&

& multis margaritis & precioſis lapidibus valdè ornatas. Sed regi huic placuit, quòd paruam pennam tetigit, vt in miraculis volaret, & validus ventus eam ſuſtinuit nè deficeret. Nunc iterùm dicit tibi, qui eſt lux viuens in ſupernis, & in abyſſo lucens, ac latens in abſcondito audientium cordium: Præpara ſcripturam hanc ad auditum me ſuſcipientium, & fac illam viridem in ſucco ſuauis guſtûs, & radicem ramorum, & volans folium contra Diabolum, & viues in æternum. Caue nè ſpernas hæc myſtica DEI, quia ſunt neceſſaria in illa neceſſitate, quæ abſconſa latet, & quæ nondùm apertè appáret. Odor ſuauiſſimus ſit in te, & non fatigeris in recto itinere. Sed ille qui loquitur, & non ſilet, hæc dicit propter imbecillitatem illorum qui cęci ſunt ad videndum, & ſurdi ad audiendum, & muti ad loquendum in nocturnis inſidijs mortiferi laquei latrocinantium morum. Quid dicit? Gladius radiat & circuit, occídens illos qui prauæ mentis ſunt. O qui in tua perſona es fulgens lorica, & prima radix in nouis nuptijs CHRISTI, & in duas partes diuiſus, in partem ſcilicet hanc, quòd anima tua iterata eſt in myſtico flore virginitatis: & in partem hanc, quòd radix es Eccleſiæ, audi illum qui acutus eſt in nomine, & fluit in torrente, tibi dicentem: Oculum de oculo non abijcias, & lumen de lumine non abſcindas, ſed ſta in plana via, nè de cauſis illorum, in anima accuſeris, quæ in ſinum tuum poſitæ ſunt, nec permitte eas in lacum perditionis dimergi per poteſtatem conuiuantium prę-latorum. Gemma iacet in via: Sed vrſus veniens, & illam valdè elegantem videns, pedem ſuum porrigit, eamque leuare vult, & in ſinum ſuum ponere. Sed ſubitò aquila veniens, ipſam gemmam rapit, & eam in tegmen alarum ſuarum inuoluit, & in cancellos palatij regis portat.

 Et

Et eadem gemma ante faciem regis multum fulgorem dat, vndè à rege valdè diligitur: Et rex propter amorem eiuſdem gemmæ, aquilæ illi aurea calceamenta dat, & eam ob probitatem ſuam valdè laudat. Nunc tu qui es in vice Chriſti ſedēs in cura Eccleſiaſticæ cathedræ, meliorem partem tibi elige, vt aquila ſis, vrſum ſuperans: & vt in animabus tibi commiſſis, cancellos Eccleſiæ ornes, quatenùs in aureis calceamentis in ſuperiora veniens, te ipſum alieno ſubripias. Nam oculus viuens, videt & dicit, qui ſapit, & diſcernit quaſque creaturas, qui & eas omnes exuſcitat, & vigilat: Valles plangunt ſuper montes, & montes cadunt ſuper valles. Quomodo? Subditi nudati ſunt de diſciplina timoris DEI, & incitati ſunt rabie, vertices montium aſſcendere, prælatos incuſare: & ipſorum temeritas non accuſat praua opera ſua. ☞ Sed dicunt, Vtilis ſum vt ſim prælatus vtilitate. Et omnia prælatorum opera habent indigna, quia eos ſibi excellentiores eſſe dedignantur. Quoniam ſubditi iam ſunt nubes nigræ, & in femoribus ſuis non ſunt accincti, ſed diſpergunt omnia inſtituta agri, dicentes, quòd hæc vilia ſint. Et hoc faciunt, quia venenoſi ſunt per inuidiam. Pauper homo magnam ſtultitiam habet, quandò veſtimenta ſua ſciſſa ſunt, ſemper in alium adſpiciens, conſiderans quem colorem veſtimentum illius habeat, nec ſuum à ſorde abluit. Montes autem tranſiliunt clauem viæ veritatis, & eorum

Can. 4. itinera non ſunt parata volare ad montem myrrhæ. Ideò obtenebratę ſunt ſtellę diuerſa nube. Luna ſtat, ſtellæ clamāt, quòd luna cędit. Sol illas premit, quia nulla earum clareſcit, ſed in turbine implicatæ ſunt. Vndè ô paſtor magne, & poſt Chriſtum nominate, præbe lumē montibus, & virgam vallibus. Da præcepta magiſtris, & diſciplinam ſubditis: montibus iuſtitiam cum oleo ſparſis, & vallibus ligaturam obedientiæ,

mixto bono odore, & fac illis recta itinera, vt non appare-
ant viles ſoli iuſtitiæ. Puros fac vt vbiquè oculos habeas.
Mens tua puro fonte rigetur, vt cum ſole ſplendeas, & agnum
imiteris. Paupercula forma tremit, quòd in ſono verborũ lo-
quitur ad tam magnum magiſtrũ. Sed ô mitis pater, antiquus
vir & præliator magnificus dicit hæc. Vndè audi: De ſummo
iudice dirigitur ad te, vt graues & impios tyrannos eradíces,
& à te eijcias, nè ſtent in magna irriſiõe in tua ſocietate. Eſto
autem miſericors publicis & priuatis ærumnis, quia DEVS
non ſpernit vulneratos, nec ſpernit dolores trementium ſe.
Vndè ô paſtor ouium, audi hæc ſuper laborantes in fatigatio-
ne multorum. Lux dicit, Myſtica DEI ſunt iudicia ſuper
vnumquenque ſecundùm meritum illius. Multi tamẽ homi-
nes volunt habere ſcrutinium per zelum ſuum, & per igno-
rantiam morum ſuorum, ſed iudicium meum neſciunt. Qua-
propter in æſtimatione ſua ſupra modum mentiuntur, vt lu-
pi prædam rapientes. Ideò quanuìs homo dignus ſit propter
ſcelera ſua iudicari, tamẽ mihi nõ placet, quòd homo ſibimet-
ipſi vult habere iudicium ſecundùm arbitrium ſuum. Et hoc
nolo. Sed tu vnamquanque cauſam diſcerne ſecundùm ma-
terna viſcera miſericordiæ Dei, qui à ſe non ſeparat mendicũ Oſeę 6. Matt. 9. & 12.
& egenum, quoniam plùs vult miſericordiam quàm ſacrifi-
cium. Nùnc igitur nigri volunt abluere nigredinem per tur-
pitudinem ſuam, ſed ipſi ſunt polluti & ſurdi, in foſſa iacen-
tes. Illos erige, & adiuua puſillos. Tu enim qui es paſtor po-
pulorum, audi vt viuas in æternum. Lux viuens dicit: Dic au-
daci populo, qui ſibi terrores inuenit in via errantium viarũ.
Dominus quidam habuit marmoream ciuitatem: & venato-
res venientes, ciuitatem illã inſpiciebant, volentes diſpergere
recta inſtituta eius, quæ in flore illo apperuerunt, quem vir-
ginea mens inuenit. Et eccè mons magnus & excelſus, valdè

elegans & ex politis lapidibus factus, contra orientem apparuit: ſupra quem quoddam ædificium ad orientem ſtabat, de lignis & lapidibus communis ædificationis factum. Tunc venerunt multi riuuli, quaſi de medio orientis, in idem ædificiũ fluentes: Sed & in eodem ædificio fortiſſimus odor boni vini erat, ſed tñ cum aqua mixti. Et multus populus in idem ædificium corruit, in eo curuo corpore ambulans. Sed alij in quadam valle coram prædicto monte ſtabant, & illos attendebãt, qui in eodem ædificio curui ibant. Et ecce ſupra eundẽ montem etiàm aliud marmoreum ædificium candidiſſimi & integri lapidis, quaſi magna turris contra aquilõem ſtabat, in lucidiſs. ampulla plena optimi balſami, velut ignis ardens pendebat, & in cuius pauimento multum oleum diffluebat. Sed tamen ventus de aquilone interdùm veniens, balſamum & oleum illud commouit. Tunc multi ex populo in idem ædificium venerunt, qui & oleo illo ſpargebantur, & balſamo illo in frontibus ſuis ſignabantur. Et facta eſt vox de cælo, dicens: Iſti ſunt ſignati. Et qui hoc modo ſignati ſunt, ſignum hoc nõ potuerunt abluere, ſed ità ſignati permanſerunt, ſicut & illi qui in Chriſto renati ſunt, baptiſmum ſuum cõſeruare debẽt. Qui autem ſignati erant, ad illos qui ſignati non fuerunt, nõ trãſibant, nec ſocietatem eorum ſuſcipiebãt: quia ſi hoc feciſſent, fatui & inutiles dicerentur: qui verò ſignati non fuerũt, ad iſtos qui ſignati erant, tranſibant, & ſocietatem eorũ ſuſcipiebant, & indè optimam partem ſibi elegerunt. Sicut ſtella multiplicat ſplẽdorem ſuum in nube, & ſicut fœminea forma coronatur in virginitate. Et vir magnus aurea zona præcinctus, ſupra eadem ædificia ſtans, dextrũ brachium ſupra marmoreũ ædificium, & ſiniſtrum ſupra aliud poſuit. Intellectus iſte, ad duo inſtrumẽta Eccleſiaſticæ dignitatis eſt. Omnipotens enim pater inſtituit nobilem partem à ſecularibus cauſis ſepara-

ſeparatã, & in ſecretis ſuis coram Deo fortiter ardentem: quã quidam inſidiatores deſpicientes, volũt deſtruere rectitudinẽ eius, q̃ in filio Dei manifeſtè apparuit. Sed tñ mons iuſtitię expolitus in multis iuſtificationibus, in ortu veritatis aſſcendit, in quo vtilis inſtitutio ad Deũ tendens, & tamẽ hoĩbus aſſiſtẽs ſurgit, lumẽ vtilitatis hoĩbus prębens, ità vt etiàm plurima doctrina & odor rectarũ ſcripturarũ de vigore veritatis ad ipſum fluat: quas quidã eorum in diuerſa ſinè ratione multotiès refundunt. Quapropter & multi in ea curui in prauitate ambulant, ità vt etiàm aliqui terrenis inhiantes, turpitudinem illorum imitentur. Sed etiã in eodem monte iuſtitiæ p̃dicta pars, in ſecretis ſuis corã Deo ardens, in integritate ſua, vt Diabolo reſiſtat, exurgit, optimã partẽ in Deo habens, & in exẽplo ſuo miſericordiam oſtendens. Sed tñ multę tentationes à Diabolo emiſſę, optimã partẽ & ipſam miſericordiam inquietãt. Multi aũt hoĩes ad eandẽ partẽ tranſeũt, & verã miſericordiã conſequunt, cũ optimã partẽ ſibi eligunt. Vndè & corã Deo ſignati dicuntur. Et qui ſignũ huius partis ſuſcipiũt, in eo ſicut & in baptiſmo ſuo, fortiter permanent. Quapropter ad iſtos qui idẽ ſignum non habent, ſocialiter non deſcendunt, nè inanes velut fatui efficiantur: & qui ſignum eiuſdem partis non habẽt, ad eundẽ ordinem ſocialiter aſſcendunt, & ità in plurimis bonis multiplicantur. Quod & ille oſtẽdit, qui aurea zona pręcinctus, demonſtràt ſe eſſe Deũ & hominem, vtroſq;, ſcilicet iſtos & illos, regens cum brachio fortitudinis ſuæ: iſtos protegit ità, vt in eo fortiter ardeãt, ſecularia abijcientes: & brachio manſuetudinis ſuæ illos tegit, ità vt vtiles in Diuina protectione ſint, cùm lumen veritatis proximis ſuis vtiliter præbent. Apoc. 1.

Nunc tu q̨ es pater populorũ, diſcerne in perſpicuitate verba hæc, à ſummo iudice tibi directa pro neceſſitate errantium: quia ſuperbia vult opprimere humilitatem, quod eſſe non debet, velut inconueniens eſſet, ſi luna vellet pugnare cum ſole,

le, ſplendorẽ ſuũ cupiẽs ſimilem facere ſplendori ipſius. Vndè
propter hãc ineptam conuenientiã, fons aquarum clamat ad
te imitatorem eius. Per me viuum & acutum, comprime atq;
corrige nigros inſidiatores & furtiuos ſpeculatores, qui in
plumbum vertuntur in tortuoſis peccatis, & qui de aquilone
adſpergũtur in nequitia diaboli, & qui ſe contrariè porrigũt
ad caput prælatorum ſuorum per nimietatem iniquitatis. Fu-
ga ergò illos de paſtorali cura, quæ pœnam de canibus portãt.
Et quanuìs quidam prælati ſint obtenebrati per viciſſitudinẽ
morum, tamẽ nõ decet aliquos eorum propter quoſdam ſub-
ditos abijci. Ideò inſpice hæc per puriſſimum oculum, vt non
deficiat honor tuus, qui per nomen ſuum tangit illum qui
fuit, & eſt rectus & iuſtus, parans vias ſuas in omnibus inſtru-
mentis ſuis, ea præuidendo ante inſtituta dierum antiquorũ.
Pſalm. 9. Ipſe faciat puros oculos tuos, qui non ſpernit pupillũ & pau-
Can. 4. perem, quia mons myrrhæ & thuris es præ vallibus ſordium
puteis. Audi ergò illum, qui ſemper vigilat viuentibus oculis,
Pſalm. 10. & qui non eſt tædioſus propter procellas, quæ ſunt pars cali-
cis eorum, qui aſſimilãtur ſimulacris quaſi dum ſint per pro-
ſperitatem ſuam. Tu autem qui vis habere poteſtatem hono-
ris magni in palatio regis, dilata iuſtitiam ſummi ad illius ho-
norem. Hoc decet te propter te, propter clarum nomẽ tuum.
Nunc ergò adſpice in igneum datorem, qui infundit bonum
intellectum hominibus. Sed quis homo poteſt ſonare contra
vocem illam? Num poteſt vox hæc paruam pennam facere
volare ſic, vt nullus gladius contra eandem pennam ſe poſſit
mouere? Poteſt. Nunc tu ô imitator excelſæ perſonæ, fons
viuus clamat hæc ad te, quia perſonam tuam non decet, vt ha-
beas oculos cæcorum, & veſtigia vipereorum morum & fur-
tiuam rapinam, denudans altare DEI. Et cur hoc faceres? Sed
qui hoc facit, non poteſt ſoluere corrigiam calceamenti cor-
poris

poris Dominici. Ideò, ô cuncti, caſtigate vos. Ego autem, ô pater, in loco cælitùs mihi oſtēſo, iuxta verba benedictiōis tuæ, ſecundùm regulam S. Benedicti, ſub clauſura eiuſdem loci cum ſororibus meis maneo, & hoc me tam viuente, quàm defuncta, ſemper obſeruari deſidero.

ANASTASIVS PAPA, HILDEG.

ANaſtaſius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Hildegardi dilectæ filiæ in Chriſto, ſalutem & Apoſtolicam benedictiōem. Exultamus in Domino & gratulamur, quòd nomē Chriſti de die in diē glorificatur in te, ità vt & admirantes dicamus, Quis ſimilis tuî in fortibus Domine? Quis ſimilis tuî? Magnificus in ſanctitate, terribilis & laudabilis, & faciēs mirabilia. Audiuimus enim & vidimus multa de te. Scimus etiā quòd piæ memoriæ prædeceſſor noſter, cui ad nutriendum ſponſam Chriſti per Diuinam gratiā ſucceſſimus, te multo affectu dilexit, amplexus eſt, & audiuit. Cuius & nos veſtigia ſecuti, ſcribere tibi ſtuduimus, & reſcripta tua videre deſideramus, quærētes illa quæ Deus in te operatur, quamuìs nos in bonis claudicemus, in quibus tam laſſitudine corporis, quàm mētis noſtræ, ſuſpiramus, cùm nos ad cæleſtia per negligentiam noſtram ſursùm non erigimus, vt iure deberemus. Occultorum autem cognitor, & voluntatē & poſſibilitatem noſtram nouit. Admonemus igitur, rogamus, & obnixè tibi iniungimus, vt cum ſororibus tuis preces ad Dominum fundas, quatenùs per virtutem ipſius, ad iuſtitiā nos erigere valeamus, ità vt per hoc æterna præmia adipiſcamur, ad illa in præſenti vita anhelare non deficientes. Pax tibi & omnibus tuis ſit.

Margin: Is fuit eius nominis quartus. — Exo. 15.

RESPON. HILDEGARD.

O Perſona, quę es p̃cellens armatura, & mons magiſtrationis valdè ornatę ciuitatis, q̃ conſtituta es in deſponſatione Chriſti, audi illum qui non incepit viuere, nec laſſatur in defectione. O homo, qui in oculo ſciẽtiæ tuę laſſus es ad refrenandũ magniloquia ſuperbię, in hoĩbus in ſinũ tuũ poſitis, cur non reuocas naufragos, qui de magnis caſibus ſuis ſurgere non poſſunt, niſì per adiutoriũ? Et quarè non abſcindis radicẽ mali, q̃ ſuffocat bonas & vtiles herbas, dulcẽ guſtum & ſuauẽ odorẽ habentes? Filiam regis, ſcilicet iuſtitiam, q̃ in ſupernis amplexibus eſt, & q̃ tibi cõmiſſa fuerat, negligis. Tu enim permittis hanc filiã regis ſup̃ terram proſterni, quia diadema & decor tunicæ eius ſcindit̃ per ruſticationẽ diuerſorum morũ hoĩm illorum, qui in ſimilitudine canũ latrant, & in ſimilitudine gallinarum, q̃ in noctibus interdùm cantare tentantes, ineptã exaltationẽ vocũ ſuarum emittunt. Iſti ſunt ſimulatores, in vocibus ſuis fictam pacẽ oſtendentes, ſed inter ſe in cordibus ſuis frendentes, velut canis qui ad ſodales ſibi notos caudã ſuã mouet, ſed probũ militẽ qui in domo regis vtilis eſt, dentibus ſuis mordet. Cur prauos mores in hoĩbus ſuffers, qui in tenebris inſipiẽtię ſunt, ad ſe quæq; nociua colligẽtes, ſicut gallina q̃ in nocte clamãs, ſibimet terrorẽ incutit? Qui ſic faciunt, in radice vtilitatis nõ ſunt. Audi ergò ô homo illũ, q̱ acutã diſcretionẽ valdè amat, quã vt maximũ inſtrumẽtum rectitudinis inſtituit, quod cõtra malũ pugnaret. Hoc tu non facis, cùm malũ non eradicas, quod bonũ ſuffocare cupit. Sed malũ ſe ſup̱bè attollere p̱mittis: & hoc facis propter timorẽ illorũ, qui peſſimi inſidiatores ſunt in nocturnis inſidijs, plùs amantes pecuniã mortis, q̃ pulchrã filiam regis, ſ. iuſtitiã. Oĩa aũt opera quę Deus operatus eſt, lucidiſſima ſunt. Audi ô homo. Nã ſup̱nus pater ante ex-

ortum

ortũ mundi in ſecreto ſuo intonuit, O mi fili. Et globus mũdi exortus eſt, hoc quod pater intonuit, excipiens, diuerſis tamẽ ſpeciebus creaturarũ, adhuc in obſcuro latentibus. In ipſo aũt quod ſcriptũ eſt, Dixitq; Deus, fiat, diuerſę ſpecies creaturarũ ꝓceſſerunt. Sic per verbũ & propter verbũ patris, oẽs creaturæ factę ſunt in voluntate patris. Deus aũt oĩa videt, & oĩa p̃nouit. Sed malũ nec ſurgẽdo, nec cadendo, quidquã per ſe facere aut creare aut operari poteſt, quia nihil eſt, ſed tantùm fallax optio, & contraria opinio cõputatur, ità quòd homo malum operat̃, cùm hoc, quod contrariũ eſt, facit. Miſit aũt Deus filiũ ſuũ in mundũ, vt Diabolus, (qui malũ amplectẽdo cognouit, & homini ſuggeſſit) ſuperaret̃ ꝑ eũ, & vt etiã homo (ꝗ ꝑ malũ periêrat) redimeretur. Quapropter Deus ſpernit peruerſa opera, videlicet fornicatiões, homicidia, rapinas, ſeditiones, tyrãnides & ſimulationes iniquorũ hoĩm, quoniam ea per filium ſuũ contriuit, qui ſpolia tartarei tyranni oĩnò diſperſit. Vndè tu ô homo, qui ſedes in principali cathedra Dñi, contemnis quãdò malũ amplecteris, ità ꝙ illud non abijcis, ſed oſcularis, qñ ipſum ſub ſilentio in prauis hoĩbus ſuſtines. Et ideò omnis terra turbat̃ per magnã viciſſitudinem errorũ: quia quod Deus deſtruxit, homo amat. Et tu ô Roma velut in extremis iacens, conturbaberis ità, ꝙ fortitudo pedũ tuorũ, ſuper quos hactenùs ſtetiſti, langueſcet, qm̃ filiam regis, videlicet iuſtitiam, nõ ardenti amore, ſed quaſi in torpore dormitionis amas, ità vt eã à te expellas: vndè & ipſa à te fugere vult, ſi non reuocaueris eam. Sed tamen magni montes maxillã adiutorij tibi adhuc p̃bebunt, te ſurſùm erigẽtes, & magnis lignis magnarũ arborũ te fulcientes, ità ꝙ non tota in honore tuo, videlicet in decore deſponſationis Chriſti oĩnò diſſipaberis, quin aliquas alas ornamenti tui habeas, vſq; dum veniat nix morum diuerſarum irriſionum, multam inſaniam emittentium. Caue ergò nè ad

Gen. 1.

ritum paganorum te cõmiſceri velis, nè cadas. Núc audi illũ, qui viuit & non exterminabitur. Mũdus modò eſt in laſciuia, poſteà erit in triſtitia, deindè in terrore, ità vt non curent homines ſe occídi. In oĩbus his ſunt interdùm tẽpora petulãtiæ, & interdùm tẽpora contritionis, & interdùm tẽpora fulgurũ & tonitruũ diuerſarum iniquitatum. Oculus enim furit, naſus rapit, os occídit. Pectus autem ſaluabit, vbì aurora, velut ſplendor primi ortûs, apparebit. Quæ verò ſequũtur in nouo deſiderio & in nouo ſtudio, dicenda nõ ſunt. Sed ille qui ſinè defectione magnus eſt, modò paruum habitaculum tetigit, vt illud miraculum videret, & ignotas literas formaret, ac ignotam linguam promeret, atq; vt multimodam, ſed ſibi conſonantem, melodiam ſonaret. Et dictum eſt illi: Hoc quod in lingua deſupèr tibi oſtenſa, non ſecundùm formam humanę conſuetudinis protuleris, quoniam conſuetudo hæc tibi data non eſt, ille qui limam habet, ad aptum ſonum hominũ expolire non negligat. Tu autem ô homo, appárens conſtitutus paſtor, ſurge, & curre citiùs ad iuſtitiã, ità vt corã magno medico non accuſeris, quòd ouile ipſius à ſorde nõ exterſeris, nec oleo vnxeris. Vbì autem voluntas crimina neſcit, & vbì homo deſiderium * non rapuit, ibì homo omninò in profundum iudiciũ nõ cadit. Sed culpa huius ignorãtiæ per flagella tergiť. Ergò tu ô homo, ſta in recto itinere, & De⁹ ſaluabit te, ità ꝙ in ſtabulũ benedictiõis & electiõis te reducet, & in æternũ viues.

*id eſt, nõ conſenſit,

ADRIANVS PAPA, HILDEGAR.

Is eſt hui⁹ nominis IIII.

ADrianus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Hildegardi dilectę in Chriſto filiæ, prępoſitæ ſancti Roberti, Salutem & Apoſtolicã benedictiõem. Gaudemus filia & exultamus in Domino, quòd honeſtatis tuæ opinio ità latè longeq; diffunditur, vt multis fias odor vitę in vitam,

2. Cor. 2.

vitã,& à turba fideliũ populorum in tuî p̃conium exclamet:
Quę eſt iſta,q̃ aſſcendit p̃ deſertũ tanq̃ virgula fumi? Vndè cũ Cant.3.
aĩam tuã vſq; adeò extimem⁹ diuini amoris igne ſuccẽdi, vt ad
benè operandũ exhortatiõe aliqua nõ indigeas: ſuperuacaneum duximus exhortatoria tibi verba multiplicare, animumq́; tuum virtute diuina ſufficienter innixum, aliqua verborum ſuppoſitione fulcire. Veruntamen quia & ignis aura flante fit grandior, & velox equus calcaribus vrgetur ad curſum, id tuę religioni duximus proponendum, vt videlicet à memoria tua non excidat, quia non incipienti, ſed perficienti palma debetur & gloria, dicente Domino: Vincenti dabo edere de ligno Apoc.2.
vitæ, quod eſt in paradiſo DEI mei. Cogita itaq; filia, quoniam ille ſerpẽs, qui primum hominem à paradiſo deiecit, magnos perdere cupit, vt Iob, & deuorato Iuda, ad cribrandos Apoſtolos Luc.22.
expetit poteſtatẽ: & quia ſcis multos eſſe vocatos, paucos Mat.20.
autem electos: ità intra numerum paucorum te collige, ità vſque ad finẽ in ſancta conuerſatione perſiſte, ità creditas diſpoſitioni tuæ ſorores ſalutis operibus inſtrue, vt cum eis ad illud gaudium valeas præſtante Domino peruenire, quod nec ocu- Eſa.64.
lus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſſcẽdit. Decę- 1.Cor.2.
terò autem cõmonitoria verba de te audire deſideramus, quia ſpiritu miraculorũ DEI imbuta diceris, vndè plurimùm gaudemus, & Diuinæ gratiæ gloriam damus.

HILDEGARD. RESPON.

QVi vitam dat viuentibus, dicit: O homo, dirã duritiam leęnarum & fortitudinem leopardorum patiendo ſuſtinebis, & naufragium in captura prædarum ſenties, quoniam oĩbus his datus es in fatigationem ad te currẽtibus. Habes enim intelligibilem intellectum contra ſæuiſſimos mores hominum, in quibus æſtuando refrena-

bis capillos currentium equorum, qui non deſiſtunt currere ad ſemitas prædarum. Sed tamen rixando contra te ipſum,inclinas te interdùm quaſi ad probitatem quorũdam hominũ, vbì celas loculos aliquorum,qui mortui ſunt præliari in planis vijs. Vndè patieris pugnam Semeiæ pręliorũ, ſed deſtrues mobilia reliquiarum illorum,qui in foueam vadunt per aſperitatem ſuam. Attamen venam habes fortiſs. clauis, quæ non vadit libenter ad azyma in forma Sardij. In pectore ergò tuo quære ſaluationem aquarum,nè in turbinem vadas. Sed vt in manſuetudine requieſcas ad languorem & liuorem illorum, qui permixti ſunt maceratione diuerſorum vulnerum,in hoc imitans ſaluatorem tuũ qui te redemit. Sed hoc graue pondus magiſterij,quod portas,nõ eſt in indignatione Dei, vbì etiàm mores vrſorum & pardorum & interdùm venenũ aſpidũ, tibi & ſubſequẽtibus occurrẽt. Sed gladius Dei illos occídet, ità dũ inter illos bonus dux ſurgat. Nunc aũt moneo te,vt ſubiectis tuis frenũ imponas, nec eos malũ aduersùs te loq; ſinas. Vndè & vera lux tibi dicit: Quarè nõ percutis nequiſs. ſeruos, q̃ tibi occultè inſidiantur,ſicut araneæ q̃ pungunt? Vigila ergò ſtrenuè,quod poſtulat cauſa in moribus populi in hoc tempore.
Gen.3. O mitiſſ. pater, memorare quòd homo in terra es, & nè timeas,quòd Deus derelinquat te,quoniam lumen illius videbis.

ALEXANDRO APOSTOLICO,

HILDEGARDIS.

O Summa & glorioſa perſona, quæ primùm conſtituta es per verbum Dei,per quod omñis creatura rationalis & irrationalis in genere ſuo facta eſt,tibi ſpecialiter idem verbũ claues regni cæleſtis per indumentum humanitatis ſuæ, ſcilicet ligandi atq; ſoluendi poteſtatem,
Matt. 16.

ſtatem, conceſſit. Tu quoquè excellentiſſ. pater, materia om̃ium ſpiritualium perſonarum exiſtis, quę tuba iuſtitię Dei ſonant in Eccleſia, quę varijs ornamentis circumamicta fulget, dum alij alijs bona exempla, vitam ſanctorum imitando, præbent: quę etſi quid rectè agunt, Deo, & non ſibi, attribuũt, & de bonis imitatoribus ſuis gaudent, ſequentes priores ſanctos, qui carnẽ ſuam domabant, & ſeipſos cum manifeſta victoria cęleſtis militię cõtra vitia diaboli pugnãtes roborabant, & cũ bona voluntate velut angeli in Deum adſpiciebãt. Sic & tu, ô mitis pater, benignũ patrem imitare, qui pœnitentem filiũ & ad ſe reuertentem, ſaginatum vitulũ propter illum occidens, cum gaudio ſuſcepit: & ſauciati ex latronib⁹ vulnera vino lauit, caligine confuſa, aſperitatẽ correptionis & pietatẽ miſericordiæ deſignat: & ſtella matutina, quę ſolẽ diei pręcucurrit, eſto in Eccleſia, quę diù ſchiſmatis caligine cõfuſa, lumine iuſtitiæ Dei caret. Et tu ergò ſecũdùm zelum DEI corripe, & de oleo miſericordię pœnitentes vnge, quoniam Deus magìs vult miſericordiam, quàm holocauſtũ. Nunc ô mitiſſ. pater, ego & ſorores meæ, genua noſtra coram paterna pietate tua flectimus, orantes vt digneris paupertatem pauperculę formę reſpicere, quæ nunc in magna triſtitia ſumus, eô ꝙ abbas de monte ſancti Dyſibodi, & fratres eius, priuilegijs & electioni noſtræ contradicunt, quam ſemper habuimus, de qua ſemper magna cautela prouidendum nobis eſt, nè aliquatenùs nobis tollatur: quia ſi nobis timoratos & religioſos, quales quęrimus, non concederent, religio ſpiritalis omninò in nobis deſtrueretur. Vndè domine mì, propter Dominũ adiuua nos, vt vel electionem noſtram obtineamus, vel alios vbi poſſimus, qui nos ſecundùm Deum & vtilitatẽ noſtrã procurent, liberè quęramus & accipiamus. Nũc iterùm rogamus te pijſſ. pater, nè petitionẽ noſtrã & etiàm nũcios iſtos deſpicias, qui per fidelem

Luc. 15.

Luc. 10.

Oſe. 6.

delem amicum noſtrum moniti, te petentes, ad nos diuerte-
runt, & hoc quod apud te obtinere quærũt, facias, quatenùs
poſt finem huius vitæ, quæ ad veſperum iam declinat, in in-
deficientem lucem peruenias, & dulcem vocem Domini au-
Matt. 25: dias: Eugè ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis,
ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. In-
clina ergò ſupplicationibus noſtris aures tuæ pietatis, & no-
bis & illis clara dies ſit, vt ex indulgentia tuæ largitatis com-
muniter Domino gratulemur, quatenùs & tu in æterna feli-
citate ſemper gaudeas.

RESPON. ALEXANDRI PAPĘ ad Vuezelinum Prępoſitum.

Is eſt huius nominis tertiꝰ.

ALexander ſeruus ſeruorũ Dei, dil. filio Prępo-
ſito S. Andreæ in Colonia, ſalutẽ & apoſto-
licã benedictionẽ. Ex parte dilectę in Chri-
ſto filiæ noſtræ Hildegar. Prioriſſæ Montis
S. Roberti in Binga, & ſororum eiuſdem lo-
ci, ad noſtram audientiam noueris perueniſ-
ſe, quòd cùm magiſtrum ſibi & præpoſitum de monaſterio S.
Dyſibodi, ſicut conſueuerãt, elegiſſent, abbas illius loci, quæ
de perſona monaſterij ſui facta fuerat, concedere noluit, ſed
eandem perſonam eis renuit adhuc aſſignare. Vndè quoniam
prædictis ſororibus in his, quæ ad ſalutem pertinent anima-
rum, diligenter conuenit prouideri: diſcretioni tuæ per Apo-
ſtolica ſcripta mandamus, quatenùs vtranq; partem, cùm ſu-
per hoc fueris requiſitus, ad tuam præſentiam cõuoces, & ra-
tionibus ſuper electione Prępoſiti hincindè diligentiùs intel-
lectis, cauſam ipſam, iuſtitia mediante, decídas: & ſi prædictæ
ſorores de illo monaſterio Præpoſitum habere non potue-
rint,

rint, facias vt ſaltem de alio habeant competentem.

HENRICVS ARCHIEPISCOPVS Moguntinenſis, Hildegardi.

HEnricus Dei gratia Mogũtinę ſedis Archiep. Hildegardi dilectæ magiſtræ de monte S. Roberti confeſſoris, gratiam ſuam cum paterno affectu. Cùm multa bona & admirãda miracula de te audiamus, pigritię noſtrę reputandum eſt, quòd te tam ſæpè non viſitamus vt poſſemus. Sed plurimis negocijs impediti, animam ad ea quæ æterna ſunt, vix aliquãdò & tardè ſuſtollere valemus. Vt autem ad id veniamus, ad quod intendimus, notũ tibi facimus, quòd nuncij quidam religioſi cuiuſdam nobilis Eccleſię nobis notæ, ad nos peruenerunt, obnixè rogantes, quatenùs ſoror illa quam petunt, quæ apud te in religioſo habitu manet, eis ſecundùm electionem ſuam concedatur in Abbatiſſam. Quod & nos authoritate pręlationis & paternitatis noſtræ tibi mandamus, & mandando iniungimus, ità vt in præſenti eam quærentibus & deſiderantibus, ad magiſterium ſuum repræſentes. Quod ſi feceris, gratiam noſtram deincèps plùs, quàm hactenùs experta fueris, ſenties: Sin autem, eadem tibi iterùm fortiùs mandabimus, nec ceſſabimus dũ præcepta noſtra in hoc, facto compleas.

RESPONSVM HILDEGAR.

PErſpicuus fons, qui nõ eſt fallax, ſed iuſtus, dicit: Hę cauſæ quæ de poteſtate huius puellæ ſunt allatæ, apud Deum inutiles ſunt, quoniã ego altus & profundus

fundus & circuiens, qui ſum incidens lux, eas nec conſtitui, nec elegi, ſed factę ſunt in conuiuenti audacia ignorantium cordium. Oḿes fideles audiant hęc in capacibus auribus cordis, & non in auribus quę foris audiunt, vt pecus quod ſonū capit, & non verbum. Spiritus Dei in zelo ſuo dicit: O paſtores, plangite & lugete in hoc tempore, quia neſcitis q̧d facitis, cùm officia in Deo conſtituta, diſpergitis in facultates pecunię, & in ſtultitiam prauorum hominum, timorē Dei non habentium: vbi & maledicta malitioſa & minantia verba veſtra, non ſunt audiēda. Virgę vrę hoc modo ſuperbè elatę, nō ſunt in Deo extentę, ſed in pœnis præſumptionis flagitioſæ volūtatis veſtræ. Sed & ille qui eſt, ô homo, tibi dicit: Audi quę in
Exo. 3. multis ſeruitijs me negligis. Cælum de vltione Domini apertum eſt, & nunc inimicis funes dimiſſi ſunt. Tu autem ſurge, quia dies tui breues ſunt, & reminiſcere quia Nabuchodono-
Dan. 4. ſor cecidit, & quod corona ipſius perijt. Et multi alij ceciderunt, qui ſe temerè in cęlum exaltauerunt. Ah tu cinis, quarè
Gen. 3. non erubeſcis in altum te ſpargere, cùm debeas eſſe in putredine? Nunc ergò rabidi erubeſcant. Tu verò ſurge, & maledictionem relinque, illam fugiendo.

ARNOLDVS ARCHIEPISCOPVS Moguntinenſis, Hildegardi.

ARnoldus Dei gratia Moguntí. ſedis archiepiſcopus, Hildegardi Deo dicatę virgini & magiſtrę in monte S. Roberti cōſtitutæ, gratiam ſuam cum paterna di-
Ioan. 3. lectiōe. Scimus quia ſpiritus vbì vult, & quomodò
1. Cor. 12. vult, inſpirat, diuidens vnicuiq; dona ſua prout vult. Hoc autem dicimus, nihil hæſitantes de te. Nam quid mirum eſt, ſi ille inſpiratione ſua te docet, qui quondàm agricultores & ſyco-

ſycomoros vellicantes, prophetas conſtituit, & aſinam humana verba proferre fecit? Dona ergò Dei refutare non debemus, nec valemus. Rogamus ergò dilectionem tuam, vt precibus tuum ad Dominum nobis ſuccurras, quatenùs dies noſtri in timore & amore creatoris noſtri ſaltem ſint, ità vt in bonis conſummati, vitam in longitudine dierũ perpetuæ felicitatis habere mereamur. Amos 7. Num. 22.

RESPONSIO HILDEGAR.

O Pater, viuens lumen hæc verba mihi ad te dedit: Quarè faciem tuam abſcondis à Deo, quaſi in perturbatione iraçundæ mentis tuæ? Nam myſtica verba à me non profero, ſed ſecundùm ea in viuenti lumine video, ità quòd ſæpè quæ mens mea non deſiderat, & quę etiàm volũtas mea non quærit, mihi oſtenduntur, ſed illa multotiès coacta video. Poſco tamen à DEO, vt auxilium ſuum non ſit tibi quaſi exilium, & anima tua ſit deuota in pura ſcientia, reſpiciens in ſpeculum ſaluationis, vt in æternum viuas. Splendidum etiàm lumen gratiæ DEI à te nunquàm abſcindatur. Sed miſericordia DEI te protegat ità, nè antiquus inſidiator te decipiat. Nunc autem oculus tuus in DEO viuat, & viriditas animæ tuę non areſcat. Lux viuens tibi dicit: Cur non es fortis in timore tuo? Quaſi zelum habes, quaſi triticum excribres, ità vt ſuperando deijcias quod tibi contrarium eſt. Sed hoc nolo. De oculo autem cordis tui inquietam mentem abſterge, & de teipſo & de populo tuo iniuſtitiam abſcinde, quia tempus bellorum in moribus hominum nunc inſtat, ità quòd nec in diſciplina, nec in diſtrictione timoris Domini ſunt. Tu autem nè formides eos ad bonum coërcere, quoniam ſi propter hoc tribu-

☞ lationem & anguſtiam ſuſtinueris, nè paueas, quia filius Dei eadem paſſus eſt. Surge ergò ad Dominum, quoniam tempus tuum citò veniet.

CHRISTIANVS ARCHIEPISCOpus Moguntinenſis, Hildegardi.

CHriſtianus Dei gratia Moguntinę ſedis Archiepiſcopus, Hildegardi dilectę magiſtrę ſororum de S. Roberto in Pingis, deuotionem gratiæ ſuæ tam cum paterno, quàm cũ filiali affectu. Plurimis negocijs impediti, perpauca tibi ſcribimus, cùm tam dilatato corde, toto mentis anniſu ad piam dilectionem tuam anhelemus. Et quia Diuino ſpiritu te inſpiratam cognoſcimus, exhortatoria verba tua deſideramus, quoniam dum terreno regno exteriùs ſeruire conamur, cæleſtem regem multotiès interiùs negligimus. Igitur & orationibus tuis ac ſororum quę apud te ſunt, nos committimus, ità vt per illas adiuti, turbinibus & procellis huius ſeculi, in quibus multùm fatigamur, Deo ſuccurrente, clementer eripiamur. Nos autem vobis in omnibus neceſſitatibus veſtris adeſſe, ac in omnibus prodeſſe, prout Deus donauerit, pro certo ſciatis.

RESPON. HILDEGARD.

MYſtica viſio tibi dicit: O tu perſona prælationis, in vice Chriſti ab ipſo conſtitutus es, Rom. 13. quēadmodùm omnis poteſtas à Deo eſt. Deo autem nullus ſimilis inuentus eſt. Ipſe pater omnium eſt, quoniam ab ipſo omnia procedunt, & ob hoc ea regit, & ſacerdos in ſacerdotali

dotali officio eſt, quia per purum ſacrificium, quod homō factus eſt, hominem liberauit. In iuramento nanque illo Sacerdos eſt, quod ſcriptum eſt: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Deus quippe in ſemetipſo prædeſtinauerat homo fieri ſinè omni maculoſitate peccati, & ſinè omni indigentia emendantis pœnitentiæ, & ſinè omni commixtione & diuiſione, quæ in homine cum peccatis ſunt, quatenùs ità malum vinceret, vt in Melchiſedech præfiguratū eſt. Tu autem ô homo qui nunc in die es, antequàm nox adueniat, cùm plùs operari non poſſis, ſtude vt in vera poteſtate populum tuum præcepta Dei doceas, & in recta iuſtitia eum regas, ſicut Deus eum regit, & per magnum ſtudiū in miſericordia eum habeas, quoniam Deus per ſemetipſum eum liberauit. Tali enim modo magiſtratus, dominatio & poteſtas à Deo eſt. Sed & de mãmona iniquitatis amicos per miſericordiam tibi fac, quatenùs cùm defeceris, in æterna tabernacula te ſuſcipiant. Nunc ô Pater & Magiſter, poſt Chriſtum pauperculam formam de vero lumine tibi hæc ſcribentē, audi, vt nobis omnibus in neceſſitate poſitis, qui ad te cōfugiunt, auxilium porriges, quatenùs propter gaudium illud quod eis impendis, in gaudium æternorum tabernaculorum ſuſcipiaris, & in æterna beatitudine, ad quam Deus te creauit, in æternum viuas.

Pſal. 109.

Ioan. 12.

Luc. 16.

HILDEGAR. AD CHRISTIANVM Moguntinenſ. Archiepiſcopum.

O Mitiſs. Pater & Domine, qui in vice Ieſu Chriſti ſuper oues Eccleſiæ Paſtor conſtitutus es, ſummo Deo & paternæ pietati tuæ gratias humiliter agi-

mus,pro eo quòd literas paupertatis noſtrę miſericorditer ſu-ſcepiſti,& quòd pro nobis tribulatis & anguſtiatis in miſericordia tua literas ad prælatos noſtros Moguntiam mittere dignatus es, & etiàm pro dulcibus verbis ſolitæ clementiæ tuæ, quibus per Dominum Hermannum Eccleſiæ ſanctorũ Apoſtolorum in Colonia decanum, ità conſolatæ & lætificatæ ſumus,quòd in omni tribulatione & anguſtia noſtra,ſicut filiæ ad te dilectum patrem ſecuræ confugimus. Vndè, bone domine,nos famulæ tuæ quæ ſedemus in triſtitia tribulationis & anguſtiæ,in ſpiritu humilitatis pedibus tuis ꝓuolutæ, cauſam intolerabilis doloris noſtri in pura veritate lachrymabiliter tibi aperimus,ea fidutia,quòd ignea charitas, quæ

1. Ioan. 4. Deus eſt,tibi inſpiret,vt cum paterna pietate lamẽtabilem vocem,qua in tribulatione noſtra afflictæ ad te clamamus, miſericorditer exaudiri digneris. O mitis Pater,cùm prælati noſtri Moguntini mortuum iuuenem ante mortem ſuam ab anno diù abſolutum,& omnibus Chriſtianę fidei ſacramentis munitum,ſicut etiàm antè in literis tibi inſinuaui, apud nos ſepultũ, à cœmeterio noſtro eijcere nos iuſſiſſent,vel à Diuinis nos ceſſare,ego ad verum lumen,vt ſoleo,adſpexi, & in illo Deus mihi pręcepit,nè vnquàm voluntario conſenſu meo eijceretur,quem ipſe à ſinu Eccleſię in gloriã ſaluationis deputãdum ſuſceperit,quoniam nigredo magni periculi nobis indè proueniret,eô quòd contra voluntatem eius veritatis eſſet.Si enim iſte timor omnipotentis Dei mihi non obſtitiſſet, eis humiliter obedíſſem, & quemcunq; in nomine tuo, qui dominus & aduocatus noſter es, eundem mortuum iuſſiſſent efferre, ſi excommunicatus non eſſet, ſeruandum ius Eccleſię, grata voluntate conceſſiſſem. Cùm autem per aliquod tempus non ſinè magno dolore & triſtitia ceſsâſſemus, in vera viſione animę meę à ſummo iudice (cuius pręcepto reſi-

ſtere

ſtere auſa non fui) pōdere grauiſs.infirmitatis coacta,ad præ-
latos noſtros in Maguntiā veni,& verba quę in vero lumine
videram,vt ipſe mihi pręcepit,ſcripta repręſentaui, quatenùs
in illis cognoſcerent quę voluntas Dei in hac cauſa eſſet.Ve-
niam quoquè coram ipſis,qui tunc aderāt, amaris lachrymis
petens ab eis, flebiliter & ſuppliciter miſericordiam quæſiui.
Sed cùm eorum oculi ità caligâſſent, vt nullo reſpectu miſe-
ricordię me reſpicere potuiſſēt,plena lachrymis ab eis diſceſſi.
Sed cùm plurimi homines ſuper nos miſericordia moueren-
tur,licèt pro voluntate ſua nos adiuuare non poſſent, fidelis
amicus meus,ſ. Colonieñ Archiepiſcopus,ad ipſos in Mogū-
tiam venit,& quodā milite libero homine aſſiſtente,qui ſuffi-
ciētibus teſtibus probare voluit, quòd ipſe & prædictus mor-
tuus,adhuc in corpore viuens,cùm pariter in eodem exceſſu
fuiſſent,pariter etiàm à banno,eodem loco, eadē hora, ab eo-
dem Sacerdote ſoluti eſſent,eodem Sacerdote, etiàm qui eos
abſoluit,pręſente,ab eis cognita huius rei veritate, idem præ-
ſul de te pręſumens,licentiam celebrandi Diuina, vſq; ad re-
ditum tuum ſecurè & in pace obtinuit. Cùm autem dulciſs.
Domine fidutiam maximam de tua miſericordia haberemus,
per eoſdem pręlatos noſtros poſt reuerſionem ſuam à Roma,
è Synodo literas tuas Diuinorum interdictorias accepimus:
quas,vt paternę pietati tua cōfido, nunquàm miſiſſes,ſi veri-
tatem huius rei agnouiſſes.Sicque mitiſs.pater,in priori liga-
tura multò maiori dolore & triſtitia tuîmetipſius iuſſiōe cō-
ſtitutæ ſumus.Vndè in viſione animę meę,in qua nunquàm
me aliquo verbo turbâſti,iuſſa ſum corde & ore dicere:Melius
eſt mihi incidere in manus hominū,quàm derelinquere præ- Dan.13.
ceptum Dei mei.Ergò mitiſs. pater,obſecro te in amore ſpiri- Acto.6.
tus ſancti,vt propter pietatem ęterni patris,qui pro ſalute ho-
minis in ſuaui viriditate miſit verbum ſuum in virginis vterū,

dolen-

dolentium & plorantium filiarum tuarum lachrymas deſpicere non velis, quę ob timorē Dei, tribulationes & anguſtias huius iniuſtæ ligaturæ ſuſtinemus. Spiritusſanctus infundat tibi, vt ità ſuper nos miſericordia mouearis, vt etiàm tu poſt finem vitę tuę, pro hoc miſericordiam conſequaris.

CHRISTIANVS ARCHIEPISCOpus Moguntinenſis, Hildegardi.

CHriſtianus D. g. Moguntinę ſedis Archiepiſcopus, Reuerēdæ & in Chriſto dilectę Dominę Hildegardi, & vniuerſis ſponſis Chriſti, cum ipſa Deo famulantibus, de virtute in
Pſal.83. virtutē aſſcendere, & DEVM deorum in Sion videre. Etſi in admiranda ac laudanda potentia Dei & Saluatoris noſtri clementia, minimè ſufficiētes, immò prorsùs indigni ſimus, tuo tamen, vt digni efficiamur, chariſſima in Chriſto Domina, ſedulò confiſi ſuffragio,
Iac.1. illum gratiarum actione proſequimur, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendens, vtpotè à patre luminum, cui in anima tua dignè complacuit, & eā
Maxima laus Hildegardis. vero & inęſtimabili lumine ſuo illuſtrauit, cuius gratia pręueniente & ſubſequente collatum eſt ſanctæ deuotioni tuę, cū
Luc.10. Maria ad pedes Domini ſedere, & supernę Hieruſalem viſionibus vacare, Hæc manifeſta ſanctę conuerſationis tuę indicia & ſtupenda veritatis teſtimonia, ità animam noſtrā chariſſima in Chriſto Domina tuis iuſſiōibus, nè dicam precibus obligatam tenent, vt quicquid vnquàm ſanctis votis tuis accedere nouerimus, ad hoc cordis noſtri intentionem meritò inclinare debeamus: ſperantes, & ſummam, poſt Deum, in tua ſanctitate fidutiam habētes, nos ſanctiſſim. odoramento orationum

tionum tuarum, gratiam Dei præuenientem & ſubſequentẽ percipere, & hanc peccatricem animam noſtram, tuæ ſanctitatis interuentu, clementiam creatoris ſui, ſibi tandèm placitam inuenire. Indè eſt quòd ſuper tribulatione & afflictione, quam ex ſuſpenſione Diuinorum vnà tecum Sacer conuẽtus ſuſtinet, tanto arctiùs vobis condolemus, quanto euidentiùs innocentiam veſtram in hac parte perpẽdere valemus. Verùm quia conſtabat Eccleſiæ, ſepultum apud Eccleſiam veſtrã defunctum, in vita ſua Excommunicationis ſententiam incurriſſe, dum adhuc eidem Eccleſiæ de abſolutione ipſius incertum extitit, vobis interìm propter ſtatuta ſanctorum patrum (non euitanda) clamorem cleri declinare, & ſcandalum Eccleſiæ diſſimulare, periculoſum nimìs fuit, donèc idoneo teſtimonio bonorum virorum, in facie Eccleſiæ illum abſolutum fuiſſe comprobetur. Proindè veſtræ (vt dignum eſt) afflictioni ex intimo corde compatientes, Eccleſiæ Maguntinę reſcripſimus in hunc modum, vt ſi bonorum virorum veraci aſſertione, de abſolutione præfati defuncti ei oſtenſum fuerit, Diuina vobis officia celebrari præcipimus, rogantes & obnixè Sanctitati veſtræ ſupplicantes, quatenùs ſi ex culpa noſtra vel ignorantia vos in hac parte moleſtauimus, petenti veniam, non ſubtrahatis miſericordiam: & patrem miſericordiarum exorare dignemini, vt ſanos & incolumes nos veſtro ſancto conſpectui & Eccleſiæ Magũtinæ repræſentet, ad honorem Dei & Eccleſiæ veſtræ, & ſalutem animæ noſtræ. Cõſeruet nobis Dominus ſanitatem & ſanctitatem.

HERTVVIGVS BREMENSIS Archiepiſcopus, Hildegardi.

HIldegardi magiſtræ S. Roberti in Chriſto, Hertuuigus Bremẽſis archiep. & Richardis Abbatiſſæ frater, id quod eſt loco ſororis, & plùs q̃ ſororis, obediẽtiã.

Notifico tibi, ſororem noſtram illam meam, immò tuam, meam corpore, tuam anima, vniuerſæ carnis viam intrâſſe, & honorem quem ei cõtuleram, paruipendiſſe, dum ad regem terrenum iret, regi cælorum Domino ſuo obediſſe, & ſanctè & piè confeſſam fuiſſe, & inunctam oleo ſancto poſt confeſſionem, & habita plena Chriſtianitate, & clauſtrum tuũ ex toto corde lachrymabiliter deſiderâſſe, ſeq; Dño per matrem & Iohannem committens, & ſigno crucis tertiò ſignato, Trinitatem & vnitatem cõfitens in perfecta fide Dei, & ſpe & charitate, certi ſumus, 4. Calend. Nouemb. obijt. Rogo ergò te, ſi dignus ſum, quantùm poſſum, q̃tùm te dilexit, eam diligas: & ſi in aliquo deliquiſſe videtur, cùm ex ea non fuerit, ſed ex me, ſaltẽ lachrymas eius, quas pro receſſu clauſtri iſtius effudit, quarum multi teſtes ſunt, attendas: & niſi mors impediuiſſet, vix habita licentia ad te veniſſet: & q̃a morte detenta eſt, me pro ea vẽturum, ſi Deo placet, ſcias. Sed Deus qui remunerator omnium bonorum eſt, de bonis quę ſibi exhibuiſti ſola inter omnes, & ſuper omnes tam cognatos quàm amicos, de quibus Deo & mihi gratulabat̃, hìc & in futuro ad omnem voluntatem tuã te remuneret. Sororibus tuis de om̃ibus benefactis ſuis gratias referas.

RESPON. HILDEGAR.

QVi in primo die te vidit, & oculos tibi ad videndũ cum volantibus pennis om̃is creaturę dedit, & qui hominem ſpeculũ in plenitudine omniũ miraculorum ſuorũ fecit, vt ſciẽtia Dei in illo clareat, ſicut

ſcriptum

ſcriptū eſt, quoniam dij eſtis, & filij excelſi omnes: ille ad te adſpiciat, & te ad ipſius voluntatē dirigat. Homo tangit Deum, qui nec initium nec finem habet, vbi rationalitas in hoīe Deū imitatur, & ſcientia boni & mali Deum oſtendit. Sic eſt rota æternitatis. Ipſe etiàm Deus faciat, vt malū illud fugias, quod in primo die incepit, & bona voluntate caret, & quod Deo ſemper contradicit. Faciat etiàm in te feneſtras, quæ in cæleſti Hieruſalē luceant, q̃ ſunt pulchra ædificia in virtutibus, & faciat te volare in amplexibus charitatis Dei, ſicut ille dixit, quē Deus perfuderat: Qui ſunt hi qui vt nubes volant, & quaſi colūbæ ad feneſtras ſuas? Et iterùm: Ego paupercula forma vidi in te lumē ſaluationis. Nunc p̄cepta Dei imple, q̃ gratia ipſius tibi dat, & q̃ Spiritusſanctus te docet. Sed & in Spiritu myſtici doni tibi dico: Tu es laudabilis perſona, q̃ neceſſaria eſt homini, habens in altiſſimo Deo ſucceſſionē, quod eſt pontificale officiū: ideò oculus tuus Deū videat, ſenſus tuus iuſtitiā eius intelligat, & cor tuū in amore Dei valdè ardeat, vt aīa tua nō deficiat, ſed ſit in ſummo ſtudio ędificare turrim cęleſtis Ieruſalē, & Deus det tibi adiutricē, videlicet dulciſs. matrē miſericordiā. Eſto etiàm lucida ſtella, lucens in tenebris noctiū prauorum hoīm: & velox ceruus, currens ad fontē aquę viuę. Reſpice quia in hoc tēpore multi paſtores ſunt cæci, claudi, & raptores pecuniæ mortis, ſuffocantes iuſtitiam Dei. Sed Deus ſciēs omnia, ſcit vbi paſtoralis cura vtilis eſt. Ideò fidelis homo non circueat quęrens p̄lationē. Quòd ſi quęſierit, in inquieta mente ſua poteſtatē magìs voluptate appetens, q̃ voluntatem Dei inſpiciens, lupus rapax in perſona ſua eſt, & aīam ipſius nunq̃ quærit ſpiritalia, ſed ibi ſimonia eſt. Vndè & in ſpiritu tibi dico: O q̃ magnum miraculū eſt in ſaluatione animarum hoīm illorū, qui in p̄latione abſq; Simonia ſunt, quos Deꝰ ità inſpicit, ꝙ gloria eius in ipſis nō obumbratur: ſed facit in ipſis

Pſalm. 81.

Eſa. 60.

velut fortis bellator, qui hoc ſtudet, nè ab vllo ſuperetur, ſed vt victoria ipſius ſtabilis ſit. Nũc audi: Sic factũ eſt in filia mea Richardi, quã filiam meã nomino, quia plena charitas in aĩa mea fuit ad ipſam, quoniã viuens lux in fortiſs. viſione docuit me ipſam amare. Audi: Deus eam in hoc zelo habuit, quòd voluptas ſeculi illã amplecti non potuit: ſed contra eam pugnauit, quãuìs ipſa velut flos in pulchritudine & decore in ſymphonia huius ſeculi appareret. Sed dum ipſa adhuc in corpore viueret, audiui de ipſa in vera viſione dici: O virginitas, in regali thalamo ſtas. Ipſa enim in virginea virga in ſanctiſſimo ordine ſocietatẽ habet, vndè filiæ Sion gaudent. Sed tñ antiquus ſerpẽs voluit eã à beato honore retrahere ꝑ altã generoſitatẽ humanitatis. Sed ſummus iudex traxit hanc filiã meã ad ſe, abſcindens de illa omnẽ humanã gloriã. Vndè aĩa mea magnã fidutiam habet in ea, quanuìs mundus pulchram formã & prudentiã ipſius, dum in corpore viueret, diligeret. Sed Deus illam plùs dilexit. Idcircò noluit Deus amicã ſuam dare inimico amatori, i. mundo. Nunc tu ô chare ſedens in vice Chriſti, perfice voluntatem aĩę ſororis tuæ, quoniam poſtulat neceſſitas obedientiæ. Et vt ipſa ſemper ſolicita fuit pro te, ità & tu nunc eſto pro aĩa ipſius, & fac bona opera ſecundũ ſtudiũ ipſius. Vndè & ego abijcio dolorẽ illum de corde meo quem mihi feciſti in hac filia mea. Deus cõcedat tibi per ſuffragia ſanctorũ, rorẽ gr̃ę ſuę & beatã remuneratione in futuro ſeculo.

ARNOLDVS COLONIENSIS Archiepiſcopus, Hildegardi.

ARnoldus D. g. Colonienſis Archiepiſcopus, Hildegardi lucernę ardenti in domo Domini, de monte ſancti Roberti, in protectione Dei cæli commorari. Pſalm. 90.

ri. Si benè valetis, & omnia quæ circa vos ſunt, diriguntur à Domino, congaudemus. Sed & nos meritis veſtris valemus. Quia enim vti iam diù diſpoſuimus, ad vos minimè venire valemus, inquantùm inpręſentiarùm poſſumus, nos vobis committimus, manus noſtras in veſtras damus, fidem fide coniungimus, totum nos vobis commendamus. Prætereà librum quẽ ipſa Diuino ſpiritu inſpirata ſcripſiſtis, remota omni occaſione, quia nec volumus nec poſſumus eo carere, ſi imparatus ſiue non, per pręſentium portitorem nobis tranſmittere nõ dubitetis: vbi DEVM tentare nolumus, ſed vbì mirabilia eius videre deſideramus.

RESPON. HILDEGAR.

IN vera viſione hæc vidi, audi ergò. Quendam hominem in valle cuiuſdam magni mõtis video ſtantem, qui optionem in guſtu animæ ſuæ habet. Et idem homo mittit optionem quam habet, in altitudinem eiuſdem montis, & aër ipſius mõtis illam ſuſcipit, ità quòd inde igneum colorem accipit, ſicut oleum quod ab igne accenditur. Sed mundæ aues quę ab immundis ſeparatæ ſunt, veniunt, & aërem illum in alas ſuas ſuſcipiunt, & indè celeres in volatu ſuo fiunt. Quod nobiliſſ. pater videns, dicit: Vndè venitis? Quæ reſpondent: Quidam alienus homo in valle montis ſtans, ſuauiſſ. ventum in altitudinem ipſius ad nos miſit, & indè veloces factæ ſumus ad volandum ad te. Et idem paterfamiliâs ad eas dicit: Iſte homo, quanuis à longè ſtet à me, tamẽ propter curſum, quo vos ad me miſit, volo illum amare. Qui autem benè vult vigilare, hunc intellectum percipiat. Deus multotiès propter orationes ſanctorum, de lupis agnos facit,

Oratiões ſanctorũ quid poſſint.

ſicut etiàm de peccatoribus iuſtos. Vndè & qui omnia nouit, dicit: Vide nè Deum in ſpelũcis latronum ames, & nè ipſum in vanitatibus nomines, ità quòd Deum tantùm in verbis inuoces, & non in operibus. Qui in verbo loquitur, illi reſpondebo: Qui autẽ in prouerbijs mihi loquitur, illi alienus ſum. Nam contumaciam deleo, & contradictionem illorum, qui me contemnunt, per memetipſum contero. Væ væ malo iniquorum ſpernentium me. Hoc audi ô homo, ſi viuere vis, alioquin gladius meus percutiet te: Nunc autem ô paſtor populi tui, ego paupercula ſcripta veracium viſionum iſtarum tibi miſi, ſicut petiſti, nihil humani ingenij & propriæ voluntatis meæ continentia, ſed quæ indeficiens lumen compoſitione ſua, & eiſdẽ verbis manifeſtare voluit, quomodò ſibi placuit, cùm nec ipſum quod tibi ſcribo, ingenio meo, nec vllo humano arbitrio, ſed ſuperna oſtenſione compoſitum ſit.

ARCHIEPISCOPVS IVVAuenſis, Hildegardi.

i. Salsburgeñ.

IVuauenſis Eccleſiæ DEI gratia miniſter & Archiepiſcopus, licèt indignus, Hildegardi ſorori & magiſtræ de S. Ruberto in Pingis, quidquid valet peccatoris oratio, & poſt huius carnis trophæũ, ad amplexus cæleſtis ſponſi cum prudentibus virginibus introire.

Mat. 25.

Ego peccator in valle lachrymarũ poſitus, multis ſeculi turbinibus & procellis attritus, intùs timores, foris pugnas paſſus, obnixè tuam poſtulo dilectionem, vt pro me preces fundere digneris, quatenùs Diuina miſericordia ſuæ pietatis viſcera ſuper me aperiat, & ab omnibus tribulationibus clemẽter eripiat, quia & imperator pro ſchiſmate, quod nũc

2. Cor. 7.

in

in Eccleſia eſt, nobis vim inferre conatur. Meminiſſe etenim debet charitas tua, virgo DEO digna, quia cùm eſſem apud Mogũtiam in curia eiuſdem imperatoris, ſanctis orationibus tuis attentiùs me commendaui, pro eo, vt per tuam interceſſionem ſtatus vitæ meæ profectum haberet in Domino & felicem cõſummationem. Vndè etiàm pollicita es paruitati meę, vt acceptis literis meis, ſecundùm quod Dominus dignaretur tibi reuelare, nõ graueris mihi reſcribere. Huius pollicitatiõis debitũ requirit paruitas mea à tua ſanctitate. Vale virgo Dei, & memento mei. Quidquid tamen illud eſt quod reſcribis, pone ſub ſigillo.

RESPON. HILDEGAR.

O Tu perſona, quæ in vice filij Dei viuentis es, ſtatum tuum nunc video, velut duos parietes quaſi angulari lapide cõiunctos, quorum alter vt candida nubes appáret, alter aliquantulùm vmbroſus: ſic tamen, quòd nec candor ille huic vmbroſitati, nec eadem vmbroſitas huic candori ſe intermiſcet. Parietes iſti, labores tui ſunt, animo tuo coniuncti, vbì ex altera parte intẽtio & ſuſpiria tua per anguſtam viam ad DEVM in candore anhelant, & ex altera circuitus laboris tui aliquantùm in vmbroſitate ad populum tibi ſubiectum pertinet, ità tamen, quòd candorem intentionis tuæ velut domeſticum habes, & vmbroſitatẽ ſecularium laborum velut quoddam tibi alienũ inſpicis, nec hæc tibi intermiſceri permittis, & ideò fatigationem in animo tuo frequenter habes. Nam intentionem tuam ad Deum, & laborem tuum ad populum, non habet velut vnum: ſed cùm bona intẽtione ad cæleſtia anhelas, & cùm populum in Deo procu-

☞ procuras, in vna mercede cõiungi poſſunt: Sicut & Chriſtus cæleſtibus inhæſit, & tamen ad populum ſe inclinauit, vt
Pſal. 81. Ioan. 10. ſcriptum eſt: Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Dij ſcilicet in cęleſtibus, & filij excelſi in procuratione populi. Tu ergò, ô pater, labores tuos fonte ſapientiæ perfunde, quem duæ filiæ hauſerunt, quæ regalibus circũdatæ ſunt veſtibus, videlicet charitas & obedientia, quoniam Sapientia cum charita-
Eccl. 24. te omnia ordinauit, plurimos riuulos educendo, vt dicit, Gyrum cæli circuiui ſola. & quia Deus homini per obedientiam præceptum dedit, veſtimentũ quidẽ charitatis eſt, quod vultũ Dei in angelico ordine adſpicit: ſed veſtimentũ obediẽtię, circumamictio humanitatis Domini eſt. Iſtę puellæ ad ianuã tuã pulſant, & charitas ad te dicit: Tecũ manere deſidero, & volo vt in lectum ſtrati tui me ponas, & in diligenti amicitia me habeas. Nã quandò vulnera cum miſericordia tãgis & tergis, in lecto tuo iaceo: & quãdò ſimplices & benè viuentes cum beneuolentia in Deo tenes, in diligenti amicitia tua ſum. Sed & obedientia ad te dicit: Tecum maneo propter ligaturam legis & præceptorum Dei. Ergò ſtrenuè & in forti vi me tene, non vt villicum, ſed vt chariſſ. amicam. Nã in initio baptiſmi me ſuſcepiſti, & in aliqua progreſſione tua me tenuiſti, ſcilicet in diſciplina ſubiectionis, & in prælatione vbi præceptis Dei obedîſti. Charitas eñ materia mea eſt, & ex illa orta ſum. O pater, ſapientia verum tibi dicit: Eſto ſimilis patrifamiliâs, qui ſtultitiam filiorum ſuorum inuitè audit: & tamen prudentiam ſuam non deſerit, velut etiàm ego cæleſtia & terreſtria in vtilitate populi in vnum coniungo. Tange ergò & tinge vulnera & ſimplices & benè viuentes, atque gaudium in vtraque parte habe, DEO adiuuante. Nunc ô pater, ego paupercula forma video quia voluntas tua ianuam virtutum optat, quæ tibi veniet, ità quòd in iſtis virtutibus molendinum

dinum finis corporis tui complebis. Qui eſt, & qui omnia
perſcrutatur, animam & corpus tuum in ſalute ſua tenet.

HILLINVS TREVIRORVM ARchiepiſcopus, Hildegardi.

HIllinus Dei gratia Treuirorum humilis mini-
ſter & ſeruus, ac eorũdẽ archiepiſcopus, licèt
indignus, Hildegar. chariſſ. ſorori agnum & Apo. 14.
ſpõſum ſequi quôcũq; ièrit. Quoniã Dei ſa-
pientia quæ infirma mũdi eligit, vt fortia cõ- 1.Cor.1.
fundat, iocundũ tibi habitaculum in tua vir-
ginitate eligere complacuit, lucis ſuę gratiã in ſpiritu conſilij
& ſciẽtiæ amplioris in te largiùs effudit. cuius, vt arbitror, lu-
cis effuſione etiàm aliorum mentes ad ſtudia meliora & ſaluti Heb.6.
viciniora excitari voluit & illuſtrari, te mediante, mater vene-
renda, & ſinceriſſ. charitate amplectẽda. Supereſt igitur virgo
Chriſti dilectiſſima, verę vitis, cuius ſub vmbra quieſcis, cuius Ioan. 15.
fructus gutturi tuo dulcis & amplexabilis, veræ, inquã, vitis Cant.2.
propagines in hoc mare procelloſum latiùs extendere, cęleſtis
poculi, quo inebriaris, dulciſſimũ ſaporem ad lucra animarũ Can. 5.
quaq; uersùm propẽſiùs deriuare, quæ gratìs accepiſti, gratìs Matt.10.
dare, nè fortè arguaris lucernã, ad vtilitatem proximorum ac- Matt.5.
cẽſam, ſub modio abſcõdere voluiſſe. Rogo ergò mater ſancta, Lu.8.& 11.
cum cęteris ad portũ conſolationis tuę cõfugientibus, ſpe de-
ſiderij mei vberrima fretus, rogo, inquã, & cõteſtor viſcera tua
materna, per ſanctã charitatem, quatenùs de cella illa regis vi- Can.2.
naria (cuius voluptatis abundantia etiàm in hac vita mirabi-
liter debriaris) guttas aliquas ad me peccatorẽ, per præſentiũ
latorem, ſtillare ſcripto digneris: tum propter eum, qui tibi ea
poſſe pręſtitit, tũ ea propter, vt veritatis experientia cõprobet,

quod quorũdam auribus, de gratia tibi cęlitùs infuſa, rumor dubitanter infert. Ille igitur qui cœpit in te bonum opus, cõſummet in vita viuentium.

Phil. 1.

RESPON. HILDEGAR.

SApientia ſonat, dicens: Nunc ſqualidũ tempus muliebris formæ eſt, Oi, Oi, Adam nouum teſtamentũ om̃is iuſtitiæ, & radis om̃is ſeminis hominum fuit. Poſteà in genere ipſius virilis animus ſurrexit, qui inter turmas exijt, velut arbor quę ſe in tres ramos extendit. Prima turma talis erat, ꝙ filij Adæ elegerũt quicquid poſſibilitas eorum habuit. Secunda, ꝙ homines in temeritate homicidij ſurrexerunt. Tertia verò, ꝙ fecerunt quicquid in idolis & ſimilibus erroribus voluërunt. Nunc arbor hęc arida eſt, & mundus in multis periculis euerſus eſt. Tempus enim iſtud, ad tempus iſtud reſpicit, quãdò prima mulier nutum primo viro in deceptione fecit. Sed tamen vir plures vires habet, q̃ mulier perficere poſſit. Mulier aũt eſt fons ſapiẽtię & fons pleni gaudij, quas partes vir ad perfectum ducit. He He, tempus hoc nec frigidum, nec calidũ eſt, ſed ſqualidũ. Poſt hęc tempus veniet, quod in magnis periculis, in timore, iniuſtitia & ferocitate virorum viriles vires proferet. Deindè error errãtium errorum flabit, ſicut quatuor venti, qui in magnis periculis famã ſuam effundunt. Nunc autem ô paſtor audi, quia gratia Dei in vanum te non conſtituit, vndè iuſtitiã ipſius contine. Cùm bona opera facis, citò fatigaris: cùm verò ad ſymphoniã vocaris, ità ꝙ ad orationem conſiſtis, ilicò areſcis. He He, qui in vice Chriſti es, iterùm audi: Quidã rex quandam vrbem in magnis honoribus habuit, quam tribus viris de ſuis hominibus commenda-

Gen. 3.

mendauit, ità vt curam illius in cuſtodia haberent. Primo autem turrim, Secundo planitiem vrbis, Tertio murum ipſius cum propugnaculis commiſit. Tu in turrim poſitus es, populus tuus in planitiē vrbis, clerus autē tuus ſuper murum eius cum propugnaculis. Quòd ſi murus vrbis impugnabitur, & planities eius deprędabitur: tu autē turrim eius cuſtodi, & talis eſto, nè tota vrbs deſtruatur, & nō diſſipabitur. Species columbæ te docet, & verbum Dei non caret in te ſcientia. Nūc ergò vigila, & in virga ferrea conſtringe: doce, & vulnera tibi commiſſorum vnge, & in æternum viues.

Apoc.3.
Pſal. 2.

EBERHARDVS BAMBERGENſis Epiſcopus, Hildegardi.

EBerhardus Dei gratia Bambergeñ Eccleſiæ Epiſcopus, licèt indignus, Hildegardi venerabili ſorori & magiſtrę de S. Roberto, deuotæ deuotionis obſequiū & ęternę beatitudinis meritū. Superna fauente gratia, tuæ ſanctitatis pręconiū, circunquaquè auribus populorū dulciter reſonat, ità vt verè poſſimus dicere, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo: Sed &, quoniam Dominus de cęlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi quis intelligat, aut fortè habitātem in te requirat. Huius bonę opinionis tuę flagrantiā odorati, ad Dn̄m qui in te veneratur & conſulitur, ex toto corde occurrimus. Quod em̄ multis pręſtitiſti, vni mihi nō denegabis. Nā cùm de curia imperatoris per te trāſiremus, quia ſpirituſancto imbuta es, tuę charitati exponendū cōmiſimus. In patre manet ęternitas, in filio æqualitas, in ſpirituſancto æternitatis æqualitatisq; cōnexio: quod & nunc ſecūdùm quod Deus tibi reuelauit, expoſitum videre deſideramus. Dominus tecum ſit, & vt nos orationibus tuis adiuuemur.

2.Cor.2.
Pſal.13.

RESPON. HILDEGAR.

Exo. 3. QVi eſt, & quem nihil latet, dicit: O paſtor, nō
areſcas in dulci fluento odoris balſami, quod
eſt viredo, quæ præbenda eſt ſtultis mētibus,
quæ non habent vbera maternę miſericordię
quę ſugant. Quæ hæc non habent, deficiunt.
Prębe ergò tuis lampadem regis, nè aſperitate
diſpergantur, & ſurge viuens in lumine. Nunc ô pater, ego
paupercula ad verum lumen proſpexi, & ſecundùm quod ibì
in vera viſione vidi & audiui, quod tibi exponi petîſti, ità ex-
poſitum, non verbis meis, ſed veri luminis, cui nunquàm vllus
defectus eſt, in hunc modum tranſmitto: In patre manet æter-
nitas, hoc eſt, Aeternitati patris nec abſcindēdum nec adden-
dum eſt, quia æternitas manet in ſimilitudine rotæ, quæ nec
incipit, nec finem habet. Sic in patre eſt æternitas ante omnem
creaturā, quia ſemper & ſemper æternitas fuit. Et quę eſt ęter-
nitas? Deus eſt. Aeternitas aūt non eſt æternitas, niſi in perfe-
cta vita. Ideò Deus nunc in ęternitate. Vita autem non proce-
dit de mortalitate. Sed vita eſt in vita. Arbor enim non floret
niſi de viriditate, nec lapis eſt ſinè humore, nec vlla creatura
ſinè vi ſua. Ipſa enim viuens æternitas, non eſt ſinè floriditate.
Quomodò verbum patris omnem creaturam in officio ſuo
protulit, Et ſic pater in fortiſſima vi ſua ocioſus non eſt. Vn-
dè Deus pater nominatur, quoniam omnia ab eo naſcuntur.
Et ideò etiàm in patre manet æternitas, quia ipſe ante princi-
pium pater fuit, & æternus ante inceptionem fulgentiū ope-
rū, quæ omnia in p̄ſcientia æternitatis apparuerūt. Quod aūt
in patre manet, hoc ità nō eſt, ſicut cauſa in homine eſt, q̄ ali-
quādò dubia eſt, aliquandò p̄terita, aliqn̄ futura, aliquādò no-
ua, aliquādò vetus: Sed ſemper ſtabile, quod in patre eſt. Pater
cla-

claritas eſt, & illa claritas ſplendorem habet, & ſplendor ille ignem, & vnum ſunt. Quiſquis hoc in fide non habet, Deum non videt, quia ab eo abſcindere vult quod eſt, quoniam Deus diuidendus non eſt. Opera etiàm quæ Deus condidit, integram proprietatem nominum ſuorum non habent, quandò homo illa diuidit. Claritas eſt paternitas, ex qua omnia naſcũtur, & quæ omnia circundat, quia de vi ipſius ſunt. Nam & eadem vis hominem fecit, & in ipſum ſpiraculum vitæ miſit. Sed & homo in eadem vi efficacem effectum in ſe habet. Quomodò? Caro de carne, & bonũ de eo quod bonum eſt, in bona fama emittitur, & in bono exemplo in alio homine augetur. Iſta & carnaliter & ſpiritaliter in hoĩe ſunt, quia aliud de alio procedit. Homo vtilia opera ſua valdè diligit, quia de ſcientia ſua in actu ſunt. Sic & Deus vult, vt & ſua vis per oĩa genera ſua ſe oſtendat, quia opus eius ſunt. Et ſplendor oculos dat, & ſplendor ille filius eſt, qui oculos dedit, cùm dixit, Fiat. Tunc om̃ia in viuenti oculo corporaliter apparuerunt. Et ignis hæc duo vocabula penetrat, qui Deus eſt, quia poſſibile non eſſet, vt claritas ſplendore careret. Et ſi iſte ignis deeſſet, claritas non clareſceret, nec ſplendor fulgeret. Is igne enim flamma & lumen latent: alioquin ignis non eſſet. In filio æqualitas. Quomodò? Omnes creaturæ ante æuum in patre fuerũt, ipſo eas in ſemetipſo ordinante, quas poſteà filius perfecit in opere. Quomodò? Scilicet, ſicut homo q̃ in ſemetipſo ſcientiam magni operis habet, quod poſteà in verbo ſuo profert, ità vt illud in bono rumore procedat. Pater ordinat, filius autem operatur. Nam pater omnia in ſemetipſo, omnia ordinauit, & filius ea in opere compleuit. Et lumen eſt de lumine ante ęuum in æternitate, quod erat in principio, & hoc eſt filius, qui ex patre ſplendet, & per quem omnes creaturæ factæ ſunt. Et etiàm filius tunicam induit de homine, quem

Gen. 2.

Gen. 1.

de limo formauerat, quæ ante corporaliter non apparuerat. Sic Deus omnia opera ſua coram ſe, vt lumen vidit, & quandò FIAT dixit, vnumquodque ſecundùm genus ſuum tunicam induit. Tunc Deus ad opus ſuum ſe inclinauit: & ſic in parte iſta æqualitas etiàm ad hominē in filio Dei manet, quoniam ipſe humanitatem induit, ſicut & opera Dei corpora ſua induerunt. Deus enim omnia opera ſua pręſciuit, quę patrauit, vndè in humilitate humanitatis ad hominē ſe inclinauit, quia Diuinitas tam perfecta eſt, quòd nihilo in homine non parceret, quod contra bonum pugnat, niſi humanitatem induiſſet, quoniam omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil. Omnes enim res viſibiles & palpabiles atq; guſtabiles, per ipſum factæ ſunt, & has omnes in aliqua neceſſitate hominis præuidit, quaſdam ſcilicet ad amplexionem charitatis, quaſdam ad timorem, quaſdam ad diſciplinam, quaſdam ad cautelam cuiuſque cauſæ. Et ſinè ipſo factum eſt nihil: hoc nihil, ſuperbia eſt. Illa enim, opinio eſt, quę in ſe reſpicit, & quę in nullum confidit. Nam ipſa vult, quod Deus non vult: & ſemper hoc computat, quod ipſa conſtituit: & tenebroſa eſt, quia lumen veritatis deſpexit, & incepit quod perficere non potuit: vndè nihil eſt, quia à Deo nec facta, nec creata eſt. Ipſa in primo angelo incepit, cùm ille fulgorem ſuū inſpexit, & opinionem inijt, & non vidit de quo eundem fulgorem haberet: ſed in ſeipſo dixit, Dominus eſſe volo, & aliū nolo. Sic gloria eius ab ipſo euanuit, & eam perdidit, & princeps gehennæ factus eſt. Tunc Deus alio filio ſuo gloriā illius dedit, qui in tam robuſta vi factus eſt, quòd omnes creaturæ ipſi aſſunt: & qui etiàm in tam forti vi conſtitutus eſt, vt gloriam illam per omnia non perderet. In illa enim maledictione qua Diabolus Deum noluit, ſtultitia in homine, Deo in honore ſimilis eſſe deſiderauit, ſcilicet vt Deus eſt. Sed tamē illū

Ioan. 1.

Eſai. 14.

amorē, quòd Deum eſſe ſciuit, non amiſit. Vndè materia Diaboli omninò tenebroſa eſt, quia claritatē Dei eſſe noluit. Adã claritatē Dei eſſe voluit, ſed in ſocietate eius eſſe deſiderauit, vndè perfectus in materia ſua eſt, quoniam aliquid lucidi, ſed tamen plenus multis miſerijs, eſt. In Spiritu ſancto, ęternitatis æqualitatisq; connexio. Spiritusſanctus igneus eſt, & nō extinguibilis ignis, qui interdùm per flagrãtiam appáret, & interdùm extinguitur. Ipſe enim Spiritusſanctus ęternitatem & æqualitatem perfundit & connectit, ità vt vnũ ſint, ſicut homo manipulum conſtringit: quia ſi manipulus nō conſtringeretur, manipulus non eſſet, ſed diſpergeretur: & ſicut faber duas vires æris cum igne in vnum coniungit. Vndè eſt ſicut verſatilis enſis, qui vndiq; vibratur. Spiritusſanctus æternitatē oſtendit, æqualitatem accendit, ità ꝙ vnum ſunt. Spiritusſanctùs ignis & vita in æternitate & æqualitate iſta eſt, quia Deus viuit. Sol enim candidus eſt, & lumen eius flagrat, atque ignis in eo ardet, qui totum mundum illùminat, & vna rota appáret. Sed quælibet cauſa, in qua nulla vis eſt, mortua eſt, ſicut abſciſſum lignum ab arbore aridùm eſt, quia viriditatē non habet. Spiritusſanctus enim eſt ſolidamentum & viuificatio. Nam æternitas non eſſet æternitas ſinè Spiritusſancto. Aequalitas quoq; non eſſet æqualitas ſinè Spiritusſancto. Et Spiritusſanctus in ambobus eſt. & vnum in Diuinitate vnus Deus eſt. Rationalitas etiàm tres vires habet, ſ. ſonum, verbũ, ſufflatũ. In patre filius eſt, vt verbũ in ſono, Spiritusſanctus in vtroq;, vt ſufflatus in ſono & verbo. Et hæ tres ꝑſonæ, vt præfatum eſt, vnus Deus ſunt. In patre æternitas, quia nullus ante illũ, & ęternitas non incepit, ſicut opera Dei principiũ habēt. In filio aũt ęqualitas, cũ fili⁹ de patre nunꝙ̃ abſceſſit, nec pater filio caruit. Sed in Spũſancto cōnexio, quia fili⁹ in patre ſemꝑ manſit, & pater cum filio: qm̃ Spiritusſanctus in eis ignea vita eſt,

ta eſt, & vnum ſunt. Et ſcriptum eſt, Spiritus Domini reple-
Sap. 1. uit orbem terrarum. Hoc eſt, omnes creaturæ quæ videntur & non videntur, ſpiritali vita non carent, & quas homo non cognoſcit. Nam de viriditate flores, de floribus fructus pomorum ſunt. Nubes etiàm curſum habent. Luna quoquè & ſtellæ cum igne flagrant. Ligna per viriditatem flores educunt, aqua tenuitatem & ventum mundando & riuulos educendo habet. Terra etiàm humiditatem cum ſudore habet: Nam oēs creaturę habent quod videtur, & quod non videtur. Quod videtur, debile eſt: & quod non videtur, forte & vitale eſt. Hoc intellectus hominis quærit vt cognoſcat, quoniam illud non videt. Hæ ſunt vires operum Spiritusſancti. Et hoc quod
Sap. 1. continet oīa. Quid hoc eſt? Homo cōtinet omnia. Quomodò? Dominando, vtendo, iubendo. Hoc Deus illi ſecundùm ſe donauit. Scientiam habet vocis. Hoc eſt rationalitas q̄ cum voce ſonat. Vox eſt corpus, rationalitas anima, calor aëris ignis, & vnum ſunt. Ideò qñ rationalitas dictando creando per vocem auditur, oīa opera ipſius perficiunt̄, & per hoc adeſt ei creare: quia vt iubet, ſic erit. Ideò oīa opera Dei inania nō ſunt. Nā ſi quiſpiam vas plenum pecunia haberet, magnum gaudium indè teneret. Sed ſi in vaſe nihil eſſet, pro minimo illud haberet. In prauis operibus inanitas eſt, & fugiūt ignem Spiritusſancti. Tunc adeſt eis delectatio peccandi, de ſuggeſtione Diaboli. Cùm autem homo praua opera ſua pro nihilo computat & cognoſcit, & tamen ab eis reuerſionem facit, ſimilis eſt peregrino filio, qui poſt famem ſuam, panis patris ſui recordatus
Luc. 15. eſt, & dixit: Pater, peccaui in cælum & coram te: in cęlū, quia in ratiōalitate cæleſtis ſum: & coram te, quia te DEVM ſcio. Tunc diabolum repudiat, & denuò Dominum ſuum eligit. Indè omnia vitia Diaboli confunduntur, & omnes cæleſtes harmonię mirantur: quia quod in inutilitate lutum priùs cōputa-

puta-

putabant, in principali vtilitate columnam nubis poſteà vident: qa quæ vilia viderunt, poſteà pulchriora eligunt, quoniam omnia vitia Diaboli pro nihilo computant, (in ipſis enim prauis operibus vtilitas non eſt) ſed vtilitatem in bonis operibus faciunt. Hæc ſunt opera Spiritusſancti. Nunc ô paſtor & pater populorum, Deus tibi det, vt ad lumen illud peruenias, vbì ſcientiam veræ beatitudinis accipias.

EPISCOPVS SPIRENSIS, Hildegardi.

GVnterus D. g. Spirenſis Eccleſiæ miniſter & Epiſcopus, Hildegardi Magiſtræ de monte S. Roberti in Pingis, Sal. æter. in Chriſto. Quòd bonus odor es tam remotis quàm vicinis, & de Spiritusſancto ſolamen omnibus te quærentibus, Diuinæ pietati gratias referimus. Vndè & certum habere dicitur dilectio tua, quòd honorem & vtilitatem Eccleſiæ tuæ libenti animo videmus, & modis omnibus quibus voluntatem veſtram in prouectum eiuſdem Eccleſiæ tuæ effectui mãcipare poterimus, libenter faciemus. Rogamus autem intimè ſanctitatem tuam, quatenùs pro dilectione noſtra DEVM pro nobis interpellas, & orationibus tuis eum nobis placabilẽ facias, & ſcias omni ambiguitate remota, quòd ſi Deus vitam nobis conceſſerit, non carebis honeſta remuneratione. Nam iuſtum eſt vt orationum tuarum ſuffragia nobis impendas, ſicut & nos de neceſſitate tua ſolicitamur. Reſcripta quoquè tua ad nos deſideramus.

RESPON. HILDEGARD.

LVx ſummæ inſpirationis,ô homo,tibi dicit: Admonitionem Spirituſſancti,qui in te aſſcendit,nè abſcindas à te per malā conſuetudinem operum tuorum, quia Deus requirit in te,quod olim attendit perditam ouem reducere,quandò crimina hominum abſterſit. Et antiquus illuſor confuſus eſt,cùm eum fortiſs.bellator ſuperauit.Deus ꝑ feneſtras adſpicit ad te,quia pius & miſericors eſt.Hoc nullus homo derideat per vllam opinionem volũtatis ſuæ.Audi,hanc cauſam admonitionis noli abſcindere à te, nè Deus te percutiat per flagella ſua. Quoniam vult in zelo ſuo hanc inimicabilē cauſam proſternere,quòd ſodales ipſius per ſocios ſuos ipſum in oſtenſione ſua derident. Vndè arcum admonitionis ſuæ vibrat,demonſtrans quia nullus ei reſiſtere poſſit.Vndè tu homo,qui multa nigredine inuolutus es, ſurge citiùs ad ruinam,& ædifica in cęleſtibus,vt nigri & ſordidi erubeſcant in tua exaltatiõe, cùm ſurgis à nigredine tua,quia anima tua vix viuit propter opera tua.Tu autē adſpicis quaſi per figuram ad aliam vitam,quę intentio fulget in te ſicut aurora lucis.Mens tua cribrat & excutit ſe in magnis tormētis, vbi pinguis natura te affligit in tortuoſis deſiderijs.Hunc humorem euade.Audi homo: Vir quidam terram habuit, q̃ magnam vim in ſe oſtendit, quandò aratrum ipſam euertit, ità quòd multo germine protulit quenque fructum, qui in ipſa ſeminabatur.Tunc placuit viro huic, vt in terra illa hortum aromatum faceret, & in eo creſcerēt aromata in ſuauiſs.odore ad medicinam vulnerum & cicatricum. Et terra illa melior effecta eſt, quàm priùs fuiſſet.Nunc tu ô homo elige,quid in his duabus partibus tibi vtilius ſit. Fundamentum enim cęleſtis Ieruſalem poſitum eſt primùm de iſtis lapidibus, qui in magnis caſibus vulnerati erant, & in cicatricibus vitiorum

pollu-

polluti,qui poſtmodùm crimina ſua opprimunt in pœnitentia.Faber mundi,fundamentum iſtud primum de rugoſis & impolitis lapidibus poſuit.Et lapides iſti totam ciuitatem Dei ſuſtentant.Ideò fuge laſciuiam huius mundi in naufragio immunditię,& eſto ſimilis ſardio & ſimilis topazio,& velox ſicut ceruus haurire in lingua puriſſimum fontem, & viues in æternum.

EPISCOPVS VVORMATIENſis, Hildegardi.

CVnradus Dei gratia Vuormatienſis Eccleſiæ (indignus licèt) Epiſcopus, Hildegardi dilectæ Sorori de monte S.Roberti, cum heu parua orationum exhibitione, ſuauem in omni obſequio deuotionem. Deo gratias agimus, qui te lucernam clariſſimā aureo candelabro impoſuit, & lucis ſuæ claritatem longè lateque per tę in domo ſua clareſcere fecit. Quapropter Soror & filia dilectiſſima, ex radijs,quibꝰ te ſolē iuſtitiæ indubitāter illuminare credimus, nubila mentis noſtræ, quæ nos opprimunt,ex incongruenti tribulationum turbine & diuerſarum cogitationum inundatione, depelli obnixè exoramus.Plurima quidem ſanctitati tuæ, neceſsè haberemus inſinuare, ſi prolixitas verborum tibi ea explicare non obſtitiſſet.viua autem voce per pręſentem latorem tibi pręſentialiter loquimur, & reſponſum admonitionis tuæ toto çorde efflagitamus.

RESPON. HILDEGAR.

TV perſona es ſedens ſuper cathedram Chriſti,
& virgam ferream in manu tua habes ad regendum oues tuas. Adſpice ad ſolem iuſtitiæ,
& ad plurimas ſtellas, quæ ſunt genera virtutum, vt non deficias in cibo vitæ: quia bonus
paſtor eſt, qui ſemper in bonis operibus floret, & qui in recta viriditate oues ſuas paſcit. Hoc tibi det, qui
Gene.1. in prima die ſonuit, & in cuius verbo omnis creatura proceſ-
1. Cor. 15. ſit, & qui in nouiſſ. die tuba canet, ità quòd omnes filios hominum ſuſcitabit. Nam quidam homines iuſtè viuentes, ta-
Gene.1. bernaculum Dei ſunt, quia Deus in eis habitat. Homo enim
& 2. ædificium DEI eſt, in quo ipſe manſionem habet, quoniam
Ioan. 14. igneam animam in illum miſit, quæ cum rationalitate in dilatatione volat, quemadmodùm murus latitudinem domûs compræhendit. Sed & qui per præcepta DEI in operibus ſuis iuſtificatus eſt, in quibus legem Dei non neglexit, cæleſtem Ieruſalem ædificat. Qui verò ſecundùm carnem operatur, & non ſecundùm Spiritum, de ſancta ædificatione cadet. Qui verò proprietatem voluntatis ſuæ de ſe abſcidit, cęleſte ædificium, cum margaritis & precioſis lapidibus & optimo auro ornat. Tu igitur te talem fac, vt lapis precioſus fias, & in ſumma Hieruſalem orneris.

EPISCOPVS CONSTANTIenſis, Hildegardi.

COnſtantienſis Eccleſiæ D.g. Epiſcopus, quanuis inutilis & indignus, Hildegardi ſponſæ Chriſti de cœnobio S. Roberti in Pingis, intimæ charitatis augmen-

gmentum,& vtriuſq; vitæ feliciſſ.curſum. Fama Sapientiæ tuæ longè lateq; diffuſa à nonnullis veridicis mihi relata, ad id deſiderium me prouocauit,vt de remotis partibus ſolatium atq; ſubleuamen tuum quærerem,& me precibus tuis cõmendarem.Durum nanq; eſt,vt qui vitæ ſuæ moderamina neſcit tenere,iudex fiat vitę alienæ. Quapropter dilectionem tuam ſincera deuotione depoſco,quatenùs apud Dominum orationibus tuis mihi ſuccurras,& reſcripto tuo me munias: Quia tam propria voluntas mea,quàm cura terrena, ferè omnibus modis à ſeruitio Dei me abſtrahit.

RESPON. HILDEGAR.

IVſtiſſima lux dicit: O homo, mentem tuam argue, quæ perforat conſilium antiquorum prælatorum,quos non tetigit ventoſa mens vanitatum.Qualis eſt æſtimatio tua,qui non erubeſcis ambulare in tenebris per guſtum operis tui?Nã reuelatio illius cui nihil occultum eſt,oſtẽdit per viuentem oculũ,quòd arcus zelus Dei, temeritati hominum minatur.Cur non vides,vbì ſit mammona Luc.16. iniquitatis,in quo te excuſes?Multi operarij veniunt in cauſis ſuis,& quærunt arctã viam & anguſtam,tu verò labia tua mones per magniloquos ſufflatus morum cordis tui,& ad indignationem illos reducis.Vndè dirige te à tenebris in vias rectas,& illumina ſenſum cordis tui,nè tibi dicat pater omniũ, Quid per ſtultitiam aſſcendis columnam, quam non feciſti? Nam dies obſcuratur illi,qui non operatur in vijs recti itineris:quod tu precaue,ſurge ergò citiùs,& ambula recta itinera, antequàm ſol tibi occidat, & antequàm dies tui deficiant.

EPISCOPVS VIRDVNENSIS, Hildegardi.

ADelbertus Dei gratia Virdunẽſis eccleſię mi-
niſter & Epiſcopus, quanuis indignus, Hil-
degardi matri ſuæ chariſſim. de monte S.Ro-
Eze. 3. berti, viſionibus Dei delectari præſentibus &
æternis. Benedicta gloria Domini de lo-
co ſancto ſuo, quæ te ſibi à teneris annis mã-
cipauit famulam. Ego autem, tanquàm ſi cæcus iter videnti
monſtrare vellet, charitati tuæ ſuggero, vt gratiam iſtam cum
humilitate cognoſcas, attendendo prophetiam illius antiquã
Nume. 23. Balaam, qui licèt nouiſſ. ſua in contrarium direxerit, memo-
Nume. 24. rabile tamen eſt in viſione ſua cùm dixit: Qui cadit, & ſic ape-
riuntur oculi eius: humilitatem profectò in viſione ſignificãs.
2. Cor. 12. Doctor quoq; gentium dixit, Nè magnitudo reuelationum
extollat me &c. Hæc itaq; magìs fidutia mei affectûs ad vos
dicta ſint, quàm præſumptione doctrinæ. Porrò noueritis,
quòd ad vos in præſenti venire non poſſum, licèt propè vos
ſim, tamen in aduerſitatibus meis vos fidam patronam in ora-
tionibus veſtris expeto, & ſuffragijs ſororũ veſtri collegij an-
cillarum Dei adiuuari poſtulo. Diù eſt, quòd ſcriptum veſtrũ
habere non merui, quod nunc ſaltem merear, oro.

RESPONSIO HILDEGAR.

LVx viuens, quæ miracula oſtendit, dicit: Qui pater es
in perſona tua, & paſtor in propoſitione animarum,
extende brachium tuum, nè inimicus homo ſuperſe-
Matt. 13. minet zizania in agro tuo. Prouide ergò hortum il-
lum, quem Diuinum donum plantauit: & caue nè aromata
illius

illius ſint arida,ſed ab eis putredinem abſcinde, & eam foràs mitte,quæ vtilitatem illorum ſuffocat.Et ſic fac ea vireſcere. Nanque ſol radios ſuos abſcondit, mundus etiàm gaudium ſuum ſubtrahit.Et dico:Non obſcura hortum tuum in tędio ſilentij, ſed in vero lumine cum diſcretiõe corripe ea quę corripienda ſunt.Illumina quoq; templum tuum per beneuolẽtiam,atq; in thuribulo tuo ignem accẽde, myrrhã imponens, ità vt fumus eius aſſcendat ad palatium viuẽtis Dei:& in ęternum viues.

EPISCOPVS LEODIENſis,Hildegardi.

RVdolphus Dei gratia Leodienſium Epiſcopus,Hildegardi famulæ Chriſti de S.Robert. in Pingis,Regi regum inceſſanter ſeruire, & brauium æternæ beatitudinis appræhendere.

In maxima mentis & corporis fluctuatione cõſtitutus,tibi ſcribere diſpoſui,quia clemẽtia Dei nimis indigeo, quam innumeris malis me offendiſſe & iritâſſe non abnego. Quia igitur dilectiſſ.ſoror, veraciter Deum tecum eſſe noui,admoneo & rogo per miſericordiam ipſius ſanctitatem tuam,vt omninò mihi fluctuanti & ad te confugium facienti,manum porrigas.Cura nanq; tibi ſit pro negligẽtia à me remouẽda, deuotis precibus inuigilare: & quidquid ex indeficienti & viuenti lumine tibi oſtenſum fuerit, ad excitandam ſomnolentiam meam mihi reſcribas. Cõcedat clementiſſ.Deus, vt ſcriptis tuis certiſſ. per te conſolationem percipiam, & vt interceſſionis tuæ obtentu vel vltimam ęternæ quietis ſortiar manſionem.

HIL-

RESPONSVM HILDEGAR.

O Viuens lux dicit, Viæ ſcripturarum directę ſunt ad excelſum montē, vbì flores & precioſiſſ. aromata creſcunt & vbì ſuauiſſ. ventus volat, validum odorem eis faciens, & vbì roſę & lilia ſplendidas facies oſtendunt. Idem mons dudùm non apparuerat propter vmbras cęci viuentis aëris, quia etiàm filius altiſſ. mundum nondùm illuſtrauerat. Tunc ſol venit de aurora, montem hunc illuminans & omnes populi viderunt aromata illius. Et dies valdè ornatus eſt, & dulcis rumor ortus eſt. O paſtores, nunc plangendum & lugendum eſt, quòd in noſtro tempore mons iſtis nigerrimis nebulis tectus eſt, ità vt bonus odor ex eo non redoleat. Tu autē eſto paſtor bonus & nobilis in moribus. Et ſicut aquila in ſolem videt, ſic recordare & reſpice, vbì poſſis pigros & peregrinos ad patriam reuocare, & aliquod lumen huic monti conferre, quatenùs anima tua viuat, & vt amantiſſ. vocem illam audias de ſummo iudice: Eugè ſerue bone & fidelis. & vt anima tua in hac parte fulminet, ſicut miles in pręlio fulget, cùm ſocij eius ipſi congaudēt, quia victor extitit. Vndè tu ô pręceſſor populi, pugna in bona victoria, & ſic errantes corrige, & pulchras margaritas de putredine ablue, præparās illas ſummo regi: & ſic mens tua in bono ſtudio anhelet has margaritas ad montem iſtum reuocare, ſicut eas donum Dei inſtituit. Deus te protegat, & animam tuam de æterna pœna liberet.

Matt. 25.

EPISCOPVS TRAIECTENſium, Hildegardi.

Gode-

GOdefridus Diuina fauente gratia, Traiectẽ-
ſium Epiſcopus, vnicę ſuę, ſpeciali ſuæ, ſin-
gulari ſuæ Hildegardi, magiſtræ ſororum de
S. Roberto, ſalutem ab eo, qui mandat ſalu- Pſal. 43.
tem in Iacob. Soror chariſſima, ex quo pri-
mò te cœpi in Chriſti charitate diligere, nũ-
quàm memoria tua ſuper mel & fauum dulcis, in animo meo Pſal. 18.
potuit excidere. Cogit enim me in tuam dilectionem virtus
Dei, quę habitat in te, quæ operatur per te, quæ familiarem
præ cæteris illi ſponſo reddit te, qui æternaliter ſaluat omnes Pſal. 16.
ſperantes in ſe. Et quoniam charitas diffuſa eſt in corde tuo, Rom. 5.
rogo te in charitate, qua in omnes abundas, vt omni diligen-
tia, omni conamine ſtudeas Deum pro me exorare, quatenùs
in hoc ſeculo oneribus peccatorum meorum merear alleuia-
ri. Dominus te illuc perducat, vbi eſt felix ęternitas, ęterna fe-
licitas, iocunda tranquillitas, ſinè fine iocunditas. Vt ſitiens
fontem, ſic tua ſcripta deſidero.

RESPONSVM HILDEGAR.

O Tu, perſona à Deo ſumpta & vocata es, quate-
nùs ſecundùm ipſum opereris, eum imitando, quo-
niam Deus omnia ædificat, regit & vngit. Omni- Gen. 1.
potens enim Deus per verbum ſuum mũdum crea- Pſal. 33.
uit, quem etiàm regit, & omnia in aqua ſanctificat, peccata
hominum abluendo. Deus nanque omnes creaturas creauit,
& eas gubernauit, & hominem cum illis perfudit, quemad-
modùm faber vaſa ſua per ignem elegantia facit. Sed deindè
præclarus dies in obſcuram noctem per inobedientiam in ca-
ſu Adæ ſe declinauit, & ob hoc homines in peccatis & in ob-
liuione, quaſi Deus non eſſet, vixerunt. Tunc Deus omnem

Gen.7. terram per aquas diluuij de criminalibus peccatis hominum inundauit, & ſic ſancti & lex & prophetæ ſurrexerunt. Nouiſſimè autem filius DEI venit, quem non decebat vt in vacuo tempore adeſſet, in quo nullam iuſtitiam inueniret, ſicut etiàm homo creatus non eſt, antequàm omnis creatura eum oſtendebat. Sed & filius DEI venit, vt totum mundum per obedientiam, per chriſma baptiſmatis, & per pœnitentiam redimeret. Nunc tu ô paſtor prouide, nè in puerili tempore, quod Dominum neſcit, ſis: ſed eſto in tempore iuſtorum & ſanctorum, & in oſtenſione prophetarum, in operibus tuis iuſtitiam appræhendens, ſicut & Deus omnia præuidit, antequàm illa operaretur, & ſecundùm ipſum, populum tuum rege. Tu etiàm populo adiutorium in vice CHRISTI præbe, nè ſis ſicut tuba quæ ſonat, & non operatur: Sed eſto bonus odor virtutum, vt in æternum viuas. Et dic, Exaltabo te DE-
Pſal.144. VS meus rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Nam quandò intelligis, quia in epiſcopali cathedra es, in omnibus vijs tuis Deum lauda, in bonis operibus eum exalta, & præcepta eius ſinè tædio iterando rumina, per fidem eum oſculare, & in bonis operibus eum amplectere: in bona conuerſatione Deum tuum ipſum oſtende, & in iudicijs ſuis eum vt iuſtum regem magnifica, ità vt populum tuum rectè regas, & cum miſericordia vngas, & noxiale crimen poſt te non trahas, ſcilicet vt munus pro iuſtitia accipias: & ſic inuoca nomẽ ipſius, vt in omnibus his timorem ad ipſum habeas, quoniã rex eſt, & hoc omnibus diebus vitæ tuę facias, quouſquè in hoc ſeculo viuis, quatenùs poſteà in infinito ſeculo in æternum viuas.

EPISCOPVS PRAGENSIVM, Hildegardi.

H.Dei gratia Pragenſium miniſter inutilis & Epiſcopus,licèt indignus, Hildegardi ſpõſæ Chriſti,& magiſtræ de S.Roberto in Pingis, qualecunq; munuſculum orationum ſuarũ cum omni deuotione. Dñm Deũ noſtrum magnificando glorificamus,cuius ſpiritu illuminata,plurimorum tribulationibus,conſolando &ſubleuando,ſubuenis,& fructum boni operis, eodẽ ſpiritu cooperante,in multorum mentibus multiplicas,ſicut etiàm per plurima terrarum ſpatia de te referri audiuimus. Vndè ſanctitas tua nouerit, quia magnum deſiderium ineſt nobis te videre, atq; colloquio tuo perfrui in Chriſto, ſed magna difficultas locorum hoc fieri impedit.Et quoniam charitatem tuam plurimorũ neceſſitatibus ſubueniſſe percepimus, hac fidutia animati, dilectiõem tuam imploramus,quatenùs nobis in tribulationibus mundanis quaſſatis,orationibus tuis ſubuenias,& bona conſilia porrigas:Quia ex quo nomen tuum & gratiam tibi à Deo collatam audiuimus,memoriam tuam in cordibus noſtris ſemper habuimus, & vt eadem gratia quæ de vero lumine eſt,apud te ſemper maneat,exoptamus.

RESPON. HILDEGAR.

VOx vitæ & ſalutis dicit: Quid eſt hoc, quòd homo manducat,& nõ vult ſcire quæ ſit vua, quæ de terra alio modo ſudauit poſt peremptionẽ populi, cùm Deus terrã exterſit & excribrauit in aliũ modum,q̃ primus homo illã derideret.Hoc eſt,quòd homo leuis eſt per viciſſitudinem morum ſuorum,& per tẽpora lucis & tenebrarũ.Nã homo interdùm ſe aliquãtulùm in proſperitatẽ erigit,

interdùm in pericula cadit. In his vtriſq; homo non inſpicit amplexus filiæ regis, ſcilicet iuſtitiæ & veritatis: ſed amputat coronam de capite illius, cùm paſtor fugit, non defendens eccleſiam Chriſti, quia arma ſua in fortitudine non tenet, ſed in moribus ſuis ſicut laſciuus puer, qui nullā ſolicitudinē habet, ludit. Homo qui iſtud facit, deſiderat ſic manducare & viuere per voluntatem ſuam, ſicut natura hominis poſtulat cibum, & non videt acutis oculis ſuis, vbì diſcretio ſit, quæ de ſapientia ſudauit, quæ in hac vua intelligitur. Cùm enim Adam in ortu mundi obedientiam deriſit, tempora temporum periêrūt vſq; ad effuſionē aquarum. Vbì Deus terram de horribili iniquitate terſit, & aliam vim dedit. Vbì Noe nobiliſſ. germen obedientiæ in vineis protulit, quod Adam fugit per ſimplicitatem morum ſuorū ſicut laſciuus puer. Sed in Noe terra vim vuæ protulit, vbì etiàm poſt eum ſapientia ſurrexit in ſaluatione. Nunc ô tu homo, qui circuis in moribus tuis per plateas viciſſitudinum tuarum, & non ardenter intueris, adſpiciens in medicinam tuam & alterius, ſurge, reſpiciēs in ſolem, in recta moderatione, & lumen non fuge, illud abijciens per auſteritatem iniquitatis, quatenùs non erubeſcas quandò ſummus rex requirit opera tua in ſacculo tuo, & in æternum viues.

Gen. 9.

EPISCOPVS HIEROSOLYMItanorum, Hildegardi.

I. Dei gratia & ordinatione Hieroſolymitanorum ſeruus & inutilis Epiſcopus, Hildegardi dilectæ filiæ & magiſtræ de monte S. Roberti in Pingis, ſcilicet in Moguntino Epiſcopatu, humilimam orationem & ſalutē in Chriſto. A multis per lōga terrarum ſpatia partes noſtras adeuntibus

tibus, & genua ſua ad ſepulcrum Domini flectẽtibus, multotiès percepimus, quòd Diuina virtus in te & per te operetur, vndè ipſi gratias indefeſſas, prout poſſumus, humiliter offerimus. Ad te igitur filiam dilectiſs. ſermo nobis iam diù fuit, ſed quia internuncius hactenùs abfuit, deſiderium noſtrum penitùs fruſtrà proceſſit. Nũc verò quoniam quidem poſt longa temporum curricula opportunitas ſe obtulit, per præſentia ſcripta Te cunctasque Sorores tuas, tibi (vt audio) in Chriſto ſubiectas, alloqui congruum duximus. Indè eſt quòd ſi qua dulcia verba præ nimijs anguſtijs, quibus aſſiduè premimur, nobis adeſſent, quoniã ex altero, gladio paganorum, ex altero latere inſidijs malignorum ſpirituum impugnamur, te vt Chriſti ſponſam, vt Chriſti arcanis ſemper intentam, extollere dignum exiſtimaremus. Sed non opùs eſt laudibus humanis attolli, quam Diuina gratia laudibus conceſſit angelicis admiſceri: & illas felices dicimus, quæ de die in diem dulciſs. alloquijs tuis intereſſe ac ſatiari merentur. Felices etenim illas haud incongruè dixerimus, quæ ſpeculo Diuinæ candidationis innixæ, brauium curſûs ſui meritorum ſuorum à Domino quotidiè percipere affectant. Felices inquã, ac nimiùm Felices, quibus ob remunerationem cæleſtium, terrena cuncta viluerunt, & à quibus deſpicitur, calcatur, vilipenditur, quicquid in hac vita cæteris mortalib⁹ dulce, delectabile atq; pręſtabile videtur. Eccè verè filiæ Hieruſalem, in quibus non eſt inuenta macula, in quibus mundus nihil quod diligat, habet: quæ etiàm ſequuntur agnum quôcunq; ierit. Nunc autem ô filia, ad te reuerentes, conſolationem tuam cælitùs tibi oſtẽſam, humiliter requirimus, ac nos orationibus tuis cunctarumque ſororum tuarum commendamus, quatenùs nobis in procellis mundanarum curarum fluctuantibus, piè apud illum interueniatis, cuius thalamum poſt huius vitæ terminũ Apoc. 14.

intrare deſideratis. Faciat Dominus, ô dilecta, vt videas bona
Pſal.127. Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

RESPON. HILDEGAR.

VIuens lux hæc in miraculis ſuis dicit: Prima radix in die apparuit, & in omnibus ramis floruit, atq; duas vias conſtituit. Altera via plena ædificiorũ erat, in quibus aquilæ & alia volatilia habitabant. Altera autem magnæ optionis plena fuit, in qua gigãtes cucurrerunt, qui contra aquilas iſtas & cætera volatilia pugnabãt, ſed eis præualere non poterant. Tũc ſol proceſſit, & in extremo brachio ſuo aureos clypeos habuit, & contra gigantes illos pugnauit. Nam caſus primi angeli à vita ceciderat, & po-
Gen. 3. ſteà caſus Adæ luce paradiſi carebat, & idem Adam in ſuggeſtione Diaboli cum omnibus filijs ſuis ambulauit. Sed Sol in topazio & ſaphiro emicuit, quod eſt in miſericordia & charitate, quæ verbum Dei incarnatum protulit. Sol autem æqualiter fulſit, ſicut in initio proceſſerat, & ità permanſit, vt omninò nulla vmbra viciſſitudinis ſup illũ ceciderit, velutì in primo angelo, in Adam, & in ſuggeſtione diaboli factum fue-
Pſal. 109. rat. Et ideò dictum eſt, Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Nam in topazio miſericordia, & in ſaphiro charitas intelligenda eſt, quas virtutes ſacerdos iſte velut veſtimentum ſacerdotale propter hominẽ induit. Nunc tu ô pater, qui es in vice ſacerdotis huius, anima tua fluat ſicut aqua, quæ de petra in virga Moyſis effluxit, ità quòd verba tua incredulis cordibus potum ſaluationis dent, atque dies quæ in anima tua lucet, creſcat in multitudine virtutum. Video autem in anima tua ſolicitum in via, quæ ad Deum tendit. Sed cùm mens tua in turbinem ierit propter viciſſitudinẽ labo-

laborum tuorum & aliorum, columba te perfundet, & ſimplicem turrim ante conſpectum Dei te faciet. Pugnam verò quam intùs & exteriùs in vtroque ſcilicet homine pateris, Deus temporibus tuis circa te hoc modo alleuiabit, vt eam ſuſtinere poſſis, vndè fidutiam tuam in ipſum pone, nec de miſericordia eius deſpera, Et hoc faciens in gratia Dei, ad vitam viues.

EPISCOPVS DE BEVEZ, Hildegardi.

HEnricus Dei gratia de Beuez ſolo nomine vocatus Epiſcopus, Hildegardi dilectæ magiſtræ ſororum in monte S. Roberti de Pingis, ſi quid in Spiritu contrito & humilitato valet peccatoris oratio. Benedictus Deus, qui benedixit te omni benedictione ſpirituali, ità quòd in odore vnguenti, quo vnxit te Deus vnctione miſericordiæ ſuæ, trahatur etiàm per te in longinquis partibus mũdi multorum deuotio. Nam manifeſta Dei circa te dignatio mihi peccatori, ac turbinib⁹ ſeculi grauato, magna eſt cõſolatio, quanuìs à te corpore, ſed non mente plurimũ remoto. Confidimus enim ſinè dubio meritis ac precibus tuis Chriſti miſericordiam patére cunctis, auxilium orationum tuarũ fideliter quęrentibus. Nos igitur propriæ conſcientiæ diffidentia nullam in actibus noſtris adipiſcendę ſalutis habentes confidentiam, per charitatem Spiritusſancti te obſecramus in remotis regionibus, vt orationibus tuis indulgentiam peccatis noſtris implores à Domino.Ptætereà quantulamcunque conſolationem ſeu admonitionem ſaluti noſtræ neceſſariam, nobis reſcribere non pigeat tuam dilectionem. Ipſe autem qui Ephe. 1.

omnia

omnia poteſt, & quem nulla latet cogitatio, ſecundùm beneplacitum ſuum precibus ſatiſfacere dignetur cordis noſtri deſiderio.

RESPON. HILDEGAR.

VIuens lux, oſtendit mihi hæc, & dixit: Dic ad hominem illum: vidi quaſi pulchram formam virtutis, q̃ fuit pura ſcientia. Facies eius valdè clara erat, oculi eius velut hyacinthus, & indumenta ipſius quaſi pallium ſericum. Habebat quoq; ſuper humeros ſuos epiſcopale pallium ſimile ſardio. Et hæc aduocauit pulcherrimam amicam regis, videlicet charitatem, dicens: Veni mecum. Et venientes, pulſabant ambę ad ianuam cordis tui, dicentes: Tecum habitare volumus. Caue ergò nè reſiſtas nobis: ſed eſto fortis ad reſiſtendum vitijs, & ſecularibus cauſis & viciſſitudinibus illorum vẽtorum, qui in turbinibus ſicut malus fumus aſſcendunt, & vt aquæ quę in tempeſtate volant. Hæc ſunt inquietudines mentium hominum in iracundia & in alijs ſi-
Eſa. 58. milibus. Silentium non habe in tędio, ſed vox tua ſit ſicut tuba reſonans in cęremonijs eccleſiæ, & oculi tui ſint puri in ſcientia, ità quòd non ſis piger tergere te ab indigno puluere oneris
Cant. 5. tui. Nam plenus es guttis noctium. Et perſuaſio ſuperbiæ ſic locuta eſt tibi: Nè abluas te. Sed nos hoc nolumus: volumus autem, vt quęq; tenebroſa de te abſtergas, & non ſis timidus de multis terroribus inimicorum tuorum, qui nec rectè nec benè loquuntur de te. O miles, da nobis habitaculum in corde tuo, & perducemus te ad palatium regis nobiſcum.

EPISCOPVS TREVIRORVM, Hildegardi.

Arnol-

ARnoldus Dei gratia Treuirorum Eccleſię humilis electus, dilectæ in Chriſto cognatæ ſuæ Hildegardi de S. Robert. ſalutem & dilectionem ab eo, qui eſt ſalus & dilectio. Amicitia cognatione cæleſtis eſt, quia ſenium ei nõ obeſt, ſed confert: & vera eſt, ſtare neſcit, ſed in aliquo creſcit & proficit quotidiè. Cùm autem ab ineunte ætate vlnis veri amoris nos amplexi ſimus, miramur, cur vos adulatorem plùs vero amico diligatis, cùm dicat propheta:
Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Fratrẽ Pſal.140.
noſtrum prępoſitum S. Andręæ, hîc adulatorem veſtrum reputamus, nos autem verum amicum intelligi volumus. Quia verò prouentum noſtrum, gaudij veſtri materiam eſſe ſcimus, ideò per Dei gratiam proſperè nos redijſſe, veſtrę dilectioni ſignificãdum duximus. Sed quia nihil eſt beatum alicui, quod ipſe pro pœna reputat, coram DEO & vobis dicimus, quòd dignitas ad quam vocati ſumus, contra noſtram (teſte Deo) voluntatem, nunquàm (vt fieri ſolet) nos allexit, nunquàm permulſit: & ideò hoc, quia noſtra inſcitia, noſtra fragilitas ſuam deflet inſufficientiam, ſuam deplangit indignitatem. Sed quia neſcimus, cuius vocatione ſimus ad tale miniſterium, hoc maximè anxietatem nobis infligit. Si ex Deo eſſe ſciremus, crede- Phil. 1.
remus quòd qui cœpiſſet in nobis opus bonum, & perficeret, cùm neceſſitate magis, quàm virtute, ad ſacerdotium promo-
ueri proponamus. Et ſcimus quòd DEVS in loco ſancto ſuo Pſal.67.
apud vos ſalutem operatus, obſeſſam miſericorditer liberan- Pſal.73.
do, viſitauerit plebem ſuam. Vndè vt modum liberationis obſeſſæ nobis reſcribatis, & ſæpiùs in verum lumen adſpiciendo, ſępiùs nobis aliquid ſalutaris gratiæ per literas tuas impartiamini, & vt manus veſtras ad petram refugij pro nobis
interpellando, exemplo Moyſis leuetis, dum nos cõtra Ama- Exo.17.

lech in valle mundanæ miſeriæ pugnamus, attentiſſimè rogamus. Cùm autem hęc coram abbate S. Eucharij fideli & dilecto noſtro conſcriberentur, ipſe opitulando dulcedine ſua verba noſtra condiuit. Volumus ergò vt per ipſum, reſcriptũ veſtrum nobis tranſmittatis.

RESPON. HILDEGARD.

TV arbor es à Deo conſtitutus, quẽadmodùm
Rom. 13. Paulus dicit: Omnis poteſtas à Deo eſt, quia ſecundùm ſummum Magiſtrum per inuocationem nominis ſui, omnis poteſtas nominata eſt. vndè in illa, arbor viriditatem honoris nominis ſui habet. Quod abſque Deo eſt, &
Eſai. 14. quod ſiniſtra operatur, tibi nõ aſſit, nè in cadente morbo ſuperbiæ, cùm primo angelo, ſcilicet Satana, qui contra Deum honorem furtìm rapere voluit, cadas, quem multi ſecundùm voluntatem ſuam rapiunt, non curantes quoquo modo eis
Ioan. 1. ille conferatur. Iſtud coram Deo nihil eſt, quoniam ſinè ipſo factum eſt nihil, & ſic Deus occídit quidquid ipſum non tangit. Ob hoc ergò ſolicitus eſto, vt per pręcepta Dei, quæ ſicut folia arboris multiplicata ſunt, populo teſtimonium, quantùm per gratiam ipſius potueris, perhibeas. Multæ enim tribulationes oneris tui, velut paupertas, te conſtringunt, quia diuitiæ & multæ pecuniæ, cæleſtia non amant: ideò propriã voluntatem homini Dei abſtrahit, quatenùs ad cæleſtem patriam ſuſpiret. Vndè decet vt pauper pauperem diligat, & diues diuitem cognoſcat, quia ſapientia pauperi anulum dat, & diuiti inaurem negat. Propter Sacerdotale enim officium
Pſalm. 118. tuum, tibi iſtud adeſt. Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dilexi. Quid dicitur?

Iuſti-

Iuſtitia Dei ſe nō abſcondit, ſed itinera ſua dilatat, nec ea currere erubeſcit. Vulnera quoquè non abſcondit, malum bono præponendo, velut in iuſtitia vitam & gehennam eſſe, & in vtraque parte currendum eſſe dicit. In hac fallacia iuſtitia ſe non macerat, nec multiplicibus verbis iniuſtitiam oſculatur, ſed ipſam totam conculcat. Veritas quoquè opera, quæ ſinè Deo operantur, non laudat, ſed in pugnam, contradicere illa, vt probus miles ſe præparat. Iuſtitia Dei ſcutum tibi ſit, & veritate ipſius quaſi lorica induere, ità vt coram Deo benè armatus, & non fugitiuus per ſocietatem vanitatis appareas, & diſce vt vbera iuſtitiæ ſugas. Diſce quoquè vulnera peccatorũ cum pœnitẽtia in miſericordia curare, quemadmodùm ſummus medicus ſalutare exemplum vobis ad ſaluandum populum reliquit. Tu nanq;, qui in viriditate beati viri per inſtructionem nominis ſuî poſitus es, qui impium Diabolum non attendit, qui ideò impius nominatus eſt, quia nullum bonum amauit: vide nè in theſauris pecuniæ glorieris, quæ in fine malitioſa eſt, quia poſt triceſimum annum, velut poſt annum vnum deficit. Sed exulta in monte Sion, vbì adiutorium altiſſimi æternale in ęternitate eſt, & omnis ſpiritus laudat Dominum. Tu autem eburneus mons eſto, de quo feneſtralia iacula in recto iudicio iuſtitiæ Dei, contra aduerſarios tuos volitant. Curre quoquè in altitudinem legis & iuſtitiæ DEI ſicut capricornus, nè per inſtabilitatem inermis cadas, & filij tui de latere Eccleſiæ ſurgant, & poſtulẽt à te cibum iuſtitiæ: & ideò bonam doctrinam diſce, quatenùs per te ſaturentur. Ego autem, vt iuſſiſti, ad verum lumẽ adſpexi, & vix inceptionem bonorum operum adſpicere potui. Tu quidem bona opera ſtudioſiùs operare, vt poſteà per gratiam Dei plura ſcribam: & fidelis amicus animæ tuæ eſto, ità vt in æternitate viuas. In illa autem quæ obſeſſa fuit, de qua quæritis, multa mi-

Eccl 31. Pſal. 150.

rabilia vidimus, quæ modò per ſcripta proferre nõ poſſumus, ſed cognouimus quòd Diabolicus ſufflatus de die in diem vſq; ad receſſum ſuum defecit, & eadem mulier à fatigatione Diaboli liberata eſt, & etiàm infirmitate, quam antè in ſe non cognouit, tũc occupata eſt. Sed nunc vires tam corporis quàm animæ plena ſanitate recepit.

EPISCOPVS COLONIENSIS, Hildegardi.

PHilippus Dei gratia Colonienſium Archiepiſcopus, Hildegardi ſorori dilectę, Diuino ſpiramine mirabiliter infuſæ, illũ in cęleſtibus glorioſè videre, cuius amplexibus exoptat iugiter inhærere. Quanuìs locorum diuerſitas mutui adſpectûs & deſiderabilem collocutionis ſubtrahat gratiam, quos Chriſti charitas coniunxit, ſemper tamen tenebit animorum vicinitas: Vndè eſt mihi deſideratiſſimum, quòd in hoc anno dum tranſitus viæ, & gratia te videndi, diù deſiderata, occurrit: ſed ægritudo & tenuitas tui corporis, cor meum & multorum in terra noſtra Te in CHRISTO amplectentiũ turbauit & perculit, ſemper exoptantium vitæ tuæ ſoſpitatem, veræque ſalutis æternitatem. Complacuit ergò & dignum duximus, perquiri, certosque reddi de ſtatu tuo, & maximè indicare & notificare tibi, quòd turbinibus & procellis ſecularium quotidiè ità perturbamur, quòd etiàm aliquandò mentis oculos ad cæleſtia leuare conamur. Sed quia plurimorum nouit

indu-

induſtria, te perfuſam diuini chariſmatis munere, de quo gaudet concio fidelis Eccleſiæ, & nos pro modulo noſtræ diſcretionis congratulamur: ſcientes hominem carnis tegmine degentem, & iuxta Apoſtoli vocem, in cælo conuerſantem. Tali igitur dote ditata, quaſi bonæ margaritæ inuentrix, ex occulto Dei quod petimus, inquiras, nobiſque commonitoria verba, prout Deus tibi donauerit, tranſmittas: quoniam in ſapientia & theſauro abſcondito, iuxta veridicum, non eſt vtilitas. Valete.

Phil. 3.
Matt. 13.
Eccl. 20.

RESPON. HILDEGAR.

IN myſtico ſpiramine verę viſionis, hæc verba vidi & audiui: Ignea charitas quæ DEVS eſt, tibi dicit: Stella quę ſub ſole lucet, quod nomen in parte ſua habere poteſt, lucida ſcilicet nominatur, quoniam per ſolem alijs ſtellis ampliùs irradiatur. Sed quomodò deceret, quòd eadem ſtella lumen ſuum ità abſconderet, quòd alijs minoribus ſtellis minùs luceret? Si enim hoc faceret, glorioſum nomen ſuum non haberet, ſed cæco nomine nominaretur: quia quanuìs lucida diceretur, lumen tamen eius non videretur. Miles etiàm qui ad prælium ſinè armatura venerit, ab inimicis ſuis certiſſimè conculcabitur, quia corpus ſuum lorica non circundederat, nec capiti ſuo galeam impoſuerat, nec clypeo ſe texerat, vndè & in magna confuſione capietur. Tu autem qui lucida ſtella per epiſcopale officium appellaris, & qui de nomine ſummi ſacerdotis radias, lumē tuum, quod verba iuſtitiæ ſunt, ſubditis tuis non abſcondas, quoniam in corde tuo ſæpè dicis: Si ego mihi ſubiectos verbis terrerē, moleſtum me haberent, quia eos ſuperare nō valeo, vtinàm ami-

1. Ioan. 4.

citiam eorum, tacens, retinere poſſem. Itaq; ſic dicere & facere tibi non expedit. Sed quid? Terribilibus verbis propter epiſcopale nomen & corporis tui nobilitatem, eos vt rapiens accipiter non terreas, nec periculoſis verbis, velut claua eos percutias: ſed verba iuſtitiæ cum miſericordia eis miſce, & ipſos cum timore Dei inunge, proponens eis quàm periculoſa animabus & felicitati eorum iniuſtitia ſit. Certiſſimè certiſſimè certiſſimè, hoc modo audient te: Per ſqualidos autem & inſtabiles mores te illis non admiſceas, nec quid cuique placeat ſeu diſpliceat, inſpicias: quoniam ſi hoc feceris, minor cæteris coram Deo & hominibus apparebis. Nam talia perſonam tuam non decent. Vide etiàm quòd munda animalia quæ ruminant, macerarentur, ſi pabulo eorum, cibus porcorum per quem ipſi pingueſcunt, adminiſceretur. Sed & tu ſi ſqualidis moribus & ſocietati peccatorum te adiungeres, pollueris, per quod nefarij gauderent, perfecti viri turbarentur, dicẽtes: Ah Ah, Væ Væ, qualis Epiſcopus noſter eſt? per recta itinera iuſtitię nobis non lucet. Populum autem tuum ab inimica infidelitate corripe, & auerte ità, nè lorica fidei nudus ſis, & de
Ephe. 6. ſcripturis ſanctis viam iuſtitiæ illi oſtende, & galeam ſpei capiti tuo, & ſcutum veræ defenſionis collo tuo impone, quatenùs in omnibus ęrumnis & periculis eccleſię defenſor, quãtùm præuales, exiſtas. Lumẽ quoquè veritatis ſic tene, vt probus miles in militia mea, quæ vera charitas ſum, appareas, & in naufrago mundo, & in duris bellis iniquitatis, ſtrenuus & fortis ſis, quatenùs lucida ſtella in æterna felicitate fulgeas. Nũc ô tu pater, qui in paſtorali nomine es, paupertatẽ hominis hęc ſcribentis nõ dedigneris, qm̃ iſta nõ ſecundùm me, nec ſecũdùm altũ hominem dictaui, nec protuli: ſed ea hoc modo ſcripſi, quẽadmodùm ipſa in vera viſiõe, vigilãs mente & corpore, vidi & audiui: quia, vt aliqua ad te ſcriberem, iuſſiſti.

CVNRADVS IMPERATOR, Hildegardi.

CVnradus Diuina fauente gratia Rex Romanorum, Hildegardi Deo dicatæ virgini, & magiſtrę ſororũ de Sancto Roberto in Pingis, ſalutem & gratiam ſuam. Quia regali culmine impediti, ac diuerſis turbinibus & procellis quaſſati, te inuiſere pro velle noſtro non poſſumus, literis tamen noſtris te adire non omittimus. Nam vt audiuimus, reuerà ſuperabundat in te confeſſio ſummæ laudis per ſanctimoniam vitæ innocentis, & per magnificentiam ſpiritûs deſupèr mirificè in te venientis. Vndè quanuìs ſecularem vitam agamus, ad te properamus, ad te confugimus, ac orationum & exhortationum tuarum ſuffragia humiliter quærimus, quoniam longè aliter viuimus, quàm debeamus. Pro certo autem ſcias, quòd tibi & ſororibus tuis, in omni cauſa & in omni neceſſitate veſtra prodeſſe & adeſſe, vbì poſſumus, properabimus. Vndè & filium meum, quẽ mihi ſuperſtitem deſidero eſſe, orationibus tuis, ſicut & me ipſum, attentiùs commendo.

Is eſt huius nominis III.

CVNRADO IMPERATORI, Hildegardis.

QVi vitam dat omnibus, dicit: Beati ſunt, qui candelabro ſummi regis dignè ſubiacent, & quos Deus in magna prouidentia procurauit, ità vt eos de ſinu ſuo non abſcindat. In illo, ô tu Rex, permane, & ſqualorem de mente tua abijce: Quoniã Deus omnem, qui eum de-

☞ deuotè & purè quærit, conſeruat. Sed & regnum tuum ità
tene, & tuis vnamquanq; iuſtitiam prouide, vt à ſuperno re-
gno alienus non fias. Audi, in quadam parte à Deo te auertis:
& tẽpora, in quibus es, velut in muliebri perſona, leuia ſunt,
& etiàm in contrariam iniuſtitiam, quæ iuſtitiã in vinea Do-
mini deſtruere tentat, ſe inclinant. Poſteà verò peiora tem-
Prophetia pora venient, in quibus veri Iſraelitæ flagellabũtur, & in qui-
☞ bus catholicus thronus in errore mouebitur: & ideò nouiſſi-
ma eorum, velut cadauer in morte, blaſphemiæ erunt. Vndè
& hic dolor in vinea Domini fumigat. Et poſt hæc fortiora
prioribus tempora ſurgent, in quibus iuſtitia Dei aliquantu-
lùm erigetur, & in quibus iniuſtitia ſpiritalis populi ad eijci-
endum notabitur. Sed tamen prouocari & exacerbari ad con-
tritionem acriter nondùm audebitur. Sed deindè alia tempora
inſtabunt, in quibus diuitiæ Eccleſiæ diſpergentur, ità quòd
etiàm ſpiritalis populus velut à lupis lacerabitur, & à locis ſu-
is & de patria ſua expelletur. Vndè plurimi eorum ad ſolitu-
dinem tranſibunt, pauperem vitam in multa contritione cor-
dis deincèps habentes, & ſic Deo humiliter ſeruientes. Prima
etenim hæc tempora ad iuſtitiam Dei ſunt ſqualida, ſequen-
tia verò tædioſa. Quæ autem deindè ſuperuenient, ad iuſtiti-
am ſe ad modicum erigent: ſed quæ poſteà inſurgẽt, quaſi vr-
ſus cuncta diuident, & diuitias ſibi per malum congerent. Sed
quæ illa ſequentur, ſignum virilis fortitudinis oſtendent, ità
vt omnes pigmentarij ad primam auroram iuſtitię cum timo-
re, verecundia & ſapientia currant, & principes concordiam
vnanimiter habeant, eã quaſi vir pręliator ſicut vexillũ contra
errantia tempora maximorum errorum eleuantes, quos De-
us deſtruet & exterminabit ſecundùm quod ipſe nouit, & vt
ſibi placet. Et iterùm ille qui om̃ia nouit, tibi ô Rex dicit: Hæc
tu homo audiens, teipſum à voluptate tua cõpeſce, & te cor-
rige,

rige, quatenùs ad tempora illa purificatus venias, in quibus de factis tuis ampliùs non erubeſcas.

FRIDERICVS IMPERATOR, Hildegardi.

FRidericus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper auguſtus, dominę Hildegardi de *Pinguia, gratiam ſuam & omne bonum.

Is fuit eius nominis primus, Barbaroſſa cognominatus.

Notum facimus ſanctitati tuæ, quoniam ea quę prędixiſti nobis, cùm Jngelheim manentes, te ad præſentiam noſtram venire rogauimus, iam in manibus tenemus. Sed nos tamē omni conatu pro honore regni laborare nō ceſſabimus. Quapropter dilectionem tuam quàm intimè admonemus, vt cum ſororibus tibi commiſſis, ad omnipotentem DEVM preces pro nobis fundas, quatenùs in terrenis negocijs laborantes, ità ad ſe conuertat, vt gratiam ipſius obtinere valeamus. Certum autem debes habere, quòd ſuper omni negocio tuo, ad nos per te directo, neq; amicitiam, neq; odium alicuius perſonæ attendemus, ſed ſolius iuſtitiæ reſpectu, æquitatem iudicare proponimus.

FRIDERICO IMPERATORI, Hildegardis.

A Summo iudice hæc verba diriguntur ad te: Valdè admirabile eſt, quòd hāc perſonam homo habet neceſſariam, ſcilicet quæ tu rex es. Audi: Quidam rex ſtabat in excelſo monte, & in omnes valles reſpicie-

bat, quid quiſq; faceret in eis, videns. Et virgam manu tenens, quæq; rectè diuidebat, videlicet quod erat aridum, vt viride eſſet, & quod dormiebat, vt vigilaret. Sed & virga hæc iſtis pœnam ſtuporis abſtulit, qui in magno ſtudio erant. Cumq; idem vir oculum ſuum non aperiret, venit nigra nebula, quæ valles iſtas tetigit. Sed & corui & aliæ volucres, quæq; circũpoſita diſſipabant. Nunc ô Rex, ſolicitè prouide, quia omnes regiones ſunt obumbratæ cum fallaci turba illorum, qui in nigredine peccatorum iuſtitiam delent. Raptores & errantes, viam Domini deſtruunt. O tu rex, cum ſceptro miſericordiæ pigros & peregrinos & ſæuiſſ. mores rege. Tu enim habes nomen glorioſum, quòd rex es in Iſrael. Valdè glorioſum eſt nomen tuum. Vide ergò, quandò ſummus rex te cõſiderat, nè accuſeris quòd officium tuum rectè non dijudicaueris, & nè tunc erubeſcas. Quod abſit. Manifeſtum eſt, quòd iuſtum eſt vt pręceptor prædeceſſores ſuos in bono imitetur, quia nigerrimi ſunt mores illorum prelatorum, qui in laſciuia & in putredine currunt. Hoc fuge ô rex. Sed eſto armatus miles, Diabolo fortiter repugnans, nè te Deus diſſipet, & nè terrenum regnum pro hoc erubeſcat. Deus liberet te de æterna perditione, & tempora tua non ſint arida, & Deus te protegat, vt viuas in æternum. Auaritiã abijce, & abſtinẽtiam elige, quod ſummus rex valdè amat. Nã valdè neceſsè eſt, vt in cauſis tuis prouidus ſis. Video enim te in myſtica viſione, in plurimis turbinibus & contrarietatibus viuentem ante oculos viuos. Sed tamen ad tempus regnandi habes in terrenis materijs. Caue ergò nè ſummus rex proſternat te propter cæcitatem oculorũ tuorum, qui non rectè vident, quomodò virgam rectè regendi in manu tua habeas. Vide etiàm, vt talis ſis, nè gratia DEI in te deficiat.

PHI-

PHILIPPVS COMES FLANdriæ, Hildegardi.

PHilippus Flandriæ &* Viromenſis comes, domicillæ Hildegardi, ancillæ Chriſti, ſalutem & plurimam dilectionem. Veſtra nouerit ſanctitas, me paratum eſſe ad faciendum quicquid ſcirem vobis placere, quia ſancta conuerſatio veſtra & vita honeſtiſſ. ſæpiſſimè meis inſonuit auribus, omni fama ſuauior. Quãuìs enim peccator ſim & indignus, tamen CHRISTI ſeruos & amicos toto corde diligo, & omnimoda veneratione libenter honoro, illius ſcripturæ memor: Multùm valet aſſidua iuſti deprecatio. Vndè eſt, quòd ad pietatis veſtrę gratiam mitto præſentium latorem, fideliſſimum ſeruientem meum, qui pro me miſero peccatore vobiſcum loquatur, cùm ego tamen multo libentiùs ad vos veniſſem, & vobis locutus fuiſſem, quod deſideraui. Sed tot & tanta ſunt negocia mea, quæ ſingulis diebus emergunt, quòd ad hæc vacare non poteram. Inſtat etiàm iam tempus, quo aggredi debeam iter Hieroſolymitanum, ad quod, opùs mihi eſt magno apparatu, ſuper quo conſilium veſtrum mihi intimare dignemini per literas veſtras. Credo enim quòd ad vos ſæpiùs peruenit fama nominis mei & actuũ meorum, & multis de DEI miſeratione indigeo. Vndè & vos maxima precum inſtantia ſuppliciter exoro, vt pro me miſerrimo & indigniſſ. peccatore, ad Dominum intercedere velitis. Rogo etiàm humiliter, vt inquantùm vobis conceſſerit Diuina miſericordia, inquiratis à Deo quid mihi expediat, & literis veſtris per latorem præſentium mihi renuncietis conſilium veſtrum, quid & quomodò faciam, vt nomen Chriſtianitatis temporibus meis exaltetur, & dira Sarracenorum feritas deprimatur: & ſi vtile mihi erit in terra illa morari vel reuerti,

*Veromãdenſis.

Iac. 5.

iuxta id videlicet, quod de ſtatu meo forſitan audîſtis, & Diuina reuelatione cognouiſtis, aut cognitura eſtis. Valete in Chriſto ſoror dilecta, & ſcitote quòd multùm deſidero audire conſilium veſtrum, & quòd maximam in veſtris orationibus habeo fidutiam.

PHILIPPO COMITI FLANdriæ, Hildegardis.

O Fili Dei, q̃a ipſe in primo homine te plaſmauit: audi verba, quę vigili mente & corpor in anima mea vidi & audiui, cùm propter ſolicitam inquiſitionem tuam, ad verum lumē
Ge,2. & 3, adſpexi. Deus pręceptū Adæ in paradiſo dedit, & poſt præuaricationē eiuſdem pręcepti eū (qui conſilio ſerpētis cōſenſerat,) iuſto iudicio de paradiſo expulit. Cum iuſto quoquè iudicio, homines qui eū omninò obliuioni tradiderant, ità quòd eum nec deſiderabāt, nec quę-
Ge,6. & 7. rebant, per diluuium dimerſit, vbì illos qui eum amabant & quęrebant, à diluuio per arcam ſaluauit. Sed mitiſſ. agnus, ſcilicet filius Dei, in ſanguine ſuo, quem in cruce pendens effudit, omnia crimina & peccata, quæ homo per veram pœnitentiam cognoſcit, ſaluat. Nunc autem attēde ô fili Dei, vt puro oculo iuſtitiæ in Deum, velut aquila in ſolem, adſpicias, ità vt abſq; proprietate voluntatis tuæ, iudicia tua iuſta ſint, nè à ſummo iudice qui præceptum homini dedit, quem etiàm in miſericordia per pœnitentiā ad ſe vocat, tibi dicatur: Quarè proximū tuū ſinè iuſtitia mea interemiſti? Homines quoquè qui iudicio rei ſunt, illos ſecundùm ſcripturas ſanctorum, (qui columnę Eccleſię erant) cum lege & cum timore mortis conſtringe, in omnibus tamen attendens maledictionem ho-

minis

minis illius, qui homicidium in ira ſua perpetrauit. Tu etiàm pro omnibus negligentijs & peccatis ac pro omnibus iniuſtis
iudicijs tuis cum ſignaculo crucis, ad Deum viuum confuge, Ioan. 14.
qui via & veritas eſt, & qui etiàm dicit, Nolo mortem pecca- Ezec. 18.
toris, ſed magìs vt conuertatur & viuat. Et ſi tempus venerit, quòd infideles fontem fidei deſtruere laborant, tunc eis (quãtùm per adiutorium gratię Dei potueris) reſiſte. Ego enim in anima mea video, quòd ſolicitudo, quam de anguſtijs animę tuæ habes, aurorę quę manè oritur, ſimilis eſt. Vndè Spiritusſanctus te in pura & vera pœnitentia ardentem ſolem efficiat, vt eum quęras, & ipſi ſoli ſeruias, ità vt in ſumma beatitudine in ęternum viuas.

BERNARDVS CLARAEVALLIS Abbas, Hildegardi.

Dilectę in Chriſto filiæ Hildegardi, frater Bernardus Claręuallenſis vocatus Abbas, ſi qd poteſt oratio peccatoris. Quòd de noſtra exiguitate longè aliter, quàm noſtra ſeſe cõſcientia habeat, quidam ſentire videntur, nõ noſtris meritis, ſed ſtultitiæ hominũ imputandum eſt. Ad dulcedinem autem pię charitatis tuæ ſcribere properaui, quanuìs id breuiùs omninò quàm vellem, negociorum multitudo compellat. Congratulamur gratię Dei, quę in te eſt, & vt eam tanquàm gratiam habeas, & toto ei humili-
tatis & deuotionis affectu ſtudeas reſpondere, admonemus: Iac. 4.
ſciens quòd Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gra- 1.Pet.5.
tiam. Quòd in nobis eſt, hortamur & obſecramus. Cęterùm
vbi interior eruditio eſt, & vnctio docens de omnibus, quid 1. Ioan. 2.
nos aut docere poſſumus aut monere? Diceris enim cęleſtia ſe-

creta rimari, & ea quę ſupra homines ſunt, Spiritu ſancto illuſtrante dinoſcere. Vndè rogamus magis & ſuppliciter poſtulamus, vt noſtrî memoriam habeas apud Deum, & eorum pariter qui nobis in ſpiritali ſocietate iuncti ſunt. Nam cùm Spiritus Deo coniungitur, confidimus quòd nobis multùm prodeſſe valeas & ſubuenire. Multùm enim valet deprecatio
Iaco. 5. iuſti aſſidua. Nos etiàm pro te aſſiduè oramus, vt conforteris ad bona, inſtruaris ad interiora, dirigaris ad permanſura, ità vt nè hi qui ſpem ſuam in Deum poſuerunt, deſperando pro te claudicent: ſed vt in profectu benedictionis, quam à DEO accepiſſe cognoſceris, benè confortati, in melius & melius proficiant.

BERNARDO HILDEGARDIS.

IN Spiritu myſteriorum tibi dico, O Venerabilis pater, qui mirabiliter in magnis honoribus virtutis Dei, valdè metuendus es, illicitæ ſtultitię huius mundi, vexillo S. Crucis cum excelſo ſtudio in ardẽti amore filij Dei, capiens homines, ad bella pugnanda in Chriſtiana militia, contra tyrannorum ſæuitiam, quòd ſum valdè conſtricta in viſione, quę appáret mihi in Spiritu myſterij, quam nõ video exterioribus oculis carnis. Ego miſera & plùs quàm miſera in nomine fœmineo, ab infantia mea vidi mirabilia magna, quę lingua mea non poteſt proferre, niſì quòd me docet Spiritus Dei, qualiter ea dicam. Certiſſime & mitiſſime pater, audi me, in tua bonitate indignam famulam tuam, quę nunquàm ab infantia mea ſecurè vixi, & de tua pietate & ſapientia intellige in anima tua, ſecundùm quod doctus fueris in Spiritu ſancto, quoniam ea quę tibi de me dicta ſunt, ſe-

cun-

cundùm hunc modum ſunt. Scio enim in textu interiorẽ in-
telligentiam expoſitionis pſalterij, Euangelij & aliorum vo-
luminum, quę monſtrantur mihi in hac viſione, quę pectus
meum tangit, & animam meam ſicut flammam comburens,
docens me hæc profunda expoſitionis, ſed tamen non docet
me literas in Teutonica lingua, quas neſcio. Sed tantùm ſcio
in ſimplicitate legere, non in abſciſſione textûs, q̃a homo ſum
indocta, de vlla magiſtratione cum exteriori materia: ſed in-
tùs in anima mea ſum docta, vndè loquor tibi, de te non du-
bitans, ſed de Sapientia & pietate tua conſolabor pro eo, quia
multa ſchiſmata ſunt in hominibus, ſicut audio homines di-
cere. Nam cuidam monacho, quem ſcrutata ſum in conuer-
ſatione probatioris vitę, hæc primùm dixi, & illi omnia ſecre-
ta mea monſtraui, & cõſolatus eſt me, ità quòd hęc magna &
timenda ſunt. Volo pater vt propter amorem Dei in orationi-
bus tuis meî recorderis. Ego ante duos annos te in hac viſione
vidi, ſicut hominem in ſole adſpicere, & non timere, ſed valdè
audacem: & ploraui quòd ego tantum erubeſco, & inaudax
ſum. Bone pater & mitiſſime, pono me in animã tuam, ora
pro me, quia magnos labores in hac viſione habeo, quatenùs,
quod video & audio, dicam. Et interdùm in magnis infirmi-
tatibus de hac viſione, in lectum proſternor, quia taceo, ità
quòd non poſſum me erigere. Ergò cum mœrore coram te
plango, quia mobilis ſum, cum motu in torculari arbore in
natura mea, orta de radice ſurgente in Adam, qui factus eſt
exul in peregrinum mundum de ſuggeſtione Diaboli. Nunc
autem ſurgens, curro ad te. Ego dico tibi. Tu es mobilis, ſed
ſemper erigens arborem, & victor in anima tua es, non tantũ
te ipſum ſolum, ſed etiàm alios homines in ſaluationem eri-
gens. Tu autem aquila es adſpiciens in ſolem. Oro te per ſere-
nitatem patris, & per eius verbum admirabile, & per ſuauem

humo-

humorem compunctionis, ſcilicet Spiritum veritatis, & per ſanctum ſonitum,per quem ſonat omnis creatura,& ꝑ ipſum verbum, de quo ortus eſt mundus, & per altitudinem patris, qui verbum in ſuaui viriditate in vterũ virginis miſit,vndè illud carnem, ſicut circumædificatur mel fauo, ſuxit, vt non ocioſè in verbis meis torpeas.Sed ea in cor tuum pone, ità vt non ceſſes,dum tranſeas per foramen animæ tuæ, ad Deum pro me adſpiciens,quia ipſe te vult.Vale Vale in anima tua,& eſto robuſtus in certamine in Deo, Amen.

ADAM ABBAS DE EBRA, Hildegardi.

DOminę & matri ſuæ dilectiſſimę Hildegardi, magiſtræ ſororum de S. Ruberto in *Pinguis, frater Adam Abbas (licèt indignus) de Ebra, modicũ id quod eſt. Cùm primùm notitiã
Mat. 2. noĩs veſtri ſuſcepi,grauiſus ſũ gaudio magno.
Adauxit Deus gaudium meum,cùm nutu benigno & mirabili direxit nos, vt videretur facies,& audiretur
Cant. 2. vox veſtra in terra noſtra,mihiq́ue quod vix ſperare poteram,
mutuam conceſſit collocutionem. De quibus autem me vobis dixi anxium, confido vos non immemorem eſſe,& quia diuerſi diuerſa ſentiunt,alij iſtud,alij illud,ſi bonum eſt & ſalus apud Dominum,benedictus Deus:ſi periculum,orate Deum, bonum mihi & ſalutem animæ tribuat, & omne periculum excludat.Nunc verò literas mitto, & nuncium noſtrum Domino Imperatori pro cauſa veſtra,& ſpero per gratiam DEI nos exaudiri,& vbicunquè ſeruitij noſtri indigueritis, parati erimus ſeruire vobis. Exoramus quoquè,vt pro nobis orare digne-

dignemini, quia verè in turbine ſumus pro ſolicitudine fratrum noſtrorum, vt Spiritusſancti gratia, quæ multa mirabilia Spiritu prophetico in vobis operatur, inſpiciat etiàm & nos, & muniat. Rogamus etiàm, vt & nos ſcriptis veſtris conſolari & pręmunire dignemini.

RESPON. HILDEGAR.

IN vera viſione ſpiritûs, vigilãs corpore, hæc verba audiui: Qui eſt, dicit: Sol micat, & ra- Exo. 3.
dios emittit. Quidam autem vir amicus ſolis, hortum habuit, in quo multa aromata & multos flores in magno ſtudio plantare deſiderabat, & ſol in igne radiorum ſuorum calorem ſuper aromata & flores miſit, & ros & pluuia illis humorem viriditatis dederunt. Tunc ab aquilone tortuoſa imago nigris crinibus & horribili facie exiuit, & ab oriente pulcherrimus iuuenis, candidis crinibus, plena & amicabili facie, proceſſit, & ad ipſum hortũ venerunt. Et tortuoſa imago ad iuuenem illum dixit: Vndè venis? Qui reſpondit: Ab oriente ad hortum huius ſapientis viri venio, quia magnum deſiderium veniendi ad illum habui. Tortuoſa imago dixit: Audi me: Periculoſus ventus, grando, ignis & peſtilentia ſuper hortum illum venient, & eum arefacient. Sed iuuenis ille reſpondit: Non ſic, non ſic erit, quia hoc nolo, ſed puriſſimũ fontem educam, & hortum illum irrigabo. Et tortuoſa imago reſpondit: Vah Vah, hoc ità poſſibile eſt, velut ſi locuſta durum lapidem trãsfodiat. Et ſic imago illa in dolo ſuo hyemẽ ſuper hortũ illum induxit, & aromata & flores illius arefacere voluit. Sed præfatus iuuenis officium ſuum in citharis ſuis colens, illud nõ videbat. Et cũ deindè hoc vidiſſet, in ma-

gno ſono ſolem aduocauit,vt in ſigno tauri veniret,& denuò viriditatem æſtatis ſuper hortum illum adduceret. Ac ità cornu eburneum & cornu de ceruo ſumptum tollẽs, tortuoſam imaginem illam ad terram per ea proſtrauit. Et tunc ad virum illum,cuius prædictus hortus erat, dixit: Amodò in te ità negligenter non confidas,quin hortum tuum tanta munitione circundes,vt nigerrimæ aues in tempeſtatibus eum non areſaciant. Nunc ô tu pater,qui per ſummam vocationem in vice CHRISTI es,hæc verba ad te dicta intellige. Audi ergò: Gratia Dei velut ſol micat,& dona ſua ſic interdũ emittit, vno videlicet modo in ſapientia, altero in viriditate, tertio in humiditate. Sapientia autem in pinguem naturam cadit,viriditas verò magnos labores ſubintrat, & humiditas in duram amaritudinem vadit. Sed tu vir amicus gratiæ Dei,hortum populi habes,in quo per vicem Chriſti multa bona deſideria & bona opera ſtudioſè plantare debes. Et gratia DEI in virtute donorum ſuorum efficaciam bonæ voluntatis ſuper deſideria & ſuper opera illa emittit,& rore ac pluuia fontis aquæ viuæ vireſcere facit. Sed à Diabolo vitia in inquietudine vanæ gloriæ, & in ſtrepitu propter me iuſto magiſterio reſiſtentis,exeunt: à Deo autem virtutes in contemptu ſecularium,cum plena beneuolentia ſubiectionis in charitate ꝓcedunt, ad populũ iſtum venientes. At vitia à virtutibus quærunt,ad quid venerint. Sed illæ reſpondent,quòd à DEO ad populum amici Dei venerint, quia magnum deſiderium ædificandi in eo hoſtiam laudis habeant. Et vitia dicunt, vt verba hæc audiant: Ruina magna & ira & ſciſcitatio cum multa inquietudine,ſuper populum iſtum irruent, ità quòd in miniſterio Dei fatigabitur. Et virtutes reſpondent: Nõ ſic eueniet, quoniam in bonis non ceſſabimus: ſed viuus fons emanabit, & populum hunc miſericordia ſua defendet. At vitia dicunt

cachin-

cachinnantia, quòd hoc poſſibile ſit, velut ſi fragilitas in carnem fixa, durare valeat ſinè ruga. Tunc vitia in dolis ſuis frigidam nebulam ignorantiæ populo huic inducunt, ità quòd bona deſideria & bona opera illius iam in defectu ſunt, cùm in ſe ipſum confidit. Sed virtutes famulatum in laudibus ſuis DEO exhibentes, hoc iuſto Dei iudicio fieri permittunt, ità vt homines intelligant quid ſint. Qui cùm ad ſeipſos in humilitate virtutum redeunt, eædem virtutes magno ſtudio circũſpectionis gratiam Dei tenent, vt mentibus illorum paſſionẽ CHRISTI imponant, quatenùs hoc modo ad primã laudem Dei eundem populum adducant. Et ſic Diuinitatem & humanitatem filij Dei attendentes, vitia illa ad contritionem proſternunt. Sed & ad illum, ſub quo populus iſte eſt, dicunt: Per hæc admonitus, proprijs viribus non confidas: ſed præuide, vt ad gratiam Dei fugias, vt tuos in omnibus modis ità munias & moneas, nè Diabolicæ inſidiæ diuerſis vitijs eos per negligentiam euertant. Vidi etiàm quaſi pulcherrimam puellam in tanto fulgore ſplendidæ faciei fulgentem, vt eam perfectè intueri non poſſem. Et pallium candidius niue & clarius ſtellis habebat. Calceamentis quoquè velut de puriſſimo auro induebatur. Solem autem & lunam in manu dextera tenebat, & eos ſuauiter amplexabatur. In pectore etiàm eius tabula eburnea erat, in qua ſpecies hominis ſaphirini coloris apparebat, & omnis creatura puellam hanc Dominam nominabat. Sed & ipſa ad ſpeciem, quæ in pectore ſuo apparuit, dicebat: Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. Et audiui vocem mihi dicentem: Puella hæc quam vides, charitas eſt, quæ in æternitate tabernaculum habet. Cùm Deus mundum creare voluit, declinauit ſe in ſuauiſſimo amore, & omia neceſſaria prȩuidit, quemadmodùm pater filio ſuo hæreditatem

Pſal. 109.

præparat, & ſic in magno ardore omnia opera ſua diſpoſuit. Tunc creatura in his ſpeciebus & in formis ſuis creatorem ſuum agnouit, quoniam charitas in principio, materia eiuſdem creaturæ ſic fuit, vbi Deus dixit: Fiat, & facta eſt, quia omnis
Gene.1. creatura quaſi in ictu oculi per illam formata eſt. Quæ in tanto fulgore ſplendidæ faciei fulget, vt eam perfectè intueri non poſſis, quia ipſa timorem Domini in tam pura ſcientia oſtendit, quòd mortalis homo eam ad finem perducere non poterit. Et pallium candidius niue, & clarius ſtellis habet, quoniam ſinè ſimulatione in candida innocentia cuncta compræhendit, cum ſplendiſſimis operibus ſanctis. Calceamentis quoquè velut de puriſſimo auro induitur, quia hæc itinera habet, quæ in optima parte electionis DEI ſunt. Solem autem & lunam in manu dextera tenet, & eos ſuauiter amplectitur, quoniam dextera Dei omnes creaturas complectitur, & quia etiàm dilatata eſt in gentibus, in regnis, & in omnibus bonis. Vndè etiàm ſcriptum eſt: Dixit Dominus Domino
Pſal. 109. mino meo, ſede à dextris meis. In pectore quoquè eius tabula eburnea eſt, quoniã in ſcientia Dei integritas ſcilicet in virgine Maria ſemper floruit, ità quòd in ea ſpecies hominis ſaphirimi coloris appáret, quia filius Dei in charitate ex anti-
hæc referũtur ad Chriſtũ, q dicitur Oĩs creatura, & Oĩa creans. quo dierum effulſit. Et omnis creatura puellam hanc dominam nominat, quoniam ab ipſa proceſſit, & illa primatiua fuit, omnia creans, quemadmodùm ſpecies in pectore eius oſtendit, quia Deus humanitatem propter hominem induit. Nam omnis creatura in iuſſione Dei impleta fuit, ſicut ipſe
Gen.1. dixit, Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Calor veri ſolis, ſicut ros in vterum virginis deſcẽdit, & de eius carne hominẽ fecit, vt étiàm ipſum Adã de limo terræ carnẽ & ſanguinem formauit. Et virgo illum in integritate genuit. Sed nou

decuit

decuit vt charitas pennis careret. Nam quãdò creatura in primo circuiuit, ità quòd in preſſura volare voluit, & cecidit, pennæ charitatis illam eleuabãt. Hoc ſancta humilitas fuit. Cùm enim horribilis ſenſus Adam proſtrauit, Diuinitas acutè inſpexit, nè ille in caſu omninò periret, ſed vt eum in S. humanitate redimeret. Nec alæ magnæ potentiæ fuerunt, quòd hominem, qui perditus fuit, humilitas in humanitate ſaluatoris eleuauit, quoniam charitas hominem creauit, humilitas autẽ eum redemit. Spes verò eſt quaſi oculus charitatis, amor autẽ cæleſtis velut cor illius, & abſtinentia compago ipſius. Fides eſt velut oculus humilitatis, obedientia verò quaſi cor eius, & contemptus mali quaſi compago illius. Charitas in æternitate fuit, & in initio omnis ſanctitatis omnes creaturas ſinè commixtione mali produxit, & Adam & Euam de mũda creatura terræ procreauit. Et ſicut hi duo omnes filios hominum generauerunt, ità & hæ duæ virtutes, omnes reliquas virtutes producunt. Iſtæ virtutes ad ianuam tuã ô homo, cui hæc loquor, pulſant & dicunt: O tabernaculum viri huius, qui in manè nobiſcum manet, iam in fatigatione eſt. Et charitas ad te dicit: O fide amice, nolumꝰ vt te abſtrahas de officiali ligatura tua. Nam cùm DEVS in gyro cæli omnes creaturas diſſeminare voluit, omnia opera eius in amplexione habuimus, & cum eo laborauimus. Sed homo cecidit, & cum illo fleuimus, nec eum reliquimus, quanuis in maxillam noſtram nos cæderet. Et humilitas ad te ſpecialiter dicit: Hei Hei, in quàm magnis doloribus hominem ſuſtinui. Tu autem dicis, fugere volo. Sed ſarcinam ad portandum in vineam habes, & ſtas, nec ambulare vis, ſed in tædio inuolueris, & in aliam viam adſpicis. Certè comes noſter ſic non faciet. Cùm autem populus te amat, cum illo labora. Sed cùm rugitum venti cum inquietudine belli viciſſitudinis morum efflat, vide ad me, & in rota

Charitas.
Humilitas.
Spes. Amor
Fides.
Abſtinẽtia.
Obediẽtia.

potentia alarum mearum te adiuuabo. Samſon fortiſſimus,
Iudic.16. per ſtultitiam mulieris vim ſuam perdidit. Caue ergò, nè tibi ſic contingat, ſi tædio per conſenſum dederis reſpõſum. Glo-
3.Reg.11. ria quoquè Salomonis, per ſtultitiam mulierum euacuata eſt. Vide etiàm cum ſolicitudine, nè per viciſſitudinem harum cogitationum tuarum, viriditas, quam à Deo habes, areſcat: Sed ornamenta auri & precioſi lapidis, quæ charitas & humilitas in te habent, obſerua. Tu etiàm propter armillas, quas ſapiẽtia tibi dedit, & propter quas populus tibi accurrit, da gloriam Deo, & cum populo labora: & ità cum ſole permanebis. Et tu pater audi: Sicut ſtella matutina auroram in lumine ſuo præcurrit, ſic omnibus præbe auxiliũ ab oſculo dilectionis, quam tibi Deus dedit: & vitam tibi dabit, quã in prima die inſpexit.

ABBAS DE EBERBACH, Hildegardi.

DIlectæ Deo & hominibus venerandæ Dominæ & magiſtrę Hildegardi in Binga, frater E. Abbas (licèt indignus) de Eberbach, modicũ id quod eſt. Magnificamus & glorificamus pro vobis Chriſtum ſaluatorem noſtrum, qui reſpicit ſe trementes, potens exaltat humiles, qui & magna vobis fecit, quia potẽs eſt. Elegit, ſicut ipſi audiuimus & vidimus, ſacrarium pectoris veſtri in habita-
Pſal. 50. Can.2. culum ſibi, ſcientiamq; Diuinam, incerta & occulta ſapientię ſuæ vobis manifeſtauit, introducens in cubiculum ſuum ad flores roſarum & lilia conuallium, ad florida rura montium æternorum: Læua eius ſub capite veſtro, & dextera eius amplexatur vos, ità vt veraciter dicere valeatis: Dilectus meus mi-
Cant.1. hi, & ego illi. In omnibus his oleum effuſum nomen veſtrum,

& ideò adoleſcentulę dilexerunt vos, & nos currimus in odorem vnguentorum veſtrorum. Rogamus & Dominum, vt & dona naturæ & munera gratiæ ſuæ vobis conſeruare dignetur, ſibi ad gloriam, vobis ad coronam, nobis ad gaudiũ, multis ad exemplum. Oramus quoquè & humili prece depoſcimus, vt noſtrî etiàm memor eſſe dignemini, atq; in aduentu ſponſi veſtri noſtram ſibi paruitatem commendare, vt ſicut de opinione ſanctitatis veſtræ lætamur & gaudemus, ſic interceſſione veſtra mereamur gaudium & exultationem percipere. Si quid de ſeruitio noſtro percipere dignamini, lætanter amplectimur, faciemus quoquè, ſicut & modò facimus, & ad omnem S. voluntatem veſtram ſubſeruire parati ſumus.

RESPONSIO HILDEGAR.

QVi eſt, dicit: Serena lux videt ſtabulum & ſtatutum prandium cuiuſque congregationis, quæ officium in miniſterio ſuo habet, cibum refectionis in recta moderatione diſtribuẽs, nè fidelibus ſibi adhærentibus lætitia animæ deſit, paſtoralis villicus debet fortiſſimis mẽtibus gladium in vagina dare, & ſuauiſſ. moribus ſagittas in pharetra oſtendere, & capaci beneuolentię, aromata medicinarum tribuere. Nigri autem tyranni, flagella occiſionis portant. Probus miles ſinè tædio deriſionis pugnat, & ſuauis ſenſûs ſufficientiam in communi bono labore captat, & epulantes mores in rectitudine, præcincti ſunt in omnibus virtutibus, ità vt famem habeant iuſtitiam perficere. Sed ſæuiſſimi & à nobili matre miſericordiæ peregrini, ſimplices oues quæ in atrijs domûs regis ſunt, iugulant. Heu Heu, qui ſic in occiſione

ne inſaniunt, à domo regis, niſi pœniteant, peregrini ſunt, quia oues Domini diſpergunt. Tu autem ô paſtor lætam faciem in miſeria pauperum, qui puſillanimes ſunt, habe, non valentes aratrum diſciplinæ appræhendere. Boni verò, & beneuolentiam habētes, ſint tibi in ſymphoniam Spirituſſancti. Caue etiàm nè torpeſcas in lumine. Sed intellectus tuus vigilet, & nō ſit duplex in ſono, ità nè aliud dictes interiùs, quàm ſonas exteriùs. Qui hoc faciunt, in tenebris faciem ſuam obnubilant. Sed ſi poſteà in tremore timent, quoniam in corde ſuo hoc non capiunt, quod in facie ſua oſtendunt, eripiuntur ab infidelitate, concuſſi in pœnitudine. Tibi autem ô homo refectio fiet in cinctura femorum tuorum, vbì verum deſiderium in manibus tuis habes, cùm theſaurum veræ pecuniæ non negligis. Terra tibi dormit, quoniam naufragium mundi te non lędit. In fine temporis tui Deus ſuſcitabit te. Ipſe in magno honore te cōſtituet. O ſerue bone, illum laudabis, & ipſe in æternum ſaluabit te.

Hypocriſis.

DOMINAE HILDEGARDI, ABbas S. Anaſtaſij.

DIlectæ in Domino, & deuotiſſ. ſorori Hildegardi, Dei gratia magiſtræ in cœnobio S. Roberti, frater E. S. Anaſtaſij vocatus abbas, ſalutem & orationē.

Gloria Deo, quia bonus odor Chriſti es, & apud tuos & apud noſtros. Bonum nomen Chriſti & benedicitur, & laudatur per te, & qui ſanctificatur in te. Glorificas enim & portas in corpore tuo Chriſtū, dignè digna vocatione, qua vocata es, te ipſam faciens, & cooperando gratię, quæ data eſt tibi, in domo Domini omnibus te exhibens vas in honorem.

1. Cor. 6.

Et

Et quoniam familiare Chriſti organum & receptaculum ſpiritûs eius es, humili prece te poſcimus, vt in ſpiritu & veritate ores pro me & his, qui curæ noſtrę commiſſi ſunt, vt quod cœpit in nobis, perficiat & velle & perficere pro bona voluntate ſua, vt & nos curſum boni certaminis in Chriſto cõſummemus, & gloriemur ſimul in laude eius. Decæterò rogo, vt ſpiritus qui reuelat arcana & occulta ſapientiæ ſuæ, indicet tibi, quid mihi expediat in portando obedientiæ Chriſti onere, ſcilicet perſeuerare, an quieſcere, vt vacem ipſius contemplationi. Quidquid ſuper hoc reuelatum fuerit tibi, nè abſcõdas mihi: quia paratum cor meum Deus, paratum cor meum, vt faciam voluntatem tuam. Librum quem ſcripſiſtis, vt ſcribatur nobis, & conſilio & adiutorio veſtro opùs habemus, & bona veſtra voluntate. Deſideramus enim quammaximè habere illum, & inſpicere mirabilia Dei in illo. Prætereà obnixè rogo, vt reſcripto literarum veſtrarum viſitemur, & conſolemur in labore & patientia pro Chriſto ab vberibus conſolationum per vos. Valete, ſalutate ſorores veſtras, & orate pro nobis.

Phil.1.

Pſal.108.

RESPON. HILDEGAR.

QVi eſt, dicit tibi ô homo: Mens tua deſiderãter ſurgit per opinionem bonorum operum, & te erigis in altum, plura deſiderans quàm opereris. Sed aliquandò ipſa mens tua decipit te, cribrando cauſas tuas, ſic dicendo: Hæc optima ſunt, quæ tamen non operaris ad præſens. Vndè & ipſam cauſam, quam in manu in propoſitione tua habes, ſic à te excutis. Perfice ergò ſuſtentationem ouilis tui, & da ei præcepta, ſcilicet virgam magiſtri præbendo, & poſteà vnguentum medici exhibendo, quia vtilius tibi

eſt,vt in hoc labore vigiles, alijs per doctrinam tuam in ſubiectione miniſtrantibus,quàm teipſum in voluntate tuá exerceas. Nam ſi te ſupponeres, tædium te vallaret,ità vt mens tua areſceret. Ideò vigila ſuper gregem tuum, præbendo ei bona exempla, quæ deſiderat anima tua, nè mens tua in irriſionem reducatur. Nam ille qui in alto ſtat, & in vallem clamat, interdùm in vtroque neſcit quò vadat. Propterea ſta in humilitate, ità vt Deo adiuuante bona opera exerceas, quæ cœpiſti, & permane in veſtigijs CHRISTI, nec te ipſum decipias: & in æternum viues.

ABBAS DE KEISHEYM, Hildegardi.

CVnradus de Keisheym Abbas, licèt indignus, ſanctiſſ. Dominæ Hildegardi, in clauſtro S. Roberti in Binga pręlatę, deuotas orationes cum humili obſequio. Ex quo primùm inſignia virtutum tuarum, mater ſanctiſſ. & ſpeciale munus à Deo tibi collatũ, audire potui, quãuìs corporali pręſentia tibi incognitus, tamen te tota mẽtis affectione dilexi. Congaudeo ergò glorię tuę, quia dilectũ quem quæſiuit anima tua, inuenire meruiſti, & non neceſsè Cant. 1. habes vagari poſt gregem ſodalium, quoniã qui in lilijs paſcitur, requieuit in tabernaculo tuo, implens hortum tuũ copia diuerſarum deliciarum. Miror tamẽ Domina chariſſima, quia cùm ſis quaſi quidã riuulus, ab ipſo fonte bonitatis emanans, diffundens beneuolentiã tuã in omnes, qui deſiderant ſcire & audire magnalia Dei per te, cur mihi tantillo in magna cordis anxietate laboranti, viſcera pietatis claudis, & munuſculum quod ex charitate magis q̃ ex præſumptiõe deſidero, tam mo-

roſè

roſè tranſmittis. Obſecro igitur cum omni deuotione, vt ad ipſum ſponſum, qui requieſcit in cubiculo cordis tui, qui tuis petitionibus aurem clemētiæ ſuę libenter inclinat, pro me intercedas, & ab ipſo petas, quatenùs tibi manifeſtetur, vtrùm mihi vtilius ſit onus paſtoralis curę deponere, an diutiùs ferre, quia in eo valdè premor, & memetipſum obliuioni trado. Sed in hoc ſciam te exauditam, ſi reſponſum tuum indè habuero. Vale Deo chara.

RESPON. HILDEGAR.

LVx acuta videt, & dicit: O homo, pallidus es per dubietatē mētis tuę, quaſi nō poſſis ſtare. Et quarè hoc? Video opera tua. Ipſa enim tangunt me. Sed tu nôſti agnitionē rebellium. Quarè ergò erubeſcis ante altare meum adſpicere ad ſanctuarium meum, vt ornes illud velut templum quod viuentes oculos habet? O onus, vbì paſtor bonus agnos ſuos leuauit ſuper humeros ſuos. Vbì enim oues per vias rectas non ambulant, debet eas mitis paſtor leuare per ſolicitudinem animi ſui, & corrigere & vngere, ac docere in bonis operibus. Et ſicut manus operatur in brachio, ſicut etiàm brachium mouetur in ſcapula: ſic paſtor ouibus ſuis exempla in manu bonorum operum porrigat, & medicinā in brachio adiutorij, & ſolutionem diuerſorum vitiorum per ligaturam crucis, velut in humero poteſtatis. Nam verè pœnitentibus vitia ſua remittenda ſunt. Diabolus enim vim cordis ſui, & guſtum gutturis ſui, & flagrantem flammam vipereì oris ſui euomit. O homo, audi planctum doloris in effuſione criminis, quod eſt in contagione carnis in pulchra forma hominis. Plange, ô virginitas, integritatem primi ortûs tui. Nam manus ſummi artificis formauit te, &

poſuit te in hortum voluptatis. Sed flagrans mens hominis, decepit eum in vana optione voluntatis ſuæ, per ſuperbiam conſilij criminoſi deceptoris. Vndè ipſe expulſus eſt per guſtum inobedientiæ. Et ſic venter eius præuaricatus eſt, cùm priùs latus eius per ſanctiſſ. donum perforatum eſſet. At nunc femur eius pollutum eſt veneno ſudante. Sic tetigit homo guſtum gutturis ſerpentis, quandò æſtuauit in venenoſis venis ſuis. Vndè & poſteà fornicatus eſt in vipereo deſiderio, quod eſt flagrans flamma ab ore diaboli. Nunc in obedientia cibum operata eſt. Et quia Deus fœminam de coſta fecit, ideò Diabolus deindè homicidium ſuggeſſit, ità vt omnia opera ſua per aliam viam duceret in reuelationem peccatorum ebullientiũ per vim cordis ſui. O homo, quàm magna crimina facis, in ſimilitudine antiqui proditoris. Quomodò? Peſſimus enim accuſator retrò deiectus eſt, & abſciſſus ab omni beatitudine. Et quia retrò proiectus eſt, ideò cogitauit in malignitate cordis ſui, vt hominem duceret retrorsùm in contrarium peccatum. Sic homo reliquit formam coſtæ. vndè & formatio hominis ibì perit in huiuſmodi effuſo ſemine. Lugeat ergò terra, & tremiſcant cæleſtia propter hæc crimina. Nam cùm homo peccat per guſtum operis ſui, non relicta formatione coſtę, ſentit aliquantulùm quòd factura Dei eſt. Sed crimina iſta retrò incidentia, non ſunt in vlla creatione: quia homo qui ea facit, ſe hominem eſſe non videt. O homo, cur abijcis quòd factura Dei es? Ah Ah, ô homo, in magno ſtudio Deus te formauit, ſed tu in multa crimina te inuoluis: ſed Deus iterùm per filium ſuum te ad ſe reducet. Vndè per pœnitentiam ſurge, & citò curre ad me. Nunc tu ô miles, eſto robuſtus & armatus per vias planas, & ibì viriditatem fac, vbì ariditas eſt: & cura cincturam renum, illorum qui tecum ſunt, & coërce teipſum in bonis operibus, vt cor tuum illuminetur in ſole, & non fati-

(Margin: Gen. 3. beside "ſtum gutturis ſerpentis"; Gen. 2. beside "operata eſt")

geris in recto itinere, contra teipſum bellans. Ergò paſtoralem curam non relinque, quia pigmentarius qui irriguum & benè olentem hortum habet, videat, vt hortus ipſius vtilitatem fructuum afferat, vt non deficiat. Nam cùm oculus tuus videat, & cùm ſcientia tua vigilet, quarè dormis ſicut laſſus in cinctione rectæ prouidentiæ oculi tui? Circui ergò ſolicitè in bona prouidentia, nè talentum tuum infeliciter abſcondas, Matt.25. quoniam tibi non prodeſt vt abijcias alligationem illam qua ligatus es, dum duos oculos vel vnum, aut aliquam partẽ viuendi ſub tua cuſtodia habes. Si autem nullum oculum viuẽdi in tuis vides, ſed ſemper claudicationẽ, tunc fuge, & abſtine te à villicatione tua.

HILDEGARDI, ABBAS DE Hirſaugia.

SAnctiſſimę Dominæ ac matri ſuæ Hildegardi, M. Abbas indignus de Hirſaugia, orationem cũ obſequio. Audiui quidem & apud Cyrenen, quandam aquarum venam vino effluere, & te bona mater apud Alemannos ingredientium & egredientium aquarum venam atque ſpecierum ſuauium fumum ſicut myrrhæ & thuris viſum eſſe. Hauris enim mea Domina & effundis, & in formas ſpecificas & practicis in theoricam vis & motus exiſtis. Ea propter mihi impetus fuit diù & eſt, diligere te, honorare te, mirari te, ſeruire tibi tuiſque, & in om̃ibus verbo vel opere, tuis & tuarum eſſe orationibus, in quãtùm mihi fas eſt, & obſequijs. Rogo te mea mater & domina, memento meî in tuis ſanctiſſimis orationibus. dilige humilimè te diligentem. Re-

cognoſce in Chriſto te reuerentem, & literas mihi reſcribe in Deo rogata.

RESPON. HILDEGAR.

Nulli tam amicè, q̃ huic, reſcripſit.

O Dulciſſime pater, & in amore Chriſti frater: Ollam video circundatam tam magna claritate, vt vix videre poſſim ſi olla ſit. Sed & ibi video aliquantulum amari guſtûs, cōtritam tamen magna contentione, & poſteà turbinem, qui tamē ad præmium Dei prędeſtinatur. Vigila ergò ſtrenuè, quia cauſa populi in moribus in hoc tempore talia poſtulat. O mitiſſime pater, ego paupercula forma in vera luce non video, vt omninò de officio tuo mouearis. (Pſal.88.) Memorare autem quia homo es in terra, & nè valdè timeas, quoniam Deus in te diuerſa non requirit. (Can.3.) Tu enim in præſentia Dei es ſicut fumus myrrhæ & thuris, vndè mons Sion quærit, vt ſis eſca in domo Iacob. Sed ſi quis columnam quæ totam domum ſuſtentat, abſciderit, domum deijcit. (Iudic. 16.) Quapropter per ſeptem feneſtras proſpice, conſiderans vbi accipiter veniat, & caue nè ille te decipiat. Paſce ergò oues tuas in manſuetudine correptionis, quia dies ſalutis non fugit, & nondùm cinis eris. Eſto quoquè ſpeculum vitæ in oculis vitę.

PROVISOR S. EMMERAMNI, Hildegardi.

Religioſiſſimæ Chriſti ancillæ Hildegardi, A. indignus prouiſor cœnobij S. Emmeramni Ratiſponę, perſeuerātiam in omnibus bonis, à patre luminum collatis. (Iac.1.) Gratias agimus Deo noſtro, qui Eccleſiam

ſiam ſuam mirificè ornauit, te ei donando. Per te enim omnes iuſti magnificè gloriantur, & hactenùs deſperati, beatificè lętificantur, quia ſperant ſe per te poſſe reconciliari Chriſto. Vndè & præſentium literarum lator, vt aſſerit, de ſalute ſua deſperans, nupèr mihi miſerias ſuas conqueſtus eſt, obſecrans vt eum, ad præſentiam tuæ beatitudinis cum literis commēdatitijs dirigerem. Idcircò ô famula CHRISTI, pietati & compaſſioni tuæ eum commendo, ſuppliciter rogans, vt pro amore Dei omnipotentis, pro ſaluatione eius totis viribus cũ omnibus tibi obedientibus labores. Inſupèr ô Deo dilecta, almitati tuæ ſupplico, vt me & omnes mihi commiſſos, aſſiduis orationibus tuis digneris commendare Chriſto, qui eſt retributor & retributio laborum ſanctorum ſuorum. Amen. Valete.

RESPON. HILDEGARD.

QVi eſt, dicit: O homo, vbiq; circunſpicere debes, vt abigas inſidiatores ouium tuarum. Vidè etiàm vt inſpicias cicatrices vulnerum illorum, quia multæ nebulæ circueũt in ſpiritali populo. Et hæ nebulæ vitijs plenę ſunt. Quas cùm Diabolus viderit, ad illum feſtināter perſuaſionem ſuam cum irriſione mittit, & cum diuerſis modis eum volantibus iaculis vbiquè mouet. Nebulæ iſtæ, ſunt moleſtiæ & incredulitates in vitijs, quæ pœnas habent, & non epulas: quia vbì hæc ſunt, ibì triſtitia eſt, & rara victoria, & aridæ venæ in eiſdem hominibus, cùm requirunt peccata ſua in inquietudine mentis ſuæ, ſemper adſpicientes ad infelicitatē, velut ſaluari non poſſint, contradicentes etiàm gloriæ Dei, non tñ ſic, quaſi Deus non ſit. Sed quędam nebula

ſcientiam

ſcientiam ipſorum compræhendit, hæc illis ſuggerens cum fallacibus verbis. Sed ipſi tamen repugnantes, ſciunt ea ſic non eſſe: ſed tantùm illa in ſcientia ſua ità percipiunt, ſicut auditus hominis turpiſſima verba capit, quæ tamen mala eſſe cognoſcit. Pœnæ iſtæ ſæpè martyres faciunt, vbì homo vitia eorum non perficit in operibus. Nunc ô tu homo, qui in ouibus tuis ad ſpeculationem poſitus es, inſpice in oculo ſcientię tuę, vbì iſtæ nebulæ in ouili tuo ſunt, & cum miſericordia & conſolatione vnge homines, in his pœnis laborantes. Sed epulantia crimina corrige in virga diſciplinæ, nè in lacum vadant. Nã in conſcientia tua fulget lumen gladij, ſed tamen in moribus tuis turbines ſunt. Tu autem ad verũ lumen adſpice, & viues.

ABBAS NEVENBVRGENSIVM.

HIldegardi beatiſſ. ſanctimoniali fœminæ, E. ſolo nomine Nuenburgenſium fratrum abbas, quicquid vtriuſq; hominis valet optare affectus. Quia fama ſanctitatis veſtrę cunctorum aures dulci rumore reſperſit, ad videndam faciem veſtram, animum noſtrum ardentiſſimè prouocauit. Vndè in æſtate præterita, ſumptus ad viaticum iter arrepturus, ad vos properaui. Sed bellorum tempeſtatibus territus ſum. Nunciũ tamen cũ literis ad vos direxi, per quem nihil aliud reſpõſionis accepi. Et nè hoc ex nũcij incuria euenerit, in eis continentia iterùm replicabo. Primùm de conſortio fraternitatis à nobis ſuſceptæ, ex intimo corde gratias ago, deindè veſtris precibus & in inſtãtibus periculis apud Deum iuuari depoſco. Quia enim in regimine poſitus, ſecularium turbinibus impellor, ad portum Sanctitatis & orationis veſtrę confugio, vt in his ꝑ omnia & ſuper omĩa

non

bam peccato. Et licèt hæc ſtudioſè depoſcam, præcipuè tamē, expleto vitę curſu, vt à Domino ſaluari merear & corpore & Spiritu, veſtris precibus exoro. Inter quas preſſuras vna prę ſtantior cęteris imminet, pro qua & vos inſtantiùs Dominum exorare peto. Aliquod pignus ſalutis, per quod proſperari valeam, & veſtrî memoriam habeam, per pręſentium latorem trāſmittite. Veniendi ad vos mihi non deerit affectus, donèc (ſi vita comes fuerit) opere compleam. Valete.

RESPON. HILDEGAR.

MEns tua in ſimilitudine eſt, quę fixuram luminarium habet, & illa hàc & illàc diſtribuit: ſed de turbine & nigredine ignium & aquarum nubes ſæpè turbatur, vſque dùm ſol per igneam ſphæram ſuam omnia perforet. Tu tędium dubitando habes & propter varia bella morum hominum laborare non vis. Nam nouus miles gaudet cùm arma portat, quia in fortiſſima vi miles nominatur, cùm inimici eius contra eum præliantur. Sed ſi dixerit, inimicos meos ſuperare non poſſum, & arma abiecerit, ſtultus nominatur, propter irriſionem hominum, quoniam arma illius in probitate belli non fulminant. Tu enim magiſter nudum tę nominans, ſicut coluber in foraminibus iaces, cùm per armaturam non contendis ſuperare varietatem tempeſtatum hominum. Sed non ſic erit. Nam in prima ætate Dominus villicos & procuratores in omni poſſeſſione cōſti- Luc. 16.
tuit, qui rationem ſibi darent. Cùm enim villicus dona accepit, arma & ſagittas ad ſe colligat, in armis ſcilicet rabidos ſcripturis, & in ſagittis impios & doloſos & furtiuos imbuendo cum parabolis cæterarum ſcripturarum. Sed cùm interìm tē-

peſtas magna, cum nigredine ignis & aquę, & ira & oblinio-
ne & tranſgreſſiõe pręceptorum Dei, occurrerint, cedat vſq;-
dùm tempeſtas illa attenuatur: adhibeat medicinam cum ſole
Oſeę 6. ſcripturarum, vt ſcriptum eſt, quia miſericordiam volo & nõ
Mat.9. ſacrificium. Miſericordia orationem poſtulat, quam Deus di-
& 12. ligit, & quam Spiritusſanctus inter nos & vos igneam faciat,
quatenùs nos in cæleſtem Ieruſalem perducat, Amen.

HILDEGARDI, ABBAS S. Mariæ.

DOminę ſuę Hildegardi, S. religionis honore
pręfulgẽti, H. S. Marię inutiliter dictus Ab-
bas, qualemcunque orationum & precum
officium, & S. debitæ ſeruitutis affectum.
Mallemus pręſentię veſtrę loqui, quàm ab-
ſentiæ ſcribere, ſi aut tempus nobis vacaret,
aut viæ lõginquitas, noſtrę non obſiſteret voluntati. Siquidẽ
veſtrę ſanctitatis alloquium licèt breuiſſimum aliquandò na-
cti ſumus, & idcircò crebrò vos audire vellemus: quia tũc pla-
cebat quidquid audiuimus. Hac verò occaſione nunc ſcriben-
dí vobis fidutiam cõcepimus, quod vtriſque nobis in Chriſto
dilectus lator pręſentium, ſicut in pleriſq; cœnobijs fecit, ſic
etiàm pauperculis noſtris oratiõibus, cùm apud nos morare-
tur, veſtram beatitudinem commendauit, & ſe internuncio id
nos flagitare aſſeruit. Memoriam igitur veſtrî, quanuìs nihil
ſimus, & facimus & faciemus, noſque cum noſtris omnibus
veſtras interceſſiões mereri, humiliato corde & corpore ſup-
plicamus. Per ipſum autem cui deuotè viuitis, à quo & arram
2.Cor.1. Spiritûs accepiſtis, hoc ſingulare ac ſecretum munus à vobis
& 5. expetimus, quatenùs familiaritatem impetrandi obtinere ſtu-
deatis.

deatis à Domino, vt inter cętera reuelationum chariſmata, noſtrę conditionem humilitatis vobis inſinuare dignetur, videlicet vtrùm in hoc officio honoris & oneris, prælationis & periculi, animæ ſalutem mereri me prouiderit, vel ab hoc abſolui, vtile mihi fore proſpexerit: & ſi quid reuelationis ſuper hac re acceperitis, per eundem pręſentium latorem ſcripto id continente, mœſtitiam noſtram conſolari, veſtram non pigeat charitatem. Nam & nos veſtram ſalutem ſitimus, vt diximus, atque vt in reuelationum magnitudine neceſſarię humi- 2.Cor. 12.
litatis augmentum vobis Dominus ſubminiſtret, exoptamus: quatenùs lampadem quam accenſam accepiſtis cęlitùs, tali ad homines cuſtodiatis lumine, vt indeficienti oleo, Chriſto Matt.25.
quem expectatis, cùm venerit, in gloria poſſitis occurrere.

RESPON. HILDEGAR.

IN ſpeculo verę viſionis vidi te valdè turbidum, ſicut mixtam nubem, cùm periculoſus aër in implexo vento infuſionis magnę pluuię mouetur, ſic ſunt cogitationes tuæ per inquietam mentem tuam in hac re, quã amplexus es in medio cordis tui. Et audiui vocem de te dicentem: Vir qui in aratro & bubus in arida terra laborat, dicens ad ſe ipſum, Hũc magnũ laborẽ ſuſtinere nõ poſſum, quia durus mihi eſt. Et ità vadit ad inaquoſa loca, vbì tamen ſunt molles flores, ſinè labore hominũ creſcentes, qui etiàm per inutiles herbas ſuffocantur, & dicit, aratrum dimittam, & has inutiles herbas auferam, quę vtilitas in hoc eſt? Nunc tu homo vide, vtrùm ille probior ſit, laborans cum vtilitate aratri in terra, an cum eradicatione inutilium herbarũ in floribus. Sed ego hanc cauſam quam requiris, inutilem tibi

 eſſe

eſſe vidi. Vndè teipſum cum officio tuo coërce, appręhenſo aratro. Deus autem ſuccurrat tibi in omnibus neceſſitatibus tuis, & non ſinat te inutiliter laborare.

ABBAS S. DYSIBODI, Hildegardi.

CVno Abbas de monte S. Dyſibodi, licèt indignus, Hildegardi Dnę & matri ſuę dilectiſſimę de Monte S. Roberti, gratia Dei tantillum quod eſt. Quia varijs hincindè prępeditus occupationibus, per aliquod tempus ſuperſedi inuiſere, ſalutare vos & alloqui, accepta nunc opportunitate temporis, eo me attentiùs orationibus veſtris committo, quo me proh dolor inueterari potiùs in augmento delicti, quàm in aliquo profectu iuſtitię recognoſco. Sed quia ſanctitas veſtra in eo, qui non fallit nec fallitur, plurima ſecreta ſpiritu videt, peto vt ſi qua de patrono noſtro B. Dyſibodo Deus vobis reuelauerit, mihi aperiatis, quatenùs cum fratribus meis illi ex hoc deuotiſſimas laudes referre non differam. Sed quia negligentiam, quę in me eſt, nulla meę poſſibilitatis manu de me excutere poſſum, ſuffragium tam veſtrum, quàm cęterarum filiarum Dei vobiſcum conuerſantium, deuoto corde requiro: & nō ſolùm paruitatis meę perſonam, verùm etiàm commiſſos mihi fratres & locum noſtrum oratiōibus omnium veſtrûm commendo, ſicut etiàm cùm apud vos ſum, viua voce ſæpiùs facere ſoleo.

RESPONSVM HILEGARD.

O Quàm magna ſtultitia in homine illo eſt, qui ſeipſum non corrigit, ſed quærit quid in alieno ſinu ſit, & crimina illa quæ in eo inuenit, non celat ſecundùm modum in impetu decurrentium aquarum.

rum. Qui hoc facit, audiat reſponſum iſtud à Deo: O homo, quarè dormis in ſonitu guſtûs, quæ coram DEO quaſi ſymphonia ſonant? Et cur petulantiam laſciuiæ non abnegas per ſcrutinium domûs cordis tui? Sed in maxillis meis me percutis, quandò membra mea repudias in vulneribus ſuis, vbì ad me non adſpicis, errantem ouem ad gregem reportantem. Et Luc.15.
ideò de domo cordis tui mihi reſpondebis, & de ciuitate quam feci, & quam in ſanguine agni ablui. Et quarè non times frãgere hominem, quem non creâſti? Tu enim non vngis eum ità, vt nec eum regas, nec colas. Sed in nimietate illum corrigis. Nunc tempus deficiendi tibi adeſt. Sed Deus qui te creauit, te perdere non vult. Hęc ergò intellige. Quòd autem ô pater petijſti, vt tibi ſcriberem, ſi aliqua de beato Dyſibodo ſub cuius patrocinio es, viderem & intelligerem: Hæc de ipſo in viſione ſpiritûs audiui, vidi, & intellexi ſecundùm modũ hũc: O mirum admirandum, quòd abſconſa forma præcellit ardua in honeſta ſtatura, vbì viuens altitudo profert myſtica. Vndè ô Dyſibode ſurges in fine, ſuccurrente flore omnium ramorum mũdi, vt primùm ſurrexiſti. Et ô viriditas digiti Dei, in qua Deus conſtituit plantationem, quæ in excelſo reſplẽduit, vt ſtatuta columna, tu glorioſa es in præparatione Dei. Et ô altitudo montis, quę nunquàm diſſipaberis in diſcretione DEI. tu tamen ſtas à longè vt exul. Sed non eſt in poteſtate armati, qui te rapiat. Sed & ô præſul veræ ciuitatis, qui in templo angularis lapidis aſſcendens in cælum, in terra proſtratus fuiſti propter Deum, tu peregrinus à ſemine mũdi, deſiderâſti exul fieri propter amorem Chriſti. O mons clauſæ mentis, tu aſſiduè pulchram faciem aperuiſti in ſpeculo colũbæ. Tu in abſconſo latuiſti inebriatus odore florum, per cancellos ſanctorum emicans Deo. Oculũ in clauibus cęli, quod propter perſpicuam vitam mundum vendidiſti, hoc certamen

alme confeſſor ſemper habens in Domino. In tua enim mente, fons viuus clariſſima luce puriſſimos riuos eduxit per viam ſalutis. Tu magna turris ante altare ſummi Dei, & huius turris cultum obumbrâſti per fumum aromatum. O Dyſibode, in tuo lumine per exempla puri ſoni mēbra mirificæ laudis ędificâſti in duabus partibus per filium hominis. In alto ſtas, non erubeſcens ante Deum viuum, & protegis viridi rore laudantes Deum iſta voce: O dulcis vita & ô beata perſeuerantia, quę in hoc beato Dyſibodo glorioſum lumen ſemper ædificâſti in cæleſti Ieruſalem. Nunc ſit laus Deo in forma pulchræ tonſuræ viriliter operante, & ſuperni ciues gaudeant de his, qui eos hoc modo imitantur. Tu autem ô pater, qui hęc à me paupercula forma petîſti, talem te in conſpectu DEI fac, vt cùm tempus in hoc ſeculo tibi defecerit, tempus tuum in æternitate feliciter prolongetur, ità vt in ſaluatione iuſtorum appareas.

HELENGERVS ABBAS S. DYſibodi, Hildegardi.

HIldegardi dilectæ matri ſuæ, ſupra omnem precioſitatem amplectendæ, H. filius eius & prouiſor ouilis B. Dyſibodi, heu non opere, ſed nominetenùs, quicquid bono temporali eſt melius. Cùm totus mūdus veraci præconio clamet, vos ſanctiſpiritûs ditatam eſſe iubilo, ego qui primus debueram eſſe, & alios ad beatitudinē veſtram inuitare, hucuſquè inerti tędio delitui: ſed nunc tandèm timore & pudore correptus, his verbis vos ſalutare neceſſarium duxi. Nam quibus prodeſſe deberem, præeſſe magis ſtudeo, quærens quæ mea ſunt, non quæ aliorum. Sed tamen pondus diei & æſtus in vinea Domini hucuſquè, quamuis tepidè

pidè

pidè, portaui, & Deo adiuuante, donèc quãdoquè denarium Matt, 20.
percipiam, perſeuerare decreui. Verùm nunc, mater mi, in
Dominicis nuptijs ſpiritale vinũ omninò defecit, quia feruor Ioan, 2.
monaſticæ religionis penè deperijt, quoniam mater Ieſu ibì
non eſt, nec ipſe Ieſus, nec diſcipuli eius aduocantur: & ideò
omnia aduerſa contra nos graſſantur. Itaq; non eſt opùs lõga
vos protrahi verboſitate, præſertim cùm imperitus ſim ſermo-
ne & ſcientia. Scio mater mi, ſcio, quòd à planta pedis vſq; ad
verticem, non eſt in me bonitas. Cõſolationis ergò veſtrę ſcri-
pta, humilitati meę dirigite, vt nomen veſtrum habeat in Sion
liber æternę vitæ. Valete.

RESPON. HILDEGAR.

IN ſpiritali viſione quæ à Deo eſt, hæc verba audiui: Valdè neceſſarium eſt homini, qui animam ſuam in deſiderijs ipſius inuenire vult, vt mala opera perdat, & beatam ſcientiam habeat, quo modo viuat, ità etiàm, vt anima eius domina, & caro ancilla ſit, ſecũdùm quod pſalmiſta dicit: Beatus homo quẽ tu erudièris Domine, & de lege tua docueris eum. Et quis eſt homo iſte? Psal. 93.
Scilicet ille, qui corpus ſuum ſicut ancillam, & animam ſuã ſicut dilectiſſimam dominam habet. Nam qui etiàm ferox eſt in impietate tãquàm vrſus, & ferocitatem illam recuſans, ad ſolem iuſtitiæ, qui pius & clemens eſt, anhelat: hic Deo placet ità, vt illum ſuper præcepta ſua conſtituat, dans virgam ferream in Psal. 2.
manu ipſius ad erudiendum oues ſuas ad montem myrrhæ. Nunc audi & diſce, vt in guſtu animæ tuę ſuper his erubeſcas, quia aliquandò mores vrſi (qui in ſeipſo occultè murmurat) habes, interdùm etiàm mores aſini, quia non es prouidus in

cauſis

cauſis tuis,ſed tædioſus,& etiàm in alijs quibuſdam rebus inutilis:ideò malitiam vrſi aliquandò in impietate non perficis. Interdùm etiàm mores aliquorum volatilium,quæ nec de ſuperiorib⁹,nec de infimis ſunt,ità vt ea ſuperiora vincāt, & infima illa lædere non poſſunt. Ad huiuſmodi mores nobilis pater reſpondet: Hei Hei, hanc viciſſitudinem morum tuorum nolui,vt mens tua de iuſtitia mea murmuret. Sic quòd rectum reſponſum de ea non quæris. Sed quandam murmurationem in te abſcondis ſecundùm murmurationem vrſi. Cùm autem bonum intellectum in te habes, modicùm erras, & iterùm tædium incurris,& orationem tuam non perficis. Sed viam quam corpus tuum ſapit,libenter facis, & eam à te totam nō abſcindis. Sed & deſideria tua ad me,aliquandò aſſcendunt in aliqua parte,quæ non eſt ex toto ſancta in opere, ſed tantùm iacens velut in opinione fidei. Tales tamen aliquandò elegi de viciſſitudine morum ſuorum, vt ſonum intellectûs ipſorū audirem,quid in ſemetipſis reputarent,vbì tamen inutiles inuenti ſunt,& ceciderunt. Nunc autem mens tua non derideat opus,quod Deus fecit,quia neſcis quandò gladio ſuo te percutiat. Ego autem paupercula video in te nigerrimum ignem contra nos accenſum: ſed eius in bona ſcientia obliuiſcere,nè gratia Dei & benedictio ipſius, à te recedat in tempore officij tui. Dilige ergò iuſtitiā Dei, vt à Deo diligaris: & fideliter crede mirabilibus ipſius,vt æterna pręmia percipias.

ABBAS CAMPIDONENSIS Ecclesiæ,Hildegardi.

Hildegardi ſponſæ Chriſti,ſed ancillæ Deo & hominibus acceptæ,H. ſolo nomine abbas Campidonēſis Eccleſiæ,deuotum cum aſſidua oratione ſeruitium.

Bene-

Benedictus Deus, cuius ſpiritus vbì vult ſpirat, & cordis ve- Ioann. 3.
ſtri penetralia dulcedine cęleſtis harmonię ſic implere & pin-
gueſcere cõſueuit, vt admodùm mirabilem ac venerabilem vi-
ris æquè & fœminis vos effecerit. Iam enim, iam (inquam) ve-
ſtræ opinio ſanctitatis, lõgè lateq; diffuſa, quia magna vobis Luc. 1.
fecerit qui potẽs eſt, facilè aduertitur: quodq; vos ancillã hu-
milem reſpexerit, dum inaudita cunctis nobis inſtillare curat,
non ambigitur. Iam vos ſibi ſponſam, immò & filiam rex ille
cæleſtis manu tenens aſſumpſit, & in voluntate deducens, in
cubiculum introduxit, vbì innixa dilecto veſtro, ſecreta ipſius Can. 3. & 8
audire meruiſtis, eaq; mortalibus diligenter enunciare. Hæc
veſtræ conueniunt ſanctitati, quæ vt relatu cognouimus, ab
ipſis infantiæ cunabulis audîſtis. Audi filia & vide &c. Et nos, Pſal. 44.
Quãta audiuimus & cognouimus ea. Et hæc, Sicut audiuimus Pſal. 77.
& vidimus. Vt ergò in his ſuæ virtutis efficaciam ipſe qui cœ-
pit, in vobis perficiat, votis omnibus expetimus: vtque & vos
pro noſtris ſupplicare curetis peccatis, & aliqua de ſtatu no-
ſtro & Eccleſię noſtrę, nobis diuinitùs reuelata, intimare hu-
milimè depoſcimus.

RESPONSVM HILDEGAR.

O Homo, declina à malo, & fac bonum: quia Pſal. 33.
homo in ſe habet quod ſemper in mẽte errat, & 36.
& millenarium numerum ſibi proponit, quẽ 1. Pet. 3.
nequaquàm perficit, ſicut etiàm Adam non
adſpexit quid faceret, deſiderans ſe ſimilem
Deo eſſe. Sed tamen illud malum nõ habuit,
vt Deum honorem & poteſtatem habere inuideret. O fili Dei,
vnamquanq; tempeſtatem per fidem abſcinde. Adam enim cũ
Deo in poteſtate & honore ſe ſimul gaudere ęſtimabãt, quod

magna vanitas fuit: & eum tamen Deum eſſe ſciuit. Sic etiàm omni homini adeſt, vt ſe Deum habere ſciat, quem creatorem & liberatorem ſuum credit: & ob hoc etiàm tu ad Deũ confuge, quoniam eum in fide Deum eſſe ſcis, quemadmodùm ſcri-
Pſal. 85. ptum eſt, Omnes gentes quaſcunq; feciſti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Hoc eſt: Homo qui cum creaturis factus eſt, ſe Deum habere ſcit: & ob hoc in bona fide ſit, & ſtudioſè eum quærat & adoret, atque nomen eius glorificet. Vnicuiq; enim homini adſit, vt ab illo malo declinet, quòd DEVM eſſe dubitet qui ipſum creauit: ſed ipſum, qui eum creauit & liberauit, amet: & in illo proximum ſuum diligat, qui ei benè facit: & non imitetur diabolum, qui creatorem ſuum, qui multa bona illi conceſſerat, odio habuit. Diabolus DEVM amando non cognouit, & ideò liberationem ab ipſo non quærit, ſed illum ſuper ſe eſſe ſcit. In hac autem odiali parte Adam Deum non recuſauit, ſed in multa vanitate ſimilitudinem eius quæſiuit. Et diabolus odium quo Deum odit, in Adam non inuenit: ſed per
☞ conſilium ſuum eum decepit: vndè & millenis artibus ſuis circuit, quærendo illum qui in fide dubitet. Cum millenis enim artibus homini bonum prohibet, quia cùm homo bona facere anhelat, tela ſua ad ipſum mittit: & cùm toto corde Deum in charitate amplecti deſiderat, noxiali moleſtia eum peruolat, nè hoc coram Deo rectum ſit: & cùm viriditates virtutum quærit, ille in ſuggeſtione ſua dicit ad ipſum, quòd ne-
☞ ſciat quid faciat: eumq; docet, vt ſecundùm proprietatem ſuã, hanc legem ſibi conſtituat, quam ipſe benè cognoſcat. Contra hæc prælium eſt, vt ſcriptum eſt: Mille clypei pendent
Can. 4. ex ea, omnis armatura fortium. hoc eſt, Primus enim clype-
Cóſeſſio. us, Confeſſio peccatorum eſt, quam vetus lex non habuit, vndè etiàm cæca fuit: & Pœnitentia poſt confeſſionem
pecca-

peccatorum, vt bonus paſtor iubet, pallium nuditatis veteris legis eſt: & ideò ſicut turris Dauid, collum eius exaltatum eſt in humanitate Saluatoris, de qua pendet omnis armatura fortium, quod ſunt benè viuentes in coniunctione ſecundùm præceptum legis, & continentes & virgines, qui ex turre iſta pendent: quæ omnia vetus lex præſignauit, & CHRISTVS in incarnatione ſua per ſe ipſum oſtendit, & poſt aſſcenſionem ſuam per diſcipulos ſuos, & per cæteros qui eos ſequuntur vſque in nouiſſimum diem, complebit, quod ſunt mille clypei qui pendent ex ea, cum quibus bellum contra antiquum ſerpentem (qui in primo homine cæteros ſeduxit) fit, vt cùm homo in medio inimicorum ſuorum ſtat, his ſe defendat, & vbiquè pugnet, nè ab inimicis ſuis occidatur, quemadmodùm ſponſus ad ſponſam in Canticis loquitur: Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Quid dicitur? CHRISTO IESV, qui caput omnium eſt, homines velut crines adiuncti ſunt, qui delictis per dulcedinem carnis, & criminoſis peccatis pleni ſunt, quos illi Eccleſia denuò regenerat, & ab immundo fœtore pulueris peccatorum, per pœnitentiam & confeſſionem purificat, velut etiàm crines de rore & de guttis concutiuntur & ſoluuntur, quemadmodùm etiàm lana de puluere excutitur & mundatur, ſic tu chare fili Dei fac, quia in æternum viues, & quoniã lapis in cæleſti Ieruſalem eris, ideò etiàm acriter lucrari debes.

Can.4.
Gen.5.
Cant.5.

ABBAS S. MARTINI IN COLONIA, HILDEGARDI.

DEo amabili Dominæ Hildegardi, A. qualiſcũq; miniſter S. Martini in Colonia, poſt curſum vitæ præſentis, paradiſum poſſidere æternæ amœnitatis. Domina Domina, vt verè creditur, à Deo dilecta & benedicta, omnia quæ per vos virtus operatur Diuina, vera profectò eſſe noui & ſancta. Nec etiàm fallor, quin quæcunq; à DEO petiêritis, impetrare poſſitis, vtì fideles homines adſtruũt, qui hoc in veritate probauerunt. Vndè & ego certus, quantùm audeo, ſanctitatem veſtram rogo, DEI pro me peccatore clementiam implorare, quatenùs mihi nimiùm fluctuanti & in miſerijs laboranti, quodlibet ſolatium conſolationis impen-
Pſal.142. dere dignetur. Siquidem anxiatus eſt in me inopinabiliter ſpiritus meus, & in me turbatum eſt cor meum, pro his (quę heu peccatis meis exigentibus, multis annis & nunc maximè patior, & nemo præter Deum nôſſe poterit, cui⁹ oculis omĩa nu-
Heb.4. da ſunt & aperta. Et quia tantùm in ſolius DEI cognitione ſunt, quæ erga me ſentio, nec certè cuilibet mortalium (ſi referrentur, eſſent credenda) quippe qui inexperta audiret, ac extra fidem conſtituta, idcircò per gratiam cooperatoris & protectoris noſtri ſpiritusſancti obſecro, vt quicquid eo reuelante vobis innotuerit, vel ſpei de me oſtẽdere dignatus fuerit, per omnia ſicut ſe res habet, ſcriptis tradita, per hunc reuerendiſſ. D. abbatem renuncientur, vtì ipſe idem repromiſit. Domina in Chriſto venerabilis, vtinàm ad præſentiam ſanctitatis veſtrę, quod optatiſſimũ haberem, venire potuiſſem, & agere vobiſcum facie ad faciem: proculdubiò quæ hactenùs à ſcientia omnium abſcondi, per ſingula vobis explanãda crederem.
Ezec.18. Quid ergò? Noui, docente ſcriptura & fide Chriſtiana tenen-
Matt.9. te, nemini in carne conſtituto de Dei miſericordia deſperandum eſſe. Qua ſpe ductus, & præſertim Deum manifeſtè vo-

biſcum eſſe ſciens, his ſcriptis cauſas miſeriarum mearum vobis ſuggerere præſumpſi, non incertum habens per vos quodammodò conſolari, quod & ſummoperè precor, ſi poſſibile eſt. Sponſus veſter Chriſtus, in ſuis vos perſeueranter teneat amplexibus.

RESPON. HILDEGARDIS.

DE viuente lumine hæc verba audiui: Tu fabro illi ſimilis es, qui multa vaſa fundit, & ea fulgentia per ignem non facit. Hinc diſce quòd opera tua fulgore charitatis non careant. Sed diſcretione ea circũfode, quatenùs vnumquodq; opus tuũ rationabile ſit. Et hæc quoquè in abſtinentia & oratione ac in bona conſuetudine ſanctorum fiant, qui de viuo fonte velut riuuli emanabant, & qui cibum hominibus dederunt, quẽ in gaudio deglutire potuerunt. Si enim tribuli pro pane dantur, comedi nõ poſſunt: ità etiàm ſi ſtridentia verba per magiſtros diſcipulis dicuntur, ipſos non ædificant, ſed in errorem eos ducunt. Magiſter nãq; verba doctrinę ſua in materna dulcedine cribrare debet, ità vt diſcipuli gaudentes os ſuum aperiant, & illa deglutiant. Molendinum quippe granum molit, & hoc in multas varietates diuidit. Sic etiàm plantatores Eccleſiæ, ex veteri & noua lege legalia pręcepta ſumpſerũt. Vetus enim lex Chriſtum Dominum naſciturum prophetando oſtendit. Sed ipſe Chriſtus verbum ſuum in omnem terram prædicando emiſit. Molendinũ nanque vetus lex eſt, quæ in Chriſto omne granum veritatis protulit: & pura farina, q̃ de omni ſtrage cribratur, virginitas eſt: quæ materies omnis ſpiritalis vitæ in Eccleſia exiſtit, & hæc prolem obedientiæ gignit. Vndè etiàm obedientes filij, oſculum oris Chriſti ſunt. Magiſter quoquè obedientes diſcipulos,

Modus docendi optimus.

Virginitas

pulos, in amplexione charitatis, & non in offenſione iræ, habeat: quia oſculũ Dei ſunt, & pane puræ farinæ paſcendi ſunt. Inobedientibus autem filijs dura farina, id eſt, aſpera correctio danda eſt. Sed his qui obedientiam omninò relinquunt, furfures proponendi ſunt, quos animalia illa comedũt, quæ intellectu carent. Tu autem prouidus eſto, & memoriam ſanctitatis illorum, qui manna manducauerunt, tene, & de riuulis aquæ viuæ bibe, & pacificus & timoratus eſto in Deo, quatenùs in horto ipſius de viriditate aliorum bonorum pigmentorum floreas: & ſtultitiam illorum fuge, qui ſolẽ quẽ vident, relinquunt, & alium quem nec vident, nec inuenire poſſunt, quęrunt. Sed nouos pigmentarios fuge, qui in proprietate ſua legem ponere volunt, & non pręualent. Nunc ergò incipe in eo qui eſt, vt in illo finiaris qui erat & qui venturus eſt. In duabus vijs à Deo conſtitutus es, ità quòd ipſe in bona ſcientia te vocat, & à mala ſcientia te protegit. In his enim vijs fulgentia opera & multæ paſſiones tribulationũ & ęrumnarum ſunt, quandò temetipſum per duas alas ſcientiæ boni & mali eleuas. Vndè etiàm tres vires addendæ, quas Deus homini poſuit, ſcilicet intellectum, & ſenſualitatẽ, & corporis motionem: quę omnia ipſi ſecundùm poſſibilitatem ſuam nota ſunt. In iſtis tribus virib', & in iſtis prędictis duabus vijs, ☞ Deus te habet. Nam per ſpiritum, Deum cum intellectu vides: & per corpus, mala cum ſenſualitate ſentis. Bonum enim & malum ſcis, & ſpiritalis & corporalis es. Gratia Dei in admonitione te vocat, & Spiritusſanctus igne ſuo te accendit, vt Deum diligas, & vt cum bonis operibus ad Deum aſſcendas. ☞ Sed ſuggeſtio diaboli interdùm ab admonitiõe Dei te abſtrahit, & prohibet nè Deum diligas, & per incendium ſuum te hominem eſſe oſtendit, & propter hoc etiàm declarat impoſſibile tibi eſſe, quod inuiſibilia interdùm facias. Quandã enim

Inobediẽtia. *Exo. 3.* *Apo. 1.*

nigram & malam viciſſitudinem ſuggeſtio diaboli ad hominem flat, cùm Deum negat. Cùm enim diabolus Deũ eſſe negat, ſe fallacem ſcit, quia eum ſe eſſe ſcit, Deum eſſe nouit. Ipſe autem in peccato naſcentium hominum aliquam partem habet, per quam multos in carne lacerat. Qui enim in corde ſuo Pſal. 52. Deum non eſſe dicit, cęlum & terram & omnia viuentia, quę in Deo & cum Deo ſunt, & ſeipſum eſſe negat. Magna autem inſipientia eſt, quòd homo qui ſe videt, & ſe ſcit, in dubietate dicit, non ſum: quia etiàm paruus puluis abſque Deo non eſt. Sed cùm homo in hac dubietate corpus ſuum ſuperat, in ſpiritalibus etiàm nequitijs diabolum occidit: vndè præmiũ & coronam coram Deo & angelis eius, & coram omni cęleſti exercitu accipiet. Sufflatus quoquè diaboli multa illicita homini infert, quæ bona ſcientia dicere erubeſcit. Conſilinm autẽ eius eſt, quòd vana gloria hominem adeat, ſicut ibì fecit, vbì magnam ruinam ædificauit, qua rotam natiuitatis hominis Iac. 3. torrenter circuire fecit. Incendium quoquè ſuum eſt, quòd hominem, quem ad imaginẽ Dei factum eſſe ſcit, ad plurima illicita prouocat: vndè etiàm in creaturis multa impoſſibilia ei oſtendit. Sed ipſe nullam poſſibilitatem in eis habet. Vndè perſuaſiones ſuas homini immittit, vt ipſe malitiam ſuam in optione perficiat, & ſic iter legis Dei in irriſionẽ ducit, quatenùs vnuſquiſq; homo legem, quaſi Deus, per proprietatẽ voluntatis ſuæ ſibi ponat. Et hoc illi valdè placet, quoniam nec ſe, nec alium Deo ſubditum eſſe vult. Tu autem ô fili Dei, Deus qui te creauit, per victoriã militiæ ſuę te vult, vt in oculo ſciẽtiæ ſuæ appareas, quoniam te non derelinquet. Solem ergò per fidem adſpice, vt fidelis ſeruus ſis, & in nocte lunam attende, quandò vitia te opprimere volunt, ità vt timor Domini omnia in te pertranſeat, & non lęderis, ſed in ęternum viues.

Contra athcotiſtas.

ABBA-

ABBATISSA S. GLODESINDIS, Hildegardi.

CHariſſimę ſibi in Chriſto ſorori Dominæ Hildegardi, A. Abbatiſſa, quanuìs indigna, S. Glodeſindis in Meti, ſalutem in vero ſalutari. Quia de gratia veſtra & beneuolentia multùm pręſumimus, nolumus vos latére, quòd in periculo magno poſitę ſumus, dum multorum regere animas cogimur, quę nobis nõ ſufficimus. Indè eſt quòd Sanctitatem veſtram rogamus attentiùs, & obſecramus in Domino Ieſu, quatenùs inſcitiam noſtram literis veſtris confirmare & exhortari curetis, quid facere debeamus, vel ſtare in obedientia nobis iniuncta, vel cedere, vt alia ſuccedat & meliùs agat: ſi q̄d Dominꝰ Ieſus indè vobis reuelare dignabitur. Valete, & pro Deo Deum pro me orate, & beneplacitum veſtrum mihi citò reſcribite.

RESPON. HILDEGAR.

MOns Sion altus eſt, & vmbra ipſius in valles extenditur, altitudinem ipſius ſic oſtendens. Alij etiàm mõtes in hac peregrina terra ſunt, per quos ipſa firmatur, & qui etiàm populis ad intuendũ pulchri ſunt. In altitudine Sion & aliorum montium, pręlati & magiſtri, qui firmamentum Eccleſię ſunt, deſignantur: & diſcipulæ, filiæ Sion nominantur. Sed ſi mons iſte caderet, vel ſi eum alij deſtruerent, magna iniuria eſſet. Hinc enim quiſque qui in magiſterio eſt, rectè prouideat, quomodò ſeipſum deponat, & quomodò per alios deijciatur. Nam ſicut montes plurimis ad defenſionẽ minorum ſuorum ſunt, ſic etiàm qui in magiſterio

ſtant,

ſtant, per doctrinam & obedientiam, quæ eis in Deo exhibetur, defenſio multorum ab inſidijs inimicorum ſuorū eſt. Vndè vnuſquiſque magiſter quandiù verba doctrinæ proferre poteſt, virgam correctionis, quam de manu Dei accepit, non abijciat, quia ſæpè lutum luto abijcitur, ſicut magiſter per diſcipulos, & diſcipuli per magiſtrum abluuntur. Propter metū enim diſcipulorū ſe affliget, & à tortoribus inquietorū diſcipulorum punitur, & ſummū magiſtrū, qui eum ſic præceſſit, imitetur. Et dicet: Præcepta tua eis oſtendi, &c. Et etiā dicet: Qui habet aures audiēdi, audiat. In his enim diſce, nè propter Matt. 13.
nebulam viciſſitudinis diſcipulorum tuorum, nec etiàm propter tædium laboris fugias. Nam multi plùs propter tædium laboris, quàm propter neceſſitatem illam, quòd diſcipulos ſuos vincere non poſſunt, fugiunt. Clara autem dies, quam tempeſtas non obnubilat, gaudium pleniter habet. Illam Adā ante caſum habuit. Sed primus fallax deceptor ipſam diem & per ſuggeſtionem ſuam obnubilauit, in qua Septem plagæ 7. plagæ.
ſunt, q̄ animā vulnerāt. Prima plaga, vana gloria eſt, quę hoc Prima.
ad ſe colligit, quod nec meſſuit, nec ſeminauit, & quod ei donatum à Deo non eſt, ſibi cōſtituit. Hoc primus deceptor docuit, quia ipſe idem fecerat, & ideò vana gloria Deum non quærit. Secunda, quòd homo ſentit quia peccare poteſt, & 2.
indè delectationem carnis ſibi theſaurizat, & de guſtu ipſam delectationem amplectendo oſculatur. Tertia ruinam 3.
cū magnis doloribus in ſqualidis moribus ædificat, ità quòd homo viuit quaſi Deo mortuus ſit, & quòd vix etiàm ſperat ꝙ Deus eum ſciat. Sed quarta ſallacia eſt, per quam homo de 4.
prædictis peccatis ſe excuſat & defendit, ità ſcilicet quòd tam periculoſa non ſint vt ei oſtendantur. atque ideò ità odioſus ad homines ſit, quòd nemini confidit. Quinta, ſuperbia eſt, 5.
quæ dicit, quia homo propter carnem humanitatis ſuæ, de

peccatis ſe abſtinere non poſſit, & ideò inconueniens eſſet, quòd à carnalibus deſiderijs ſecederet. Hanc legem ſuperbia in temeritate ſibi ponit, vndè & nullum reſpectum ad Deum
6. habet. Et ſexta plaga eſt, quòd homo ſalutem ſuam à creatura quærit, & ab ea poſtulat, vt ipſi vnamquanq; rem oſtẽdat, & ità creatorem ſuum in irriſione habet, & nihil ab eo
7. quærit, velut ipſum adiuuare non poſſit. Septima verò plaga, eſt idololatriæ ſeruitus, quæ diabolum adorat, & Deum contemnit. Et iſta ſeptem vitia, quaſi militiam ſibi ſubditam in negocijs ſuis ſuper numerum ramorum arborum habent, quia omnia hæc in tranſgreſſione comeſtionis, quòd Adam
Gene. 3. comedit, latuerunt: ideoque Deus ad ipſum dixit, In qua hora coméderis, morte morieris. Idcircò Deus hoc præceptum ei conſtituit, nè diabolo quid ſimile faceret, ſcilicet quòd ſinè præcepto non eſſet, ſicut ille eſſe voluit: vndè nullus homo
☞ propter primam ſuggeſtionẽ diaboli, quam Adam ſuſcepit, in hac vita ſecurus eſſe poteſt. Vndè, ô tu filia Dei, fortiſſima armatura ſeptem donorum Spirituſſancti te circuncinge, cum quibus hæc ſeptem vitia tibi ſubijcias, nè de ipſis plangens vulnereris, & vt probus miles per fortiſſima bella ea ſuperando ſurge, quatenùs in æternum viuas. Deus in ſpeculo ſaluationis te ô filia videat.

SACERDOS QVIDAM, Hildegardi.

Cant. 2. HILdegardi caſtæ columbæ in foraminibus petræ latitanti, C. ex famulis Chriſti minimus ſacerdos, intimæ orationis deuotionem, & quidquid ſpectat ad æternam ſalutẽ. Quia Dei gratia lux veſtra coram
Matt. 5. hominibus ſalubriter lucet, patrem veſtrûm, qui vos arden-

tem

tem lucernam ad illuminationem Eccleſiæ ſuppoſuit, glorifico: & quanuìs fragilis & peccator, Sanctitati tamen veſtræ qua cæleſtis ſponſi amplexibus ſingulari priuilegio inhæretis, cordialiter congaudeo. Charitatem etiàm veſtram ignorare nolo, quòd die noctuque vos facietenùs videre deſidero, & aſſiduè veſtrî memoriam in oratione mea faciens, vos abſentem corpore quaſi præſentem interdùm amplector mẽte. Ergò perfectiõem veſtram humiliter deprecor, vt ſponſo veſtro, ſub cuius vmbra securè requieſcitis, me iuxta viam mendicã- tis commendetis, nè pręteriens turba clamorem meum compeſcat: ſed orationibus veſtris ad Dominum adductus, merear illuminari, & à cęcitate cordis ſanari. De corpore & de ſanguine Chriſti, in quibus tota ſpes fidelium eſt, etiàm docete me, & qualiter in ſpiritu tam incorrectum quàm correctum, ad idem ſacramentum ſacerdotem accedentem videatis, mihi in Domino manifeſtare curetis. Dominus qui in omnibus & ſuper omĩa eſt, vobis infundat ea, quę Eccleſiæ ſanctæ ſuę ad gloriam conueniunt. Valete.

Matt. 21. Marc. 11.

HILDEGARDIS DE CORPORE & ſanguine Chriſti.

IN vera viſione vigilantibus oculis, de ſacramento Dominici corporis hæc verba audiui & vidi: DEVS id quod fuit, permanſit: & quod non erat, aſſumpſit. Quod eſt: Diuinitas vt ante æuum fuit, ità in æternum permanſit, velut rota diuiſa non eſt. Sed incarnatio filij nondùm caro & ſanguis apparuit, quę ante æuum in corde patris prędeſtinata latuit. Tempore autem illo, quo

Auguſtinus.

prędeſtinatum fuit, filius carnem induit, & vi fortitudinis ſuę
Pſal.92. ſe pręcinxit, quemadmodùm ſcriptum eſt: Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. Et ipſa indumenta ſanctæ
Luc.1. incarnationis angelus ſimplicitati virginis nunciauit, in qua fundamentum humilitatis inuenit, ſicut Deus illud poſuit, quia ancillam Domini ſe nominauit, vbi idem angelus ad eam
Luc.1. dixit: Spiritusſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Nã Spiritusſanctus omni humanę ſcientię ſuperexcellentiùs eam viſitauit, alio ſcilicet modo ſe illi infundens, quàm nunquàm vlli fœminæ in pariẽdo infunderetur, & virtus altiſſimi illam obumbrauit, quoniam in calore ſuo ipſam ità deliniuit, vt ei omnem feruorem peccati in dulciſſima obumbratione ſua ex toto abſtergeret, velut homo propter æſtum ſolis vmbram quęrit. Itaque eadem virtus altiſſimi, quę in vtero virginis carnem operata eſt, ſuper altare ad verba ſacerdotis oblationem panis & vini in Sacramentũ carnis & ſanguinis conuertit, virtute ſua illud fouens. Vndè & natiuitas, paſſio, ſepultura, reſurrectio, aſſcenſioque filij ſuperni patris, in eodem ſacramento appárent, velut circulus nummi dominum ſuum oſtendit: & hoc ideò fit, quia vulnera hominum, qui in pręuaricatione Adæ inuoluti in peccatis ſemper peccantes ſunt, in vulneribus & ſanguine Chriſti ſanentur, abſtergantur, & vngantur, & ſic membra ipſius efficiantur, & hoc vſque ad nouiſſimũ diem erit. Et iterùm vidi, quòd ſi etiàm ſacerdos propter multas putredines cicatricũ peccatorum ſuorum dignitate ſanctitatis caret, ſi tamen per ligaturam ſuperioris magiſtri ligatus non eſt, virtus altiſſimi miracula ſua in eadem oblatione operatur: & omnes qui idem ſacramentum de manu eius fideliter accipiunt, quaſi radio ſolis illuminantur. Si autem ille fide & opere iuſtus eſt, anima ipſius ſuper radiantem fulgorem ſolis illu-

luſtratur. Sed omnes qui per conſilium antiqui ſerpentis, illuſiones & ſchiſmata in hac ſacratiſſima oblatione faciunt, ſimiles perditis angelis ſunt, qui Deum in honore ſuo vnũ eſſe negauerunt, cùm ſimiles illi eſſe voluerunt: ità & homines iſti proprietatem voluntatis ſuæ, per ſacramenta hæc perficere volunt: quapropter etiàm cum illis pereunt, nisì per confeſſionem peccatorum & per pœnitentiam eorum, ac per lachrymabilem vocem ad Deum currant, dicentes: Ah ah, quia peccauimus. Tũc Deus pater ſuſcipit eos, qui filium ſuum ignoranter vulnerauerunt. Hoc ſacramentum, reſurrectionemq; vitæ Saducæi, qui per omnia errant, hoc modo proteruè errando negant: velut homo ille erraret, qui carnẽ ſinè ſpiritu, & ſpiritum ſinè carne hominem eſſe diceret: quod nullo modo eſſe poteſt. ideò iſti omnibus errantibus peiores, quoniam cùm minima creatura, quæ à Deo facta eſt, ſolummodò vno vocabulo non perficiatur, quomodò homo qui omnem creaturam comprætendit, vno vocabulo diffiniri poſſet? Hyems enim areſcit, æſtas verò floret: Sed tamen hyems æſtati viriditatem ſuã retinet, donèc ipſa groſſos ſuos in plenitudine proferat. Sic ſunt corpus & anima. Corpus deficit, anima autem in indeficienti vita permanet, in quacunq; parte ſit.

Thre. 5.

ABBATISSA IN ELOSTAT.

HIldegardi Dominę ſuę, O. famularum Chriſti in Eloſtat gubernatrix indigna, per hoc quod intimè guſtauit cęleſte donum conſequi, perfectumq; illud bonum. Benedictus Ieſus Chriſtus, cuius odor bonus eſtis Deo in omni loco, quoniam non iam odor balſami,

2. Cor. 2.

 ſed

ſed ipſa ſubſtantia ſacri in vos defluxit vnguenti, cuius odor ſuauiſſimus, nomen veſtrum cunctorum ità indulcauit cordibus & auribus, vt inſimul omnes veſtræ humilitatis & affabilitatis inſignia commendent, & patrem veſtrum qui in cæ-
Matt.5. lis eſt, in vobis glorificent. Igitur mater benedicta da veniam,
2.Cor.11. & ſuſtine non modicum quid inſipientiæ meæ, ſed magnam inſipientiam meam: ſine vt paululùm coram te cordis mei dolorem aperiam, & cùm audiêris, conſolare (obſecro) ancillam tuam. Porto enim pondus importabile, quoniam iubeor tortitudines ſororum mearum corrigere, cùm nec aliqua pericula, quæ me vbiquè impugnant, quanuìs modicè valeam de-
Can.3. uitare. Cùm ergò egreſſa fueris ad videndum regem Salomonem in decore ſuo, memor eſto horum quæ à te petiui toto ex animo. Valete.

RESPON. HILDEGAR.

O Filia Dei, quandiù poſſibilitatem habueris inter filias ipſius, labora, & in puſillanimitate ad Deum ſuſpirando, legem tuam obſerua, quia labor tuus
Matth.7. ad Deum clamat & orat. Homo enim qui in cauerna iuſtitiæ Dei & in arcta via laborat, ſed tamen caſui Adæ annuit, & de hoc flagella pœnitentiæ quęrit: & nullus in hoc dubitet, quin poſt flagella pœnitentię, cęleſtis ianua eũ ſuſcipiat. Nam quicunq; agrum corporis ſui per diſcretionem lacerat, ſubitanea præuentio finis illi non nocebit, quia ſymphonia Spirituſſancti & læta vita eum ſuſcipiet. Sed cauendũ eſt, nè homo per nimietatem laborum, corpus ſuum occídat, ☞ ſed in ratiõalitate peccata prohibeat. Filia, memor eſto quòd poſſibilitatem, hominem creare, non habes. vndè Deum leniter ora, vt meliorem vitam tibi det, & hoc Deo acceptius eſt, quàm

quàm quòd in nimietate triſtitiæ ipſum depreceris. Deus te tēplum vitæ faciat.

ELISABETH MAGISTRA IN Schonaugia, Hildegardi.

DOminæ Hildegardi venerabili magiſtræ ſponſarū Chriſti, quæ ſunt in *Pingia, E. humilis monacha & magiſtra ſororum quæ in Schonaugia ſunt, deuotas cum omni dilectione orationes. Gratia & conſolatio altiſſ. repleat nos gaudio, quia meæ perturbationi benignè compaſſa eſtis, ſicut ex verbis conſolatoris mei intellexi, quem de meî conſolatione diligenter commonuiſtis. Sicut enim vobis de me reuelatum fuiſſe dixiſtis, fateor verè quādam perturbationis nubem me nupèr in animo concepiſſe, propter ineptos ſermones populi multa loquentis de me, quę vera non ſunt. Sed vulgi ſermones facilè ſuſtinerem, ſi non & hi qui in habitu religionis ambulant, ſpiritum meum acerbiùs contriſtarent. Nam & hi neſcio quibus ſtimulis agitati, gratiam Dei in me derident: & de his quæ ignorāt, temerè iudicare non formidant. Audio & quoſdam, literas de ſuo ſpiritu ſcriptas, ſub nomine meo circūferre: De die iudicij me prophetâſſe diffamauerunt, quod certè nūquàm facere pręſumpſi, cùm omnium mortalium cognitionem fugiat eius aduentus. Matt. 24. Sed eius famæ occaſionem vobis aperiam, vt indicetis vtrùm præſumptuosè quicquā in hac re fecerim aut dixerim. Sicut per alios audiſtis, magnificauit Dominus miſericordiam Luc. 1. ſuam mecū ſuprà quàm meruerim, aut mereri vllatenùs poſſim, intantùm vt & cæleſtia quædā mihi ſacramenta frequenter reuelare dignatus ſit. Significauit etiàm mihi per angelum ſuum frequenter, qualia ventura erant ſuper populum ſuum

in

in his diebus niſi agerent pœnitentiam de iniquitatibus ſuis,
atq; vt palàm hæc annunciarem, præcepit. Ego autem vt ar-
rogantiam euitarem, & nè Authrix nouitatum viderer, (in-
quantùm potui) omnia hæc ſtudui occultare. Cùm ergò ſo-
lito more, quadam Dominica die eſſem in mentis exceſſu, ad-
ſtitit mihi angelus Domini, dicens: Quarè abſcondis aurum in
luto? hoc eſt, verbum Dei, quod per os tuum miſſum eſt in ter-
ram, non vt abſcõdatur, ſed vt manifeſtetur ad laudem & glo-
riam Domini noſtri, & ad ſaluationem populi ſui? Et hoc di-
cto, eleuauit ſuper me flagellũ, quod quaſi in ira magna quin-
quiès mihi amariſſimè inflixit, ità vt ꝑ triduũ in toto corpore
meo ex illa percuſſione languerem. Poſt hæc appoſuit digitũ
ori meo, dicens: Eris tacens vſq; ad horam nonam, quandò
manifeſtabis ea quæ operatus eſt Dominus tecum. Ego ergò
vſq; ad horam nonam muta permanſi. Tunc ſignificaui ma-
giſtræ, vt afferret ad me libellum quendã, quem in ſtratu meo
abſconderam, continentem ex parte ea, quæ fecerat Dominus
mecum. Quem cùm offerrem in manus Domini abbatis, qui
ad viſitandum me venerat, ſoluta eſt lingua mea in hæc ver-
Pſal. 113. ba: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da glori-
am. Poſt hæc cùm & alia quædam ipſi reuelâſſem, quę ſcripto
committi nolueram, videlicet de vindicta Domini magna,
quam vniuerſo mundo in breui ſuperuenturam ab angelo
didiceram, rogaui illum diligentiſſimè, vt verbum illud apud
ſe haberet abſconditum. Præcipitur autem mihi, vt operã da-
rem orationi, atq; à Domino poſtularem, vt daret mihi intel-
ligere, vtrùm ea quæ dixeram, ſilentio tegi vellet, an non.
Cumq́; per aliquod tempus pro hac re orationi inſiſtendo me
afflixiſſem, in aduẽtu Domini in feſtiuitate S. Barbaræ, in pri-
ma vigilia noctis corrui in ecſtaſim, & adſtitit mihi angelus
Domini, dicens: Clama fortiter, & dic Heu ad omnes gentes,
quia

quia totus mundus in tenebras eſt conuerſus. Et dices: Exite, ille vos vocauit, qui de terra vos formauit, & dicit: Pœnitentiam agite, quia propè eſt regnum Dei. Matt.3. & 4. Hoc ergò ſermone inductus Dominus abbas, cœpit diuulgare verbum coram magiſtratibus Eccleſię & viris religioſis. Quorum quidam cum reuerentia verbum exceperunt, quidam verò non ſic, ſed ſiniſtrè locuti ſunt. Factũ eſt ergò, vt multi apud quos ſermo iſte diffamatus eſt, per totum tempus quadrageſimale in timore magno per pœnitentiam ſeſe affligerẽt, & eleemoſynis & orationibus inſiſterent. In tempore illo, quidam neſcio quo zelo ductus, ad vrbem Coloniam in perſona Domini abbatis, ipſo (nouit Deus) ignorãte, literas direxit, in quibus terribiles quędam comminationes (audiente omni populo) lectæ ſunt. Vndè quanquàm ab inſipientibus illuſum nobis ſit, prudẽtes tamen (vt audiuimus) reuerenter ſermonem animaduerterunt, & pœnitentię fructibus Deum honorare non contempſerũt. Factum eſt autem in quarta feria ante diem Paſchæ, cùm poſt magnos labores corporis in ecſtaſim veniſſem, apparuit mihi angelus Domini, & dixi ad eum: Domine, quid fiet de verbo quod locutus es ad me? Qui reſpondit: Noli contriſtari, neq; perturberis, ſi non in die quã determinaui tibi, euenerint quę prędixi, quoniam multorũ ſatiſfactiõe placatus eſt Dominus. Poſt hæc in ſexta feria circa horam tertiam cum graui paſſiõe véni in mentis exceſſum, & rurſùm adſtitit mihi, dicens: Vidit Dominus afflictionem populi ſui, & auertit indignationis ſuæ iram ab eis. Cui dixi: Quid ergò Domine mi? nónne ero in irriſionem omnibus, apud quos verbum hoc diuulgatum eſt? Qui ait: Omnia quæ occaſione hac euenerunt tibi, patienter & beneuolè ſuſtineto. Illum diligẽter animaduerte, qui cùm eſſet totius orbis creator, hominum irriſiones ſuſtinuit. Nunc primùm patientiam tuam Dominus probat. Eccè Domina

mea totum ordinem rei vobis explicaui, quatenùs & vos innocentiam meam & abbatis mei cognoſcatis, & alijs manifeſtare poſſitis. Obſecro autem, vt & orationum veſtrarum participem me faciatis, & prout ſpiritus Domini vobis ſuggeſſerit, aliqua mihi conſolatoria verba reſcribatis. Gratia CHRISTI vobiſcum.

RESPONSVM HILDEGAR.

EGo paupercula & fictile vas, hæc non à me, ſed de ſerena luce dico: Homo vas eſt, quod DEVS ſibimetipſi ædificauit, & quod ſua inſpiratione imbuit, vt opera ſua in illo perficeret: quia DEVS non operatur vt homo, ſed in iuſſione præcepti eius omnia per-
Gen. 1. fecta ſunt: Herbę, ligna & arbores apparuerunt: Sol quoquè, luna & ſtellæ in ſua miniſtratione proceſſerunt, & aquę piſces & volatilia produxerunt: pecora etiàm & beſtiæ ſurrexerunt, quæ omnia miniſtrant homini, ſicut Deus ea poſuit. Solus autem homo illum non cognouit. Nam cùm DEVS magnam ſcientiam homini daret, homo in animo ſuo ſe erexit, & ſe à Deo auertit. DEVS omnium, illum ſic inſpexerat, quòd cuncta opera ſua in illo perficeret. Sed antiquus deceptor illum fefellit, & crimine inobedientiæ illum infecit cum delectatione incongrui venti, dum plùs quæreret quàm deberet. Ah ô vę. Tunc omnia elementa implicuerunt ſe in viciſſitudinem luminis & tenebrarum, ſicut & homo fecit in tranſgreſſione præceptorum Dei. Deus autem quoſdā homines ir-
Gen. 4. rigauit, nè homo ex toto derideretur. Abel bonus erat, Cain autē homicida. Et multi myſtica Dei in luce viderunt, ſed alij plurima peccata fecerunt, vſq; dum venit tempus illud, in quo

verbum.

verbum Dei claruit, vt dictum eſt, Specioſus forma præ filijs Pſal.44.
hominum. Tunc ſol iuſtitiæ proceſſit, & homines cum bonis operibus illuminauit in fide & in opere, ſicut aurora primùm procedit, & cęteræ horæ diei ſubſequũtur, vſq; dũ nox accedat. Sic, ô filia Eliſabeth, mundus mutatur. Iam enim mũdus laſſus eſt in omni viredine virtutum: ſcilicet in aurora, in prima, in tertia, & in fortiſſ. ſexta hora diei. Et ideò in hoc tẽpore neceſsè eſt, quòd Deus aliquos homines irriget, nè inſtrumenta ipſius ocioſa ſint. Audi ô ſolicita filia, quia homines iſtos quos inſpiratio Dei ità imbuit, aliquantulùm fatigat ambitioſa ſuggeſtio antiqui ſerpentis. Cùm enim idem ſerpẽs elegantem gemmã viderit, mox rugit, dicens: Quid eſt hoc? Et fatigat illam multis miſerijs flagrantis mentis, ſupra nubes volare cupientis, quaſi dij ſint, ſicut & ipſe facit. Nũc iterùm audi: Qui opera Dei perficere deſiderant, ſemper attẽdant, quòd 2.Cor.4.
fictilia vaſa ſunt, quoniam homines exiſtunt, & ſemper adſpiciant quid ſint, & quid futuri ſint, & cæleſtia relinquant illi qui cęleſtis eſt, quoniã ipſi exules ſunt, cęleſtia neſcientes, ſed tantùm myſtica Dei canẽtes: ſicut tuba, quę ſolummodò ſonos dat, nec operatur, ſed in quam alius ſpirat, vt ſonũ reddat. Sed & loricã fidei induant mites, mãſueti, pauperes & miſeri exiſtẽtes, ſicut etiàm agnus ille fuit, cuius ſonus tubę ipſi ſunt, mores etiàm ſimplices infantis habentes, quia Deus illos ſemper flagellat, qui in tuba ipſius canunt, prępuidẽs nè fictile vas illorũ pereat, ſed vt ſibi placeat. O filia, Deus faciat te ſpeculũ vitæ. Sed & ego quæ iaceo in puſillanimitate timoris, interdùm ſonans aliquantulùm velut paruus ſonus tubæ à viuẽte lumine. vndè Deus iuuet me, vt permaneã in ſuo miniſterio.

PRAEPOSITVS IN FRANCKENfort, Hildegardi.

Hildegardi in Chriſto dilectæ Dominæ ſuæ, G. ſolo nomine Præpoſitus in Franckenfort, poſt Marthæ laborem, Mariæ conſolationem. Deſiderio deſideraui veſtram conſpicere perſonam. Sed diuerſis negocijs nos impedientibus, nunc ſaltem facultatem nobis dedit Deus per literas vos amplecti atq; ſalutare. Nolumus etiàm vos ignorare nomen noſtrum, perſonam noſtram, ſimulque cum ſalute ſuper omni diligentia nos amplecti atque honorare, Deumq; pro vobis pro poſſe noſtro die noctuque interpellare, Rogamus ergò clementiam veſtram, vt meî peccatoris coram Diuinæ maieſtatis clementia mentionem facere velitis. Valete quandiù in ſupernis dicitur Hodiè.

RESPON. HILDEGAR.

IN vera viſione hæc verba vidi & audiui: Prima lux diei rutilat, poſteà aurora denudatur, & etiàm interdùm, cum magna viciſſitudine nubium implicatur, & ſic aquilo ſurgit, & magna ſuſpiria facit, quia priora tempora diei abſque viciſſitudine turbinis pulchra erant. Vndè ô vir qui ſcientiam boni & mali habes, prouide qui mores tui, & quæ opera tua coram DEO ſint à pueritia tua, nè zelus Domini percutiat te, & nè anima tua cùm de corpore tuo exiêrit, dicat, O vę mihi, quò ambulo? & quò ibo? vel quales dies mihi ſunt? & qualia opera me tangunt? Illa ſcilicet, quæ mihi molendinum corporis mei exhibuit. Caue etiàm nè tremiſcas, cùm ſuperni ciues tibi dixerint: Vide qualis ſit Deus. Nunc in æternum viues.

AD PRAELATOS MOGVNTINENSES PROPTER DIVINA PER ILLOS INTERdicta, Hildegardis.

IN viſione, q̃ animæ meę antequàm nata procederem, à Deo opifice infixa eſt, coacta ſum ad ſcribendum iſta, pro ligatura, qua à Magiſtris noſtris alligatæ ſumus propter quendam mortuum, conductu ſacerdotis ſui apud nos ſinè calumnia ſepultum. Quem poſt paucos ſepelitionis ſuæ dies, cùm eundem Magiſtri noſtri nos à cœmeterio noſtro eijcere iuſſiſſēt, ex hoc non minimo terrore correpta, ad verum lumen vt ſolita adſpexi, & vigilantibus oculis in anima mea vidi, quòd ſi iuxta pręceptum ipſorum corpus eiuſdem mortui efferretur, eiectio illa in modum magnę nigredinis ingẽs periculum loco noſtro minaretur: & in ſimilitudine atræ nubis, quæ ante tempeſtates & tonitrua apparére ſolet, nos circunuallaret. Vndè corpus eiuſdem defuncti, vtpotè confeſſi, inuncti & communicati, & ſinè contradictione ſepulti, nec efferre p̄ſumimus, nec conſilio ſeu præcepto iſtud ſuadentium vel iubentium acquieuimus, non conſilium proborum hominum aut præceptum Prælatorum noſtrorum omninò paruipendentes, ſed nè Sacramentis Chriſti, quibus ille viuens adhuc,

munitus fuerat, iniuriam ſæuitate fœminea facere videremur. Sed nè ex toto inobedientes exiſteremus, à Diuinarum laudũ canticis hactenùs ſecundùm eorum interdictum ceſſauimus, & à participatione Dominici corporis, quoniam per ſingulos ferè menſes ex conſuetudine frequētauimus, abſtinuimus. Super quo dum magna amaritudine tam ego quàm omnes ſorores meę affligeremur, & ingenti triſtitia detineremur, magno tandèm pondere compreſſa, verba iſta in viſione audiui: Propter verba humana, Sacramenta indumenti verbi mei, quod ſalus veſtra eſt, & quod in virginea natura ex Maria virgine natum eſt, dimittere vobis non expedit: Sed indè vobis à prælatis veſtris, qui vos ligauerunt, licentia quęrenda eſt. Ex quo enim Adam de lucida regione paradiſi in huius mundi exiliũ depulſus eſt, omnium hominum conceptio merito primæ trãſgreſſionis corrupta eſt, & ideò neceſsè eſt, vt ex impenetrabili conſilio Dei, ex humana natura homo ſinè cõtagione totius læſionis naſceretur, per quam omnes ad vitam prædeſtinati, à ſordibus cunctis mundarentur, & vt ipſe in eis, & illi in ipſo ad munimentum ſuum ſemper manerent, corpore ipſius communicando, ſanctificarentur. Qui autem, ſicut Adam, pręceptis Dei inobediens exiſtit, & eum omninò in obliuionẽ habet, hic à corpore eius ſeparari debet, quemadmodùm per inobedientiam ab eo auerſus eſt, donèc per pœnitẽtiam purgatus, à magiſtris iterùm corporis eiuſdem Domini communicare concedatur. Qui verò in tali ligatura ſe eſſe nec conſcientia, nec voluntate cognouerit, ſecurus ad perceptionem viuifici ſacramenti accedat, mundandus ſanguine agni immaculati, qui ſeipſum obediens patri ad ſalutem omnibus reſtituendam in ara crucis immolari permiſit. In eadem quoquè viſione audiui, quoniam in hoc culpabilis eſſem, quòd cum omni humilitate & deuotione ad pręſentiam magiſtrorum

Gene. 3.

meo-

meorum non veniſſem, vt ab eis licentiam cõmunicandi quæ-
rerem, maximè cùm ſuſceptione illius mortui culpa nõ tene-
remur, qui omni Chriſtiana rectitudine munitus à ſacerdote
ſuo, cum tota Pingenſi proceſſione ſinè cõtradictione cuiuſ-
quam ſepultus eſſet. Et ità hæc vobis Dominis & prælatis no-
ſtris nuncianda, mihi diuinitùs impoſita ſunt. Adſpexi etiàm
aliquid ſuper hoc, quòd vobis obediendo hactenùs à cantu
Diuini officij ceſſantes, illud tantummodò legentes remiſsè
celebramus, & audiui vocem à viuente luce procedentem de
diuerſis generibus laudum, de quibus Dauid in Pſalmis dicit:
Laudate eum in ſono tubæ, Laudate eum in Pſálterio & ci- Pſal. 150.
thara &c. vſq; ad id, Omnis ſpiritus laudet Dominum. In qui-
bus verbis per exteriora de interioribus inſtruimur, quomo-
dò ſecundùm materialium compoſitionem vel qualitatẽ in-
ſtrumentorum, interioris hominis noſtri officia, ad creatoris
maximè laudes conuertere & informare debeamus. Quibus
cùm diligenter intendimus, recolimus, qualiter homo vocẽ
viuentis ſpiritûs requiſiuit, quam Adam per inobedientiã per-
didit, qui ante tranſgreſſionem adhuc innocens, non minimã
ſocietatem cũm angelicarum laudum vocibus habebant, quã
ipſi ex ſpiritali natura ſua poſſident, qui à ſpiritu qui Deus eſt, Ioan. 4.
ſemper vocãtur. Similitudinem ergò vocis angelicæ, quam in
paradiſo habebat, Adam perdidit, & in ſcientia qua ante pec-
catum præditus erat, ità obdormiuit, ſicut homo à ſomno eui-
gilans de his, quæ in ſomnis viderat, inſcius & incertus reddi-
tur, quandò ſuggeſtione Diaboli deceptus, & voluntati crea-
toris ſui repugnans, tenebris interioris ignorantiæ ex merito
iniquitatis ſuæ inuolutus eſt. Deus verò qui animas electorũ
luce veritatis, ad priſtinam beatitudinem reſeruat, ex ſuo hoc
adinuenit conſilio, vt quãdoquè corda quamplurium, infu-
ſione ꝓphetici ſpiritûs innouaret, cuius interiori illuminati-

one

one aliqua deficientia in illa recuperarent, quam Adam ante præuaricationis ſuę vindictam habuerat. Vt autem etiàm Diuinæ illius dulcedinis & laudationis, qua in Deo, priuſquàm caderet, idem Adam iocundabatur, & non eius in hoc exilio recordarentur, & ad hæc quoquè ipſi prouocarentur, ijdem S. Prophetæ eodem ſpiritu quem acceperant, edocti, non ſolùm Pſalmos & cantica, quæ ad accendendam audientium deuotionem cantarentur, ſed & inſtrumenta muſicæ artis diuerſa, quibus cum multiplicibus ſonis proferrẽtur, hoc reſpectu compoſuerunt, vt tam ex formis qùàm ex qualitatibus eorundem inſtrumẽtorum, quàm ex ſenſu verborum, quæ in eis recitarentur, audientes, (vt prædictum eſt) per exteriora admoniti & exercitati, de interioribus erudirentur. Quos, videlicet S. Prophetas, ſtudioſi & ſapiẽtes imitati, humana & ipſi arte nonnulla organorum genera inuenerunt, vt ſecundùm delectationem animæ cantare poſſent, & quæ cantabant, in iuncturis digitorum, quę flexionibus inclinantur, adaptârũt, vt & recolentes Adam digito Dei, qui Spiritusſanctus eſt, formatum, in cuius voce ſonus omnis harmonię & totius muſicę artis antequã delinqueret, ſuauitas erit, & ſi in ſtatu quo formatus fuit, permanſiſſet, infirmitas mortalis hominis virtutẽ & ſonoritatem vocis illius nullatenùs ferre poſſet. Cùm autẽ deceptor eius diabolus audîſſet, quòd homo ex inſpiratione Dei cantare cœpiſſet, & per hoc ad recolendam ſuauitatẽ cãticorum cęleſtis patrię inuitaretur, machinamenta calliditatis ſuę in irritum ire videns, ità exterritus eſt, vt non minimùm indè torqueretur, & multifarijs nequitię ſuę commẽtis ſemper deincèps excogitare & exquirere ſatagit, vt non ſolùm de corde hominis per malas ſuggeſtiones & immundas cogitationes ſeu diuerſas occupationes, ſed etiàm de ore Eccleſię, vbicunq; poteſt, per diſſenſiones & ſcandala vel iniuſtas depreſſiones,

Luc. 11.
Exo. 8.

ſiones, confeſſionem & pulchritudinem atq; dulcedinem Di-
uinæ laudatiõis & ſpiritualium hymnorũ, perturbare vel au-
ferre nõ deſiſtit. quapropter ſumma vigilantia vobis & omni-
bus prælatis ſatagendũ eſt, & antequàm os alicuius Eccleſiæ,
laudes Deo canentium, per ſentẽtiam claudatis, vel eam à tra-
ctandis vel percipiendis ſacramẽtis ſuſpendatis, cauſas ꝓ qui-
bus hoc faciendum ſit, diligentiſſimè priùs diſcutiendo ven-
tiletis. Et ſtudendum vobis, vt ad hoc idem zelo iuſtitiæ Dei,
non indignatione vel iniuſto motu animi ſeu deſiderio vl-
tionis trahamini, & cauendũ ſemper, nè in iudicijs veſtris cir-
cunuenianimi à ſathana, qui hominem à cęleſti harmonia
& à delicijs paradiſi extraxit. Penſate itaque, quoniam ſicut
corpus Ieſu Chriſti de Spiritusſancto ex integritate virginis
Mariæ natum eſt, ſic etiàm canticum laudum, ſecundùm cę-
leſtem harmoniam per Spiritumſanctum in Eccleſia radica-
tum: corpus verò indumentum eſt animæ, quæ viuam vocem
habet, ideoq; decet vt corpus cum anima per vocem Deo lau-
des decantet. Vndè & propheticus Spiritus per ſignificatio-
nem iubet, vt in cymbalis benè ſonantibus & cymbalis iubi- Pſal. 150.
lationis, & cæteris inſtrumentis muſicis Deus laudetur, quæ
ſapientes & ſtudioſi adinuenerunt, quoniam omnes artes quę
ad vtilitatem & neceſſitatem hominum pertinent, à ſpiracu- Gene. 2.
lo, quod Deus miſit in corpus hominis, repertæ ſunt: & ideò
iuſtum eſt, vt in omnibus laudetur Deus. Et quoniam in audi-
tu alicuius cantionis interdùm homo ſæpè ſuſpirat & gemit,
naturam animæ cæleſtis harmoniæ recolens, propheta ſpiri-
tûs naturam cõſiderans & ſciens, (quia ſymphonialis eſt ani-
ma) hortatur in Pſalmo, vt confiteamur Domino in cithara, Pſal. 32.
& in Pſalterio decem chordarum pſallamus ei: Citharã quæ & 91.
inferiùs ſonat, ad diſciplinam corporis: Pſalterium, quod de
ſuperioribus ſonum reddit, ad intentionẽ ſpiritûs: Decẽ chor-

Q das,

das, ad completionem legis referre cupiens. Qui ergò Eccleſię in canticis laudum Dei, ſinè pondere certę rationis, ſilentium imponunt, conſortio angelicarum laudum in cęlo carebũt, qui Deum in terris decore ſuæ laudis iniuſtè ſpoliauerunt, niſì per veram pœnitentiam & humilem ſatiſfactionem emendauerint. Qui ergò cęli claues tenent, diſtrictè caueãt, nè eis & claudenda aperiant, & aperienda claudant: quia iudicium duriſſimum in his qui pręſunt, fiet, nisì vt ait Apoſtolus, præſint in ſolicitudine. Et audiui vocem ſic dicẽtem: Quis creauit cęlum? Deus. Quis aperit fidelibus ſuis cęlum? Deus. Quis eius ſimilis? nullus. Et ideò ô fideles, nemo veſtrûm reſiſtat, vel ſe opponat, nè in fortitudine ſua ſuper vos cadat, & nullum adiutorem, qui vos in iudicio eius tueatur, poſſitis habere. Iſtud tempus muliebre eſt, quia iuſtitia Dei debilis eſt. Sed fortitudo iuſtitiæ Dei exudat, & bellatrix cõtra iniuſtitiam exiſtit, quatenùs deuicta cadat.

Sap. 11.

Rom. 12.

O Vera ſapiẽtia, quę abſq; omni initio & cõſtitutione ęternus Deus exiſtis, quãta myſteria in creaturis operi tuo, ſcilicet homini, ſubditis, feciſti, quandò vires potentię tuę creando emiſiſti? Tu enim pulchrum tectum cum pulcherrimis feneſtris ſuis, ſcilicet firmamẽtum cum luminarijs illis creâſti, in quod ſolem, qui lumine ſuo omnia ſuper terram & ſub terra regit & illuminat, conſtituiſti, cui etiàm cętera luminaria adhęrent, & per quę lucent, ſicut omnes creaturę tibi obſecundant, & in te in genere ſuo vita exiſtũt. Tu autem ſummus infimam creaturam tetigiſti, & humanitatem ex illa induiſti, per quam inimicum tuum ex toto ſuperâſti, qui inuidia ſua hominẽ quem plaſmaueras, in paradiſo ſeduxit. Tu enim vera charitas ęterne Deus, omnibus creaturis tuis ſapiẽter creatis & ordinatis & præparatis, tandèm hominẽ, quaſi ad prandiũ pręparatũ vocãdum, for-

formâſti in tam breui mora. Sic vocatur initiũ diei eſſe, quan- Gene.2.
dò ſcilicet aurora conſurgit ante ſolem: & ſtatìm inſpirâſti in
ipſum ſpiraculũ vitę, ſicut etiàm ſol poſt aurorã ſtatìm radios
ſuos fulgendo emittit. ſpiraculum autem vitę, anima eſt, quę
ignis exiſtit, cuius flamma rationalitas eſt, per quam vires ani-
mę in ſciẽtia boni & mali cognoſcũtur, ſicut etiã ſol per ſplẽ-
dorem ſuum cognoſcitur. Mora autem, in qua Dñs Adam in
paradiſum poſuit, & glorioſam iocunditatem eiuſdem para-
diſi ei oſtendit, omnem fructum illius, excepto ligno ſcientiæ
boni & mali, ei cõcedens, fuit quaſi prima vſq; ad tertiã. Mo-
ra verò, qua vocauit Adam nominibus eorũ cuncta animãtia
& volatilia cęli, q̃ in viſione ſcientię ſuę vidit & cognouit, &
in qua Dñm in claritate Diuinitatis ſuę ſibi loquentem audi-
uit, ſpatium habebat ſicut horę tertię vſq; ad ſextã: Qua ſcili-
cet Deus ei tunc in orientali parte apparuit, nec eius vultum,
ſed claritatẽ quandã vultûs eius vidit. Qua cognitione lętifi-
catum, Deus in ipſum ſoporem miſit, & ità lęto animo in de-
ſiderio ſoporis, velut filius corã patre ſuo obdormiuit. In ſo-
pore autẽ illo Deus ſpiritũ ipſius in eã altitudinem ſuſtulit, de
qua in corpus eius miſerat cũ ſcientia boni & mali, & ea q̃ vẽ-
tura erant, ſcilicet de progenie illius ad cęleſtem Ieruſalẽ im-
plendã, pręoſtendit. Et in eodẽ ſopore coſtam de ipſo tulit, &
in mulierem ędificauit: qua adducta & viſa, Adam gauiſus eſt
valdè. Ipſe autẽ & vxor eius conſiderantes, quid comedere vel
operari primũ deberent, ipſa propiùs lignũ ſcientię boni &
mali ſtans, virũ ſuũ expectabat. Antiquus verò ſerpẽs cogno-
ſcens, quia in aliũ reſpiceret, ſicut angeli in Dñm reſpiciunt, Gene.3.
eam ad decipiendum aggreſſus eſt. Mora aũt, in qua hęc facta
ſunt, fuit quaſi ſpatiũ ſextæ vſq; ad nonã. Mulier quam Dñs in
paradiſo de viuificati hoĩs coſta ædificauerat, tunc in p̃ſciẽtia Gene.2.
ſua habens & p̃uidens vitã per quã oĩs vita ſubſiſtit, quandoq; Luc.1.

in mulierē deſcenſurā, per quā homo in gloriā paradiſi cęleſtis intraturus eſſet, à ſerpente ſeducta, cibum mortis viro ſuo porrexit. Ipſis ergò claritate ſua ità denudatis, claritas Dei, quę priùs Adę apparuerat, quaſi in flāma eis apparuit in auſtrali

Gene.3. parte, & dixit: Adam, vbì ei? Per hoc pręſignauit, quid in beneplacito ſuo haberet, q̃a ipſum p̄ tunicā humanitatis ſuę ex fœminea forma aſſumendam, quęrere & retrahere vellet. Et hic dies eorū ſalutis ſe declinauerat. Mora verò iſta, quaſi ſpatiū nonę horę diei fuit vſq; in veſperū. Poſteà aūt expulſi de paradiſo, in mundum venerūt, & noctē iam ſupra terram inuenerunt. Tunc etiàm ſecundùm naturā humanam oīa ſibi & alijs animalibus neceſſaria reppererūt, & ea vſui ſuo aſſumpſerūt.

HAec dicit, qui ſpirans vita & mēte ſua, vnus Deus eſt. Mens oīpotentis DEI, filius ſuus eſt, cui adeſt opus, ſcilicet oīs creatura, quoniā per verbū Dei, quod filius ſuus eſt, oīa facta ſunt, quę ſpirāti vita viuifica-

Ioann.1. ta ſunt in altitudine cæli & in infimo, quod terra eſt, q̃ obſtaculū eſt ſuperioribus lucentibus. Deus verò operi ſuo poſſibilitatē laudandi & operandi tribuit: & q̃a ipſe ſignifer p̄liator contra inimicos ſuos tenebrarum habitatores exiſtit, tenebris deputat oēs, q̃ ſibimetipſis attribuunt ea, q̃ gratia Spiritusſancti in eis operata fuerit, & ipſi apoſtatę nominātur, quoniā in ſe, & non in ſuſcitatorē vitæ, adſpiciunt: & paternū miniſterīū, quod ei exhibere debent, cū obcæcatione ſcientię ſuæ retrorsùm abijciunt, & illi cum oībus operibus, q̃ ſibi theſaurizauerunt in tenebris, q̃ ſinè ipſo factę ſunt, torquebuntur cū

Eſa.14. illo, q̃ ſimilis altiſſimo eſſe voluit. Tales enim, viſcera diaboli ſunt, quoniā ex conſilio illius operantur, & à claritate Diuinę lucis denudantur, & inſtigatione eiuſdē tyranni, ſcripturā & doctrinā, quā Spiritusſanctus dictauit, deſtruunt. Sicut cælū ante tempus ſcindi non poteſt, ſic etiàm verba Spiritusſancti mutari non poſſunt.

DE

DE ſacerdotali officio, quod in primo ſacerdote Mel chiſedech in vmbra miraculorum Dei oſtẽſum eſt, & ante eum homines latebat, eô quòd præ mollitie ſua illud capere non poſſent, Deus mihi hæc oſtẽdit: Vidi quandam nubem velut auroram rutilantem, & in illa arietem in ſpinis pendentem, quemadmodùm aries qui pro filio Abrahæ oblatus eſt, pendebat, cuius cornua velut ſaphirina exiſtentia, fulgorem topazij ex ſe reddebãt, & corpus totum colori candidæ nubis apparebat. Aries iſte, IESVM CHRISTVM filium Dei viui, qui abſq; admixtione vllius contagij, candidiſſimus ex virginea natura natus eſt, ſignificat. Cuius ſaphirina cornua dulciſſimã & coæternã ipſi claritatem eius, per quam in vera humilitate humanitatem ad liberandum perditum hominem aſſumpſit, deſignant: qui de ſpirituſancto ex Maria virgine Deus & homo natus proceſſit: quod fulgor topazij, qui ex ſaphirinis cornibus reſplendebat, exprimit. Nubes verò, quæ vt aurora rutilabat, angelicã multitudinem declarat, quæ ſacramento corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti miniſtrat, quod in virtute altiſſimi fit, quæ Mariã, eundem filium Dei de Spiritu ſancto concipientẽ, ab omni calore humanę voluntatis obumbrauit, quem aries in ſpinis pẽdens, vt prædictum eſt, ſignificat. Spinæ autem clauos, quibus corpus eius cruci eſt affixum, ac lanceam, qua latus ipſius perforatum eſt, atq; totius paſſionis eius aſperitatem, quã patientiſſimè vt mitiſſimus agnus pro peccatis noſtris ſuſtinuit, deſignant. Ouis enim, præ alijs animalibus patiens, humilis, manſueta & munda exiſtit. Vndè etiàm Deus pelliceas tunicas primis hominibus, per inobedientiã à claritate, qua veſtiti erant, denudatis, pelles ſcilicet ouium, pro veſte tribuens, ſignificationes ouis, calliditati antiqui ſerpẽtis oppoſuit. & tali veſte eos obtexit, nè nudi paradiſum exirẽt. Ipſe enim æternus

Gen. 14.

Gen. 22.

Luc. 1.

Ioan. 19.

Gen. 3.

Deus, qui in ſcientia ſua æternaliter habuit tunicam, id eſt, humanitatem filij ſui, ad cuius imaginem hominē fecit, quē-
Gen.1. admodùm Moſes ipſum ad imaginem & ſimilitudinem DEI creatum eſſe teſtatur, hominem deceptum vocauit, & tali veſte induit, in hoc oſtendens, verbum ſcilicet vnicum filium ſuum ſibi coæternum, ad requirendum & liberandum ex virginea natura humanitate induendum iuſſione in ſignificatione ouis, patiens, humilis, manſuetus & abſque omni macula vllius contagij mundus exiſteret. Ioannes enim baptiſta & ce-
Ioan.1. teri prophetæ, idem in ſpiritusancto intelligentes, eum nomi-
Eſai.1. ne agni & ouis, ſæpiſſimè appellant. Ipſe nanq; eſt immacu-
Pſal.44. latus agnus & ſpecioſus forma præ filijs hominum, qui nō de virili ſemine, ſed de ſpiritusancto conceptus virtute altiſſimi Dei, de carne Mariæ virginis, Deus & homo natus proceſſit. In eadem verò virtute altiſſimi DEI, oblatio panis cum vino & aqua, in carnem & ſanguinem Saluatoris, quam de Maria ☞ virgine aſſumpſit, ad verba ſacerdotis tranſſubſtantialiter, quemadmodùm lignum in ardentem carbonem per ardorem ignis, mutatur. Per hoc enim ſacramentū corporis & ſangui-
Ioan.6. nis IESV CHRISTI, qui panis viuus eſt, vt ipſe teſtatur, animæ ſaluandorum reficiuntur. Vndè ô ſacerdotes, qui ad mēſam Domini ordinati eſtis, præparatæ vos ad ſacrificādum ſa-
Luc.15. ginatum vitulum, qui omni macie peccatorum caret, & in-
Ephe.6. duite vos lorica veræ fidei, & ſcuto ſpei æternæ vitæ, & collū veſtrum ſtola obſeruationis præceptorum Dei circundate, vt
Mala.2. competenter ei ſeruire poſſitis. Vos enim angeli Domini exercitum eſtis. Quia ſicut ad verba angeli Gabrielis Deus incar-
Luc.1. natus eſt ex Maria virgine, vt per eius natiuitatem, paſſionem & aſſcenſionem homo perditus liberari & ſaluari poſſet: ſic ad verba veſtra idem corpus & ſanguis eiuſdem filij Dei, cum repreſentatione natiuitatis, paſſionis reſurrectionis & aſſcē-

ſionis

ſionis eius,pro ſalute noſtra & omnium fidelium, tam viuorũ
quàm mortuorum, fit. Currite ergò deſideranter in gaudio
lætę mentis ad miniſterium agni immaculati, quia multa ſa- Fructus Miſſæ.
lus vobis & alijs fidelib' indè prouenit, cùm propter celebra-
tionem illius peccata remittuntur, & animæ liberantur, &
multa pericula animæ & corporis effugantur. Sanctitas autẽ
eiuſdem ſacramenti nobis inuiſibilis eſt, vt etiàm Deũ & quã-
libet incorpoream creaturam videre non poſſumus, ſed per il-
lam anima noſtra & corpus per remiſſiõem peccatorum ſan-
ctificatur, & inuiſibiliter refocillatur. Si autẽ circa corp' Dñi
aliqua indigna accidunt, vt vel putreſcere, vel ab aliquo ani-
mali corrodi ſeu conſumi videatur, iſta tantùm in ſacramẽto
viſibili vel ſola ſpecie exteriori ſunt, virtute & gratia ipſius ſa-
cramenti, illibata & incorrupta diuinitùs conſeruata. Quã-
dò ſacerdos verba Dei ruminat, corpus incarnati verbi Dei ite-
ratò conficitur, per quod omnes creaturæ proceſſerunt, quæ
priùs non apparuerunt, & quod etiàm ex Maria virgine quaſi
in momento ictûs oculi incarnatum, cùm ipſa cum humilita- Luc. 1.
te dixit: Eccè ancilla Domini. Et caro eiuſdẽ verbi Dei in ver- Notét hęc
bis ſacerdotis floret, & immutata caro permanet. Dominus Ie- Luterani.
ſus Chriſtus nondùm paſſus fuit, quandò verba iſta dixit, & Mat. 26.
diſcipulis ſuis prænunciauit ſe paſſurum, & ſanguinem ſuum
in ablutionem peccatorum effundendum, id eſt, ablutio, quę
per nullam carnem ante eum fieri potuit, ſed in carne ipſius,
quæ abſq; liuore peccati ex igne patris Diuina exiſtit. In ver-
bis verò ſacerdotis, quæ ſigillatìm ſuper vtrunq; ſacrificium
dicuntur, & ſingulatìm virtute altiſſimi, quaſi in momento
ictûs oculi ſacramẽtum corporis & ſanguinis IESV CHRI-
STI fit. Et officio altaris rationabiliter peracto, multa remiſ-
ſio peccatorum viuis & defunctis prouenit. Si autẽ per negli-
gentiam vinum & aqua defuerint, vel ſola aqua ibi fuerit, in

verbis

verbis prædictis corpus Domini fit, in ſe habens ſanguinem. In calice autem ſanguis, qui in paſſione ſua effuſus eſt, nõ fit, quia vinum & aqua defueruut, vel ſola aqua ibì fuit, vndè denuò eadem verba & ſigna repetenda ſunt, quia ſacrificium vini & aquæ neglectum fuit, & ſtatìm ex aqua & vino ſanguis non aridus, ſed integer & fluens fit, corpore tamen ità permanente, vt in verbis antedictis factum eſt: ſed ſanguine, qui priùs defuit, & gaudio redemptionis, qua homo liberatus eſt, adornatur. Hæc, fili Dei, in vero lumine mihi oſtenſa, tibi ſcripſi, vt ſacerdos Dei læto animo fias, ſpiritusq; ſanctus efficiat, quatenùs vera humilitate & patientia & manſuetudine agnũ Dei imiteris, & à quotidianis peccatis, quæ vitari nõ poſſunt, vera pœnitentia laueris, & à ſarcina criminalium, quæ quaſi in conuiuio perpetrantur, Deus omnipotens te cuſtodiat, vt in munditia ei, dum viuis, ità ſeruias, vt poſt finem huius vitæ, in ſumma beatitudine in æternum cum ipſo gaudeas. O ſerue Dei, qui in bona voluntate ad vtilitatem tuî & aliorum multa ad te colligis, & tamen in hoc repræhenſibilis es, quòd bonã terram in agro Domini tui diligenter non euertis, audi: Negocium illud quod mihi commiſiſti, in eo tibi lucidum video, quòd per te auertitur, nè bona illius Eccleſiæ per inutilẽ præpoſitum diſſipentur. Sed in claritate iſta nullo modo videre poſſum, vt per te religio ſpiritalis vitæ in ipſis reſtituatur. Sicut enim lutulentus puteus putredine immundorum vermiũ ſqualidus & inueteratus, facilè mundari non poteſt: ſic etiàm mala conſuetudo peccatorum, difficilè in eis prohibẽda erit. Quicunq; enim lupum fugat & perſequitur, nè oues ab illo rapiantur: & ſi eas poſteà in rectam paſcuam ducit, benefacit. Nunc autem ex conſilio bonorum & ſanctorum hominum, elige quod tibi melius eſt, ſecundùm ſtatum Eccleſię qui modò eſt, ſcilicet vt minùs malum eligatur.

Cõuiuia.

Cœnan-

COenantibus autem eis, accepit Ieſus panem & benedixit ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Benedicit ſcilicet panem ea benedictione, qua de corde patris, quemadmodùm & ipſe, exiuit. Per hoc autem quòd dicit, fregit, corpus ſuum per infixionem clauorum terebrandum, & tormento crucis vexandum, & poſteà mutandum eſſe, oſtendit. Sic enim granum per molendinum contritum, cum aqua & igne panis efficitur: ſic etiàm corpus eius multa afflictione pœnarum & paſſione crucis cōtritum, & per reſurrectionem ad immortalitatem roboratum, panis vitæ fidelibus factum eſt. Quia verò non de carnali patre in terra, ſed de ſpiritu ſancto in virgine conceptum eſt, non potuit aut debuit corpus idem in cineres redigi vel ſpargi, per quod anima & corpus cuiuſq; hominis ad ſaluationem reficiuntur, ſicut etiàm panis cor hominis confirmat. Maria autem terra erat, in qua S. Diuinitas granum ſeuit, ſcilicet filium ſuum, de cuius corpore omnis fidelis viuere debet, quemadmodùm etiàm de pane, qui ex granis fit, homines viuunt, id eſt, in cœna ſua. Corpus tamen dedit eis impaſſibile diuina potentia ſua in ſaluationem, eô quòd gaudia æternæ ſaluationis, paſſione omnium dolorum careant: & hoc ei poſſibile fuit, quia in aliena natura homo eſt, & ideò eundem panem in Diuinitate ſua benedixit. Item per hoc quòd panem fregit, eis innoteſcit, ſe deſiderare idem corpus ſuum pro redemptione humani generis paſſibile in mortem tradi, nec ab alio (ſi ipſe nollet) ſibi mortem inferri poſſe. Et accipiens calicem, gratias egit, qui per effuſionem ſanguinis ſui hominem de liuore peccatorum redempturus erat. Et dedit illis ſanguinem noui teſtamenti, ſcilicet ſaluationem perficiendo, quæ vtiquè in veteri teſtamento inueniri nō potuit. Quòd autem dixit, non ſe de genimine

Matt. 26.

Pſal. 103.

mine vitis huius bibiturum, donèc illud nouum biberet in regno patris ſui: Hoc ità intelligendum eſt, àc ſi diceret, donèc eas & alias animas ſanctas in regnum patris ſui in gaudio ſuſciperet per effuſionem ſanguinis ſui. Dominus IESVS ante paſſionem ſuam corpus paſſibile in cœna diſcipulis ſuis dedit, vt eis eſſet cibus vitæ, quo & animæ & corpora ſanctificarentur. Per effuſionem autem ſanguinis ſui, qui in cruce effuſus eſt, rationalis anima à caſu animæ renouatur
Pſal.103. & lætatur, ſicut etiàm vinum lætificat cor hominis. CHRISTVS itaque qui in cœna Diuina potentia ſua impaſſibilis fuit, Diuina etiàm miſericordia ſuper hominē motus, & poſteà ſe paſſibilē voluit: quia niſì vt paſſibilis mori potuiſſet, homo liberatus non eſſet: & ità ſinè fructu redemptionis, ſolus
Ioan.12. Deus & homo manſiſſet, ſicut ipſe dicit: Niſì granum frumēti cadens in terra, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Homo ergò nō potentia, ſed iuſtitia liberari debuit, qui recto iudicio ad mortem deputatus eſt. Et ideò filius DEI in mortem traditus eſt, vt per ſatisfactionem innocentis, iuſtitia peccatori redderetur.

QVicunq; ex infirmitate corporis ſui vomitum patitur, & corpus tota deuotione deſiderat, huic presbyter idem ſacramentū dare nō preſumat, propter honorē eiuſdē corporis Chriſti, quod in ſpecie panis latet. Sed corpus Domini ſuper caput eiuſdē hominis ponat, ac Deum qui animā in corpus miſit, inuocet, vt corpore & ſanguine animam illius ſanctificare dignetur. Ponat quoquè ſuper cor ipſius, dicens: DEVS omnipotens, cuius filium Maria in fide ſuſcepit, da quęſumus, vt in vera fide anima & corpus huius hominis ſanctificetur per corporis & ſanguinis

nis eius ſanctificationem. Diuinum enim ſacramẽtum in ſpecie panis latet, quemadmodùm anima hominis inuiſibilis exiſtit. Vnde inuiſibilis anima, inuiſibilem ſanctitatem ſtatìm in ſe trahit, quia ſpiritus hominis illum qui eum miſit, mox ſentit, & nunquàm ab eo recedet, qui in fide eum ſuſcipit. Ab indigno autem ſanctitas illa, ſicut à Iuda, aufertur. Itaque vomitum patienti, propter cautelam & reuerentiam, corpus Domini eſt vitandum. Fides tamen eiuſdem ſacramenti, firmiſſima habenda eſt, quod in ſpecie panis ſolenniter ſanctificatum eſt.

IOhannes qui ſpeculũ ſanctitatis & virginitatis eſt, quia proptereà terrenam deſponſationem repudiabat, & quẽ filius DEI, qui à patre ſuo in virginalem materiam humanitatis ſuæ deſcendit, quam omni ornamento virtutum ornauit, præ cæteris ſanctis ſpecialiter diligendo, occultorum miraculorum ſuorum ſignaculum poſuit, in myſtica viſione dicit: Vidi ciuitatem ſanctam &c. Quod ſic intelligendum eſt: Cæleſtis Ieruſalem, quæ per ſummum artificem, ſcilicet omnipotẽtem Deum, ornanda erat, coram ipſo, quẽadmodùm materia omniũ rerũ, ante creationẽ mundi apparuit: & ſicut hominem quem de limo formauerat, ſpiraculo vitæ ſuſcitauit: ſic etiàm S. ciuitas Hieruſalem, quæ virum ſuum, ſcilicet filium DEI, cui deſponſanda erat, expectabat per effuſionem ſanguinis ſui, cum omni ornamento noua effecta eſt. Ipſa enim, cùm elementa tenebris inuoluta eſſent, victorioſo vexillo ad crucem, in qua filius DEI pendebat, deſcendit, & dotem iſtam ab eo qui in virginitate conceptus & natus eſt, ſuſcepit, quòd etiàm ipſa ſpirituali genitura filios virgo procrearet, quia per rubicundum

Apo. 21. Gen. 2.

R 2 ſangui-

ſanguinem filij Dei, cæli illuminati ſunt, & ianua paradiſi, quæ in expulſione Adæ homini clauſa eſt, aperiebatur. Deus nanq; Ieruſalem, quæ de ſanctis operibus hominum ædificata eſt, & quæ vt ſponſo viro ſuo ornata appáret, ad laudem humanitatis ſuæ fieri voluit, ſicut etiàm ad laudem & honorem Diuinitatis ſuæ angelos creauit. Et audiuit vocem quaſi dicentem: Ego qui per verbum meum, quandò Fiat dixi, ſuper omnes creaturas intonui, dico, vt hæc quæ tibi de cæleſti Ieruſalem oſtenduntur, ad tutelam & ſalutem hominũ cognoſcas & manifeſtes, qui ad ſimilitudinem noſtrã factus eſt, vox ſcilicet in anima, & tabernaculum in corpore, vt etiàm ego vox in tuba, quæ per vocem ſonat. Deus enim dilecto ſuo Iohanni S. ciuitatem viuis ex lapidibus, qui homines ſunt, & etiàm ex operibus eorum conſtructam oſtendebat, in qua IESVS CHRISTVS lapis angularis conſiſtens, vtrunq; parietem in templo cæleſtis Ieruſalem coniungit. Ipſe quoquè per indumentũ humanitatis ſuæ cum hominibus habitat, & ipſi populus ſuus ſunt, quem dote ſanguinis ſui eruit, ac ipſe Deus eius eſt, quoniam magna poteſtate eum liberando, antiquum ſerpentem deſpoliauit. ſicq; Deus potentiæ, Deus miſericordiæ & pietatis, ac plenum bonum ſuper omnes creaturas conſiſtit, quem nunquàm vllæ tenebrę tangebant. Sed qui ſuper eas fortiſſimus iudex eſt. Deus nanq; per humanitatem ſuam & etiàm per ornamenta cæleſtis Ieruſalem, populo ſuo omnem lachrymam ignorantiæ & infidelitatis, in qua cęcus veræ fidei erat, abſtergit, & in pura pœnitentia, confeſſa peccata remittẽdo, ei à poteſtate & habitatione gehennalis mortis ſaluat. In dulciſſimo quoquè & amariſſimo rumore humanitatis filij Dei, qui eſurie expectationis ſuæ ceſſante, in magna ſaturitate gaudiorum in omnem terram exiuit, luctus Adæ & poſteritatis ſuæ, qui introitum cæleſtis regni non po-

Apo. 21.

tuerunt

tuerunt habere, & clamor prophetarum, qui in magnis ſuſpirijs eum ad redemptionem populi vocabant, ampliùs nõ erũt. Dolor quoquè & aſperitas legis, in qua nullius peccati reatũ per veniam miſericordiæ aliquis redimere potuit, etiàm ampliùs non erunt, quomodò nobilis filius hominis qui iuſtus & miſericors eſt, omnia peccata hominis in vera pœnitentia miſericorditer abluit. Sicq; per plenam bonitatem humanitatis ſuæ, omnes prædicti dolores, qui in primìs erant, abiêrunt. Hæc quę Iohãnes in S. reuelatione vidit & audiuit, vera ſunt: quoniam filius Dei opera ſua, vt pater ſuus voluit, in magna claritate finiuit: vndè etiàm in magna potẽtia in throno ſuo, omnes inimicos ſuos conculcando, ſedet. Ipſe etiàm omnia noua facit, quia vt ex prima materia omnes creaturæ per verbum Dei (ſcilicet Fiat) procedendo illuminatæ ſunt: & ſicut primus homo de limo formatus, ſpiraculo vitæ in carnem & ſanguinem mutatus eſt: ſic etiàm homo peccator, per miſericordiam filij Dei, qui in throno ſuo ſedet, cum pœnitẽtia peccatorum ſuorum renouatus, nouus efficitur. Beatus enim homo, quem Deus tabernaculum Sapientiæ cum ſenſualitate quinque ſenſuum fecit, vſque in finem vitæ ſuæ cum ſanctis deſiderijs bonorum operum, & cum eſurie iuſtitiæ ac dulciſſimarum virtutum, quibus nũquàm ſaturari poteſt, de nouitate in nouitatem per gratiam Dei ſemper aſſcendit, & ſic ad gloriam incõmutabilis vitæ, quæ ſinè tædio & ſinè fine ſemper manet, feliciter perueniet. Sic enim Deus vſque ad nouiſs. diem omnia noua facit: quæ autem poſt nouiſſimum diẽ cum potentia & poſſibilitate ſua facere velit, in ſola ipſius ſcientia ſunt, cùm beati homines, qui in prædicta nouitate viuebant, in citharis & ſymphonijs ac in ſono omnium laudum, in cõſpectu Dei gaudium omnium gaudiorum ſinè fine habebunt. O ſerue & fili Dei, qa ipſe in primo homine te formauit, ſtu-

de vt per abſtinentiam carnalium deſideriorum in ſanctis deſiderijs & bonis operibus in cæleſti Ieruſalem tabernaculum tibi facias, & vt pulcherrimis feneſtris per eſuriem iuſtitiæ & charitatis Dei exornes, quia vt domꝰ per feneſtras illuſtratur, ſic etiàm per charitatem omnes virtutes illuminantur, & cognoſcuntur. Vide etiàm vt tribulationes tuas patienter ſufferas, quoniam per eas queq; virtutes in te elegantiores efficiuntur: & vide vt etiàm in corde tuo pulchram formam, de qua tibi dixi, cautè cuſtodias, quatenùs ipſa in cæleſti Ieruſalem luceat.

IN vera viſione, quam in anima mea vigilantibus oculis
ſemper video, cùm modò ſeptuaginta & trium annorum
ſim, à viuente lumine ad ſcribendum hæc verba coacta
ſum: Deus viuus fons eſt, qui aquas emiſit, q̄n per verbū
Gene. 1. Fiat, dixit: Fiant luminaria &c. quę luminaria firmamen-
tum, ſolem ſcilicet, lunam & ſtellas, portant, & quę ſpeculū
eorūdem luminarium ſunt, quoniam radios ſuos in eas mit-
tunt. Ipſe etiàm ſplendens ignis ac æternitas ante æuum eſt: in
quo imago ſua, ſcilicet forma hominis, ſemper & ſemper ſinè
tempore radiauit. Homo enim, quem ad imaginem & ſimili-
tudinem ſuam formauit, opus ſuum & indumentum deitatis
ſuæ eſt, qui ſecundùm creatorem ſuum operando, ad vtilitaté
ſuam, quomodocunquè voluĕrit, vtitur creatura. De limoſa
Gene. 2. nanque & aquoſa terra homo creatus eſt, quæ per humorem
aquarum, quas ipſa obtegit ac pondere ſuo aggrauat, infun-
ditur. Aquæ verò cum calore ſolis, qui infra circulū rotę ſuæ
quandam imaginem habet, & qui pev aquoſum aërem humi-
dus eſt, totam terram perfundunt: & ità ſe inuicèm admiſcē-
do, omnia germina proferunt: & aquæ, quæ ſpeculum eiuſdē
ſolis ſunt, ipſum coërcent, nè terra nimio ardore ſuo combu-

rat, ipſeque aquas conſtringit, nè illę per immoderationem pluuiarum terram ſubmergant. Deus quoquè igneam rationalitatem animæ, quæ ſpiraculum vitæ eſt, homini quem formauerat, immiſit: per quod in carne & ſanguine, velut corbus per ignem, cõfortatur & ſolidatur. Anima etiàm per corpus, & corp⁹ per animam operatur: & anima viriditas corporis eſt, & ſic plenus homo exiſtit, in quo ignis, aqua, & aquoſus aer ſunt, per quæ ipſe humidum ſpiramentum attrahit & emittit. Sicut enim ſol de conſtituto loco rotæ circuli ſui, cũ mobili vento per calorem radiorum ſuorum, omnes vires & virtutes ſuas perficit: ſic etiàm rationalis anima in corpore cũ humido ſpiramine, quæcunque vult, dictat, & ea in creatura quam per rationalitatem cognoſcit, operatur. Anima verò & corpus cum ſingulis viribus & nominibus, quemadmodùm caro & ſanguis, vnum ſunt: ac per tria, ſ. per corpus & animã & rationalitatem, homo perficitur & operat̃. Ipſa nanq; anima toto corpori ſe infundit, & cum rationalitate in illo operando, guſtum & nutrimentum ipſi miniſtrat: ac ità homo, omnis creatura eſt, quã ipſe per rationalitatem ſcit & cognoſcit, & quæ ex præcepto Dei per omnia ei ſubdita eſt. Deus enim ignis occultus eſt, quem nemo mortalium inſpicere valet. Sed angeli qui ignei ſunt, etiàm igneam faciem ſemper inſpiciunt, & ſplendor patris, filius eius, de cuius indumento, quod tempus habet, prophetæ prophetabant: & qui ſemper ſinè tempore ante æuum cum patre fuit, vt Ioannes Euangeliſta teſtatur, dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Sed verbum quod in principio apud Deum erat, de Maria virgine incarnatum, fons viuus, proceſſit, qui oẽs in ſe credentes aqua vitæ reficit, quemadmodùm ipſe dicit: Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquę viuę. Ipſe etiàm per inextinguibilem ignem Deitatis, omnem ignẽ ſpurcitiæ

Gene. 2.

Ioan. 1.

Ioan. 7.

citiæ

citiæ extinguit, quia ante æuum in patre genitus erat, cuius voluntas indumẽtum eiuſdem filij ſui æternaliter habuit. Idẽ
Matt.3. & 17. quoquè filius Dei in aquis ſe baptizari voluit, vbì eum paterna vox dilectum filium ſuum, qui ante æuum in æternitate cum ipſo erat, teſtatur: & qui per ſpecioſam formam humanitatis ſuæ, omnes inimicos ſuos, qui cõtra eum pugnare volunt, conculcabit. In aquis enim memor erat, quomodò illas
Gene. 1. per verbum ſuum creauit, ſuper quas ſpiritus Domini (qui viuus fons eſt) ferebatur, qui eas mouit & fluere fecit, ità quòd omnem immunditiam mundant, & nullam putredinem in ſe continere poterunt. Deus nanq; humanitatem ſuam Diabolum celauit, quem cum magna multitudine diabolicorũ ſpi-
Eſa. 14. rituum de cælo deiecit, ipſorumq; numerum (diabolo ignorante) cum beatis hominibus compleuit. Et ſic Deus per caſum Adæ, ruinam diaboli (qui ex toto perditus eſt) reparabit. Filius etiàm hominis comẽdit & bibit, vt homini facere conceſſit, per quod caro & ſanguis creſcunt & nutriuntur: nè in
Gene. 3. officiali opere ſuo areſcendo deficiant. Cibum verò iſtum ſerpens contaminauit, quandò primi homines ipſi conſentiẽtes, de paradiſo expulſi ſunt, vndè & p ſuggeſtionẽ diaboli, filios ſuos in peccatis concipiendo, in dolore generabant. Sed iſtam mortiferam conceptionem hominis, filius Dei abſterſit, cùm
Lu. 1. & 2. de Spirituſancto ex Maria virgine ſinè omni peccato virilis naturæ cõceptus & natus eſt. Filius etiàm Dei, corpus & ſan-
Matt. 26. guinem ſuum in pane & vino diſcipulis ſuis dedit, quia hæc duo maximè ei conueniunt & comparantur: quoniam ſicut
Ioan. 12. granum in terra abſconditũ, ex nulla alia coagulatione, niſì per calorem ſolis & humorem aquæ, per gratiam Dei in viriditate ſua occultè naſcendo ſurgit, & ſicut botrus vini non per putatiõem, ſed per myſticam gratiam Dei viret & creſcit, ☞ ſic etiàm ipſe filius Dei ſinè omni coagulatione & viriditate

pec-

peccati carnalis naturæ, ex occulta Diuinitate verus homo proceſſit. Ignis enim qui in altum ſiccum puteum abſcôſus eſt, 2. Mac. 1. vbì poſteà craſſa aqua inueniebatur, cũ qua ſacrificia adſpergebantur, quę per magnum ignem, qui accenſus eſt, conſumpta ſunt, Deum inextinguibilem ignem & viuum fontem eſſe deſignant. Nam ipſe Deus, quem idem ignis & aqua ſignificant, in alta profunditate ſua tam occultus eſt, quòd omnem intellectum humani ingenij excedit: vndè etiàm omne carnale deſiderium in Maria virgine ità conſumpſit, quòd filius ſuus abſque omni incendio peccati ex ipſa humanitatem ſuam induit: ſpiritusſanctus enim, qui viuus fons eſt, ſuauiſſimo humore ſuo eam perfudit, ſicut ros ſuper granum deſcendit, ità vt per virtutem altiſſimi ab omni ardore, qui per ſuggeſtionẽ diaboli in naſcentibus hominibus fit, & ab omni dolore humanæ naturæ & genituræ obumbrata ſit, quemadmodùm Luc. 1. angelus ad ipſam dixit, Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Primus autem ortus immundæ coagulationis, quę ſinè Spirituſancto exoritur, in aquis baptiſmi per Spiritumſanctum velut aurum in igne mundatur, & purificatur, quoniam Spiritusſanctus ſuper aquas ferebatur, ac eas moueri & fluere fecit. Gene. 1. Ipſæque etiàm ſpiritale elementum prę cęteris ſunt, & in eis etiàm animalia in natura ab alijs animalibus aliena, naſcuntur & paſcuntur. Homo nanque chariſmate & oleo per gratiam Dei inunctus, & igne Spiritusſancti accenſus, in baptiſmate ſanctificatur, ac denuò in confuſionem antiqui ſerpẽtis, qui primum ortum ſuum tetigit, renaſcitur: & ità per gratiam Dei, ab ipſo, hoc modo potenter eripitur, ac in fonte baptiſmatis per fontem viuum, ſcilicet Spiritumſanctũ, ad ęternam ſaluationem regeneratur. Eadem etiàm virtus altiſſimi, Ioan. 3. quę ſuperuenit in Mariam, ex ipſa carnem & ſanguinem filij Dei efficiens, ſuper oblationem panis & vini, apertis vulneri-

bus Ieſu Chriſti, deſcendit ità, vt eadem oblatio panis & vini, occultè in conſpectu Dei & ſanctorum angelorum, in carnẽ & ſanguinem trãſformetur: ſicut etiàm granum & vinum per occultam viriditatem, quam homo videre non poteſt, creſcũt. Sed quia homo poſt ablutionem baptiſmi in peccatis ſæpiſſimè labitur, vulnera eiuſdẽ filij Dei tandiù aperta ſunt, quouſq; rationalis homo peccauerit, quatenùs ipſe per pœnitentiam & confeſſionẽ in eiſdem vulneribus mundetur & recipiatur. Sed homines qui hæretici & Saducęi dicuntur, ſanctiſſimam humanitatem filij Dei & ſanctitatẽ corporis & ſanguinis ſui, q̃ in oblationem panis & vini eſt, negant: ideoq; diabolus qui initium eſt ab illo, qui nec initium, nec finem habet, & qui in principio honoris ſui, vnitati ęternæ Diuinitatis contradixit, per homines iſtos, totam terrã puluere mortis adſpergit. Ipſe enim mendax eſt, quoniam obcęcationẽ infidelitatis, oculis hominum iſtorum infundit, eos ità obcęcãdo, vt in Deũ verũ nec ſperare, nec credere poſſint: & ità vipereo more oẽm ſanctitatem & honorem Dei per homines iſtos mordet, qui eũ per ſuggeſtionem ſuam ſequuntur, & qui per omnia Deum viuum per infidelitatem deſpiciunt. Deum nanq; verum, qui inuiſibilis eſt, & etiàm animam ac ſpiritum hominis in recta fide non habẽt, quoniam omnis eorum intentio ad illa q̃ carnalia ſunt, tendit: ideoq; omnia quæ Dei ſunt, quẽadmodùm ille q eos ſeducit, cõculcant: qa verba veritatis contemnentes in mendacio & in falſa doctrina ſua gloriantur. Perditus verò angelus, per rationalitatem ſuam ſcit, quòd homo rationalis poſſibilitatem operandi, quæ vult, habet: & hoc in primo homine, qui pręceptum à Deo acceperat, recognouit, ac ità in eadẽ qua mulierẽ deceperat, illud quod pręcepit, ſcilicet vt creſcerent & multiplicarẽtur, in hominibus iſtis deſtruere conatur, eis ſuggerendo, nè ſecundùm præceptum legis, ſed ſecundùm

Ioan. 8.

Notandum illud, nè ſe-

dùm hoc, quod ipſi per ſuggeſtionem diaboli ſibimetipſis eli-gunt, viuant. Ipſe quoquè eis ſuggerit, vt corpus ſuum per ie-iunium macerando conſtringant, & poſteà omnem volunta-tem inceſti deſiderij eorum perficiant, & ità ipſo ſuadente, ab omni ſanctitate legaliũ pręceptorum omnipotentis Dei defi-ciunt, quoniã in omnibus pręceptis q̃ Deus per Moyſen, ac ꝑ alios prophetas ſuos protulit, & quę poſteà per filium ſuum reuelauit, mortui ſunt: ideoque per eos tota terra polluta eſt. Vnde vos ô reges, duces, & principes, ac cæteri Chriſtiani ho-mines, qui Dominũ timetis, verba iſta audite, & populum iſtũ ab Eccleſia, facultatibus ſuis priuatũ, expellendo, & non oc-cidendo, effugate, quoniã forma Dei ſunt. Igneus autem ſpiri-tus Dei, qui viuus fons eſt, per gratiam ſuam vobis infundat, vt hęc ante diem vltionis Dei, faciatis, quatenùs de omni honore & beatitudine corporis & animæ non deficiatis.

eundũ præceptum legis, Anabaptiſtæ & cõcubinarij hic notantur, qui nullum præceptum legis obſeruant, nõ verè cõtinentes.

DEus homini pręceptũ, in quo omnis lex latebat, da-bat: ſed homo illud præuaricatus eſt: & ideò per ca-ſum expulſiõis iudicatus eſt, in duob⁹ modis mor-talis exiſtens, corpore ſcilicet moriendo, & verę lu-cis viſione carendo. vndè etiàm in manſione illa perdurare nõ potuit, ac ꝑdictam viſionem perdidit. Ipſe enim Deũ veraciter ſciuit, & quod pręceptũ illius cuſtodire deberet, agnouit: ſed quia ſeruum ſuũ audiuit, & quoniã mulieri ſibi ſubditæ con-ſenſit, iuſtum iudiciũ iuſti iudicis ſuper eum venit. Et iudiciũ iſtud Deus homini ſuper illos dedit, qui magiſtrũ in obediẽ-tia agnoſcere nolunt, & qui omnia mandata legis pręuaricã-tur. vndè & corpora ipſorum morti dabantur, quoniã in luce legis mortui ſunt. Sed tamẽ magiſtri, qui in vice Chriſti ſunt, pręuidere debent, ſi aliquam emendationẽ in ſe habeãt, anteq̃ illos morti tradant. Et cor eorũdem magiſtrorum in hoc pu-riſſi-

Gene. 3.

riſſimum eſſe debet, nè vllam iniuriã aut blaſphemiam ipſis ab illis illatam, in iudicio attendant: & ità morti ſanguinem damnatorũ cum iudicio tradant. Quòd ſi cor eorũ purum non fuerit, à præſentia huius iudicij fugiant, nè verba ipſorũ proximos ſuos interficiant, diligentiſſimè Euangeliũ Dñi attendentes, vbì dicitur: Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo eñ iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Sed nec iudicabunt ſecundùm quod ipſi cõſtituunt, nec ſecundũ placitũ volũtatis ſuæ: ſed ſecundùm iudiciũ omnipotentis Dei, ità vt quicunq; intolerabiliter oñibus pręceptis legis aduerſarius extiterit, & qui à criminalibus peccatis ſe abſtinere noluerit, hic ſecundũ iudiciũ Dei, & non ſecundùm voluntatẽ hominis, iudicetur. Quòd ſi ille ꝓpter timorem mortis, culpam ſuam ſe emendare promiſerit, ſemèl & ſecundò iudiciũ Dei differatur: & cùm ſic probatus non emendauerit, ſecundùm verbũ filij Dei, pœnæ iudicij reus erit. Hoc modo de omni iudicio quiſq; homo pręuideat, vt nõ ſecundùm voluntatẽ hominis fiat. Attendendũ quoq; eſt, quid Iacobus de diuite & de paupere loquatur, de diuite ſcilicet benè aurato & veſtito. Diues enim propter magnam pecuniã ſuã honorari vult, recipitur & honoratur: videlicet propter auxiliũ aduerſitatis, & propter timorẽ potentiæ, qua ſæpè homines lædit. Paup autẽ propter amorẽ Chriſti ſuſcipiendus eſt, & quoniã frater hominis exiſtit. Nec iſti pares habendi ſunt, quia hoc ſinè diſcretione eſſet, quoniã qui diuitem & pauperem in vna ſede ſedere faceret, diues hoc facere dedignaretur, & paup indè terreretur. Pauper nanq; propter amorẽ Dei recipiendus & habendus eſt, quia frater hoĩs eſt, & quanuìs Deus diuitẽ permittat diuitias habere, & eas pauperi ſubtrahat, formam pauperis, quæ ſua imago eſt, tamen diligit. Diues enim per ſuperbiam diuitiarum ſuarũ hominibus, quibus nocere poteſt, imperat & eos tractat ſicut

Matth. 7. Ioan. 7. Iac. 2.

ut non ſint homines in forma ſua: & hoc modo bonum nomen hominis, ſcilicet quòd ipſe imago & ſimilitudo DEI eſt, Leu.19.
blaſphematur. Deus itaq; præcepit, Diliges proximum tuum Matt.5.
ſicut te ipſum: formam tuam ſcilicet in ipſo attendendo, eiq; omnibus condolendo, & omnia quæ malè egerit, moleſtè ferendo, quia forma tua in malis eius per ipſum blaſphematur. Cumque homo hæc fecerit, bonum opus ſecundùm filiũ Dei operatur, qui carnem induit, vt homini condolere poſſit. Sed Pauper.
qui ſpernit pauperem, non ſolùm in illum, ſed etiàm in omnipotentem Deum peccat, qui formam hominis appræhendit, per quam legem dedit, & ex qua redarguetur, quoniã tranſgreſſiones legis ſunt. Quicũq; autem totam legem ſeruauerit, Iac.2.
offendat autẽ in vno, factus eſt omnium reus: quoniam quicunq; cætera legis mandata tenuerit, & vno mandato in lege caruerit, illud propter odium non diligendo, ſed velut pictu- Lex.
ram pictoris illud habendo, hic alia præcepta perfectè non implet. Sic etiàm fit, cùm homo debilitatur in vno membro ſiue per natiuitatem, ſiue per aliquod infortunium, cætera mem- 1.Cor.12.
bra ſua ei condolebunt, nec in illo debilitato perfectum ſolatium aut auxilium habebunt. Cibus quoquè nõ benè coctus & inſulſus, homini nec vim, nec guſtum confert, ſed vix homo per illum viuit. Sic etiàm qui igneam charitatem non ha- Charitas.
bet, omnia mandata legis non rectè coquit, ſed ea vt debile membrum ſuum habet: & qui de ſapientia opera ſua non colligit nec diſcit, ſed illa à ſeipſo connectit & operatur, hic Intentio.
comparatur homini, qui imaginem ſecũdùm formam hominis ex ligno facit, quæ viuere non poteſt: ſicut etiàm ipſe & opera ſua mortua ſunt, & etiàm velut mutus eſt, qui voce rationalitatis caret, vndè & ſicut reus in omnibus mãdatis Dei exiſtit, & de ipſis in iudicio Domino reſpondebit, quoniam ea ſecundùm voluntatem ſuam operatus eſt. Præuaricatio

itaq; mandatorum legis, in ethnicis & in infidelibus & in eorum ſequacibus eſt, quia fide carent. Qui autem per baptiſmũ & fidem fideles exiſtunt, & quantùm potuerunt, in mandatis Dei operantur, atq; toto corde gemunt, & ad Deum anhelãt, auxilium illius poſtulando, & pœnitentiam de illis, quæ pręuaricantur, faciendo, quoniam alij ab infantia, alij à iuuentute, alij in ſenectute Deum quęrunt, & ab ipſo omnia poſtulant, hi licèt peccauerint, tamen per iudicium non abijciuntur. Nam in omnibus iſtis, ô Ieruſalem, multitudo ſanctorũ, iuſtorũ & electorũ, pœnitentũ & publicanorũ, ad te veniet.

Fideles. Pœnitẽtes Eſa.60.

DIuina claritas, claritatis, quæ inter opus tuum clareſcit, tu radix illa es, quæ plurimos ramos emiſiſti, & ſol es cum innumerabilibus ſphæris, ſcilicet Sanctis & Electis tuis, quorum numerum nemo capere poteſt. Tu enim in principio radicem vnam plaſmâſti, quã ſpiraculo vitæ vigilare feciſti, & ad Ieremiam dixiſti: Quid vides Ieremia? Qui tibi reſpondit, Virgam vigilãtem ego video. Quædam radix cum ramis ſuis proceſſit, & noxiali pomo obnubilata eſt, quod nox ſuper eam euomuit: vndè & ipſa in tenebris ramos ſuos multiplicans, iuſtitiam cæli cõculcare voluit. Sed tu clara Diuinitas in aquas claruiſti, & eas quaſi in vtrem congregâſti, in quibus omnes homines, excepto Noe & ramis eius, ſubmerſi ſunt. Iſtum verò, ſcilicet Noe, ad operandum miracula tua imbuiſti: & ideò opus ſuum quaſi in ſcientia infantis cum gaudio operatus eſt, quia nondùm ſciuit nec ſapuit, quę ei locuta es. Aëreum quoquè fumum ei obieciſti, qui venas & medullas hominis cõcutit, vt humanis ſenſibus non impeditus, ædificium quod eum docuiſti, velut in lætitia infantis ædificaretur. Sic etiàm facis in hominibus, in quibus miracula tua operaturus es, cùm per tuam inſpirationem

Gen.2. Ier.1. Pſal.32. Gen.7. Miracula.

nem aliena humanis ſenſibus loquuntur. Poſtquàm autem Noe in altitudine, in quam leuaueras, ædificium ſuum fecerat, primum ædificium Abel, quod in effuſione ſuî tranſiêrat, de ipſo excitâſti, eumq; ità inſpirâſti, vt altare ædificaret, ſuper quod tibi altiſſ. Deo ſacrificium obtulit. Clara Diuinitas, quæ innumerabiles ſphæras vitæ habuiſti, primum hominem plaſmâſti de limo terræ, & illum in loco paradiſi conſtituiſti, vt in angelica laude ſocietatem haberet. Serpens autem in dolo oculum ſuum mouit, & illum fallacibus verbis decepit, te apud eum accuſans, qui etiàm primùm ſe tibi oppoſuit. Quod Diabolus fecit, quatenùs homo de paradiſo expelleretur, & nè in locum, de quo ipſe expulſus eſt, rediret, quem nouum opus creatum, præterquàm ſe, cognouit. Clara & ignea Diuinitas, in igneis ſphęris, quas in te habuiſti, per ſanctam imaginem humanitatis tuæ caput ſerpentis contriuiſti, vt ſe, priuſquàm opus tuum perfeciſſes, nunquàm erigeret. Ipſe enim ignem, qui tu es, nequaquàm tangebat. Sed in quadam luce claritatis, in qua mendax factus fuit, & ideò humanitas tua ei abſconſa eſt, & ideò etiàm angeli, qui ignem tuum tangunt, ab eo receſſerunt. Poſteà verò opus tuum, ſcilicet hominem, cum igne & claritate feciſti, ità vt illi perdito nunquàm ex toto ſimilis efficeretur, quæ in tanto numero ad imaginem tuam colliges, vt nec angeli, nec animæ eum dinumerare poſſint. Quidam enim hominum ignei ſunt, & ad ignem ſe conuertunt, & quidã in luce claritatis ſunt, & de luce ruunt, & iterùm poſteà ad ignem reſurgunt, ac columnæ cęli efficiuntur. Tu clara Diuinitas, ignis & claritas es, quibus etiàm fictile vas feciſti, de quo indumentum tuum induiſti, & ſic in tribus viribus exiſtens, opus tuum etiàm in tribus viribus conſtituiſti. In claritate Adam conſtituiſti, & in igne Noe cõſeruâſti, vt de ipſo nouus mundus cum igne ſanctitatis procede-

Gen. 4.

Gene. 3.

ret, qua ingluuies ſerpentis clauſa, & vis eius ità combuſta & ſuperata eſt, vt illi q per ignem & aquam regenerãtur, in vera fide perſiſtentes, nullo modo perdantur. Tu enim in igne tuo aquam exiccâſti, nè in vtrem Noe flueret: in quo præſignâſti mortem perditionis hominum finiendam, ſicut etiàm homines in aqua morte finiti ſunt. O ſanctitas aquæ, in qua filius tuus mortem contriuit, quem virgo de tuo igne concepit, qui in ea omnem liuorem aquoſi peccati exiccauit, vt ex illo non læderetur, quemadmodùm etiàm Noe non lædebat. In

Gen. 3. his enim ſignis prçuidiſti, quod in Maria perfeciſti, quç caput ſerpentis contriuit, per quæ prima mulier decepta eſt. Noe

Gene. 6. qui ſalutiferum ſignum es, quia Deus occultè te docuit, qualiter per aquam ſaluari poſſes, & cordi tuo inſpirauit, vt ad

Gene. 9. ſacrificandum ei, menſam ædificares. tu velut aurora exiſtis, quæ ſcintilla ſolis es. Deus in te præſignauit nouam & veteré ſanctitatem prophetarum & ſapiẽtum, & obſeruationem integritatis, quæ non in latere viri, ſed in forma mulieris plantata eſt, quæ in poteſtate viri non fuit, ſicut etiàm poteſtas aquæ tibi nocere non potuit. Deus etiàm nouum mundũ ex te procedere fecit, & rigatam terram per aquas tibi dedit, in qua vineas plantâſti, vim vini tamen ignorans, per quod ſenſus hominis denudãtur. Sicut enim filius qui nuditatem tuam, te vt patrem honorans, texit, gloriosè libertatem ſuam detinuit, alio in ſeruum illius redacto, ſic bonæ ſcientiæ mala ſcientia ſeruitus conſtat. Tu etiàm tam tortuoſus in peccatis, vt filij tui, non fuiſti, ſicut etiàm filij Adæ criminoſiores ipſo fuerũt. In benedictionibus enim libertatis, ſancti & electi ſunt, & etiàm illi qui per pœnitẽtiam de ſeruitio peccatorum in libertatem redierunt. Illis quoquè omnibus datur tuba canere, cuius ſonus ante thronum DEI ſonet. Angeli quoquè voci-

Apo. 5. bus ſuis Deo laudes ſymphonizãt, de operibus bonorum ho-

minum

minum adhuc in corpore viuentium, quę ſemper multiplicātur, & ante Deum aſſcēdunt ſuper aureum altare, quod in cōſpectu eius eſt, & de ipſis ſemper nouum canticum Deo concinunt. Aureum enim altare, opera ſanctorum intelligenda ſunt, quæ ipſi, in corpore manentes, operati ſunt, & quę in conſpectu Dei, quaſi aureū altare fulminant, & quibus agnū, ſcilicet filium Dei, imitati ſunt. Ipſi quoquè ſancti opera ſua & etiàm opera ipſorum beatorum, qui feliciter operantur, dinumerant cum canente tuba, cuius ſonus eſt vt vox aquarum multarum, quę dulciſſimo ſono circuientis firmamēti intermixta eſſet, & hac voce laudis auxilium illis à DEO quęrunt, quæ ſanctis operibus, quæ ſursùm ſuper altare ante DEVM aſſcendunt, opera & merita ipſorum tangunt. Sic nanq; Deū pro ipſis orant, quatenùs ipſi à bonis operibus, Leuiathan deceptione, non impediantur, quæ exemplis eorum cum elemētis operabuntur, quod canēs tuba eorum ſignificat, quia Deus ab eis ſicut ab angelis, quos claritate ſua perfudit, laudatur & glorificatur. Vox enim ſanctorum, qua Deum de ſuis & de aliorum bonorum hominum operibus laudant, quaſi canens tuba eſt: vndè & ipſi canticum nouum ante thronum & agnū cantant, & terra, ſcilicet terreni populi, in voces eorum reſultant, in meritis eorum Deum laudantes, & dicentes: Gloria tibi Domine. O ſancta Diuīnitas, tu in cælo ab occultis angelis glorificaris, qui de tua claritate ſcintillę exiſtūt, & de homine (quem de limo formâſti ad indumentum tuum) laudaris in terra. Quòd Iohannes Euangeliſta claritate DEI inclaruit, & in flamma Spiritusſancti exarſit, & ideò in corpore ſuo cæleſtis fuit, vt homo ante ruinam extitit, vndè pondus & grauedo corporis ſui in terra remanſit, ipſo in cæleſtia ſubleuato, quaſi in ictu oculi, ſicut poſt nouiſſimū diem omnis corporalis grauedo comburetur, ſanctis animabus ad cæle-

Aureū altare opera bona.

Apo. 1.

ſtia volantibus.Iohãnes Baptiſta fortitudine Diuinitatis perfuſus in carne ſua,omninò à ſpuma ſerpẽtis mortuus fuit, &
Matt.3. ideò amaris verbis peccantes corripuit. Iſtud Deus ante humanitatem ſuam præmiſit, antequàm plenitudo temporis
Gal.4. veniret,in quo DEVS homo factus eſt. Nunc autem inuoco & adoro te, vt me puſillanimem,quæ verba iſta vidi & audiui,quod tu ſolus ſcis,in Canticis beatarum animarum conſeruare velis,& omnes qui propter puram fidem nominis tui ſtudioſè mecum laborant,in ſinum gratiæ ità collige, vt à te nunquàm peregrinemur. Tu enim ſolus ignorantiam meam ſcis,quæ doctrina ſcripturarum ſtellata non ſum,quæ miracula tua narrant, vt etiàm in ſtellis tempora diſcernuntur. Vndè rogo te, vt ab omni nigredine malignorum ſpirituum me liberes,,& ab omni dubio ignorantię meę in corpore & anima conſerues.Iterùm rogo te mitis pater, vt mecum laborantes,igne charitatis tuæ ames,& in libro vitæ, qui ſcientia tua eſt,ſcribas,vt à te nunquàm ſeparentur. O Noe qui principium es ſanctitatis & ramorum,qui à te proceſſerunt,rogamus te,nè noſtrî in Canticis laudum tuarũ obliuiſcaris propter negligentias noſtras:ſed propter amorem illius, qui te in miraculis ſuis elegit,in laudibus & orationibus tuis ante Deũ noſtrî memor eſſe digneris ſemper,Amen. Sancta Diuinitas,q̃ abſq; omni diuiſione integra exiſtis, tu per verbũ tuũ in omni creatura puro nomine generas.Formæ,quę per verbum tuũ formatæ ſunt in genere ſuo,à vita nõ euanuerunt. Quædam creatura ex viriditate,quædam carnibus induta ex ſenſibili natura ſua,quędam ex ventoſo flatu ſuo,quędam ex aëre fluentis aquæ viuit. Tu enim integram & indiuiſam obedientiam indumenti verbi tui,in Abraham pręſignando ſcripſiſti, & eam puram & integram propter liberationem illorum qui pœnitentiam(de inobedientia, quæ in Adam exorta) agunt, cuſto-

cuſtodiſti. Tu pręcepiſti Abrahæ, vt in carne ſua ſe vulneraret, quæ de deceptione, de ſanctitate caſtitatis in inceſta deſideria mutata eſt, quæ tu per aquam & baptiſmum abluiſti, in occultis myſterijs, quibus etiàm ipſe neſcienter deceptus eſt. Abraham ad præceptum meum, carnem ſuam vulnerante, & diabolum confudit, qui myſterium iſtud non cognouit, & in ea parte hominis confuſus eſt, qua etiàm hominem decepit. Tu etiàm præcepiſti, vt dilectum ſuum filium tibi ſacrificaret, in quo præſignâſti tuum filium pro populo ſacrificandum. Sed vibrantem gladium ſuper ipſo ligato extenſum, angelus tuus prohibuit, & arietem ex alijs ouibus non procreatum, ſed oſtenſionem tui miraculi illi oſtendiſti. Gene, 22.
Homo enim, quem tu plaſmâſti, per diabolum deceptus eſt. Vndè omnis humana natura ità contaminata eſt, quòd om̃is homo totus in peccatis carnalis deſiderij concipitur. Natura etiàm hominis ità diſtorta & tortuoſa facta eſt, vt nullus ſocium ſuum liberare poſſet de captiuitate diaboli, vndè in teipſo ordinâſti tunicam filij tui texendam de ſimplici terra, quæ de nullo germinauerat, cuius ſanguinis calorem calor Spiritusſancti accenderat, quę ſicut ouum à carne nata eſt, quod per gallinam fotum, pullũ emittit. ſic ipſa virgo calore ſpiritusſancti fota, filium genuit: & ſicut pullus abſq; calore gallinæ ex ouo nunquàm procederet, ſic virgo abſq; calore Spiritusſancti nunquàm filium procrearet. Myſterium iſtud totum in ariete pręfiguratum fuit, qui in ſpinis pendebat, vt Dominus ad Adam dixit: Cùm operatus fueris terram, ſpinas & tribulos germinabit tibi. In laboribus operis ſui malitioſa vindicta ei oſtenſa eſt, quia contempſit præceptum Dei quod incepit, & non perfecit, & non gloriam ſuam contriuit, & ideò lucida veſtis, quę abſq; om̃i obnubilatiõe fuit, ab eo ablata & ſciſſa eſt, vt etiàm ſpinæ & tribuli hominem Gene. 22. Gene 3.

ſcindunt. Filius qui abſque omni virili ſanguine natus eſt, in
claritate DEI calore Spiritusſancti, ille ſolus in lignũ ſuſpen-
ſus eſt pro crimine Adæ, quia nullum ſimilem habuit, animas
liberauit, infernum deſpoliãdo: & quis eſt iſte qui hoc fecit?
Deus ſcilicet, qui abſq; omni inceptione, defectu & mutatio-
ne, dies illa eſt, cuius claritas nunquàm aliqua luce illuſtrata
Pſal.23. eſt. Sed ipſe lux omnis facturæ & creaturæ ſuę eſt, de quo Da-
uid dicit: Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens,
Dominus potens in pręlio. Hoc eſt, Deus inextinguibile lumẽ
Interpretatio huius verſiculi. eſt, quod nũquàm inueteraſcet, nec euaneſcet, nec in tædium
ducetur. & ipſe eſt rex glorię, cuius gloria abſq; omni noctiali
obſcuritate perſiſtit, & non deficit, ſicut tempora hominis de-
ficiunt, quæ incipiunt & areſcunt, & ſemper mutantur. Sed
ipſa in viriditate ſua ſtabilis & immutabilis permanebit, ſicut
Pſal.1. lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Gloriã
enim, quæ ipſe Deus eſt, nec angelus, nec homo vllo numero
finire, nec dinumerare valet. Quoniam ipſe integra plenitudo
Viſio Dei. eſt: & ideò angeli nunquàm ſaturabuntur eum intueri, quo-
niam ſemper ignota & noua in eo vident cum glorioſa iocũ-
ditate. Ipſe verò fortis & potens, quoniam omnes creaturas in
fortitudine ſua potenter perduxit, & vnamquanq; in genere
ſuo mobilẽ conſtituit: & ità abſq; cæcitate omnia creata ſunt
& abſq; defectu. Dominus potens in pręlio, qui contra dra-
conem pugnauit, & eum in cælo ſuperauit, ac in inferno ad
pœnas malitiæ ſuæ proſtrauit, & portas inferni confregit, &
animas illorum qui eum agnouerant, ſecum duxit, nec iſtud
alius facere poſſet, niſi potens ſit. O pura, vera & ignea Di-
uinitas, in tua potenti vi plantâſti primùm immortalem &
immutabilem terram, in qua primi homines ſe contaminabãt,
contra præceptum & voluntatem tuam delinquentes, quos
de eadem lucida regione expellebas forti potentia tua. Rui-

nam

nam tamen iſtorum reædificauit, poſt effuſionem aquarum nubium per nouã progeniẽ, quę ex Noe proceſſit, poſtquàm ſerpentino generi oſtendebas, quid in forti potentia tua facere poſſes cõtra furorẽ draconis, qui in æſtimatione ſua omne humanum genus deglutire deberet, quod diabolus tamẽ non cognouit, quia tibi nunquàm ſeruire incepit. In omĩbus quæ cum diluuio faciebas, quandò homines dimerſiſti, ruinam errantis turbæ oſtendebas. Tu enim S. Diuinitas, in Noe nouã ſobolem plantâſti, ſicut etiã terra in aliũ modũ euerſa, nouũ ſuccum vini protulit. Abrahã prima radix fuit, quę in ramis generis ſui floruit, ſicut virga Aaron de radice abſciſſa fronduit, in qua præſignâſti nati tui incarnationem, qui in pudica aluo virginis, de vi tua ſancta Diuinitas abſque omni carnali conceptione floruit. O pura Diuinitas, tu attendiſti malitioſum auditum primæ mulieris per ſerpentem deceptæ, & nobiliſſimam virgam Mariam, de vi tua florere feciſti, quæ nuncium Archangeli cum auditu veræ humilitatis ſuſcepit, & in vera fide tibi obediuit. Hanc tu ſuper ſidera in cęlum vnicam matrem tuam alienæ naturæ leuâſti, quò non venerat Eua: quæ nobis perdidit Eua, ea per matrem ſaluationis cum omnibus ornamẽtis paradiſi, nobis reddita & reſeruata ſunt. Nunc ô laudabilis Diuinitas, laus tibi ſit, quoniã omnia malitioſa hominis reparabas, & in ſcientia tua ſcripſiſti, qualiter inimicum tuum ſuperares. Ad pronunciandam hanc ſcripuram viros elegiſti, de quibus iſti pręcipui fuerunt, in quibus oſtẽdiſti, omnia malitioſa caſûs Adæ, per filium tuum reparanda in melius, ſicut poſt diluuium terra & homines quadam nouitate in melius reparata ſunt, & in Abraham inobedientia per obedientiam deleta eſt. Abraham fuit radix incipientis ſanctitatis, qui per obedientiam præceptum Dei ſeruauit, & omnipotenti Deo hoſtiam bonæ voluntatis obtulit,

Nume. 17.

Luc. 1.

Aſſumptio Mariæ.

Geneſ. 17. vndè & meritò pater multarum gentium dicitur, quia his tribus, ſcilicet obedientia, obſeruatione præceptorum Dei, te S. Diuinitas tetigit & ſignauit. Vndè etiàm nobilis Maria de ſtirpe ipſius proceſſit, quę nobile germen filium DEI genuit, quod totum mundum illuminauit, per quod etiàm caput ſerpentis contriuit. O mitis ſapientia, cuius ordinatio in omnibus creaturis tuis iuſta & vera eſt, ſalua hominem illum, qui iſtam ſcripturam vidit & audiuit, & fac eam participem redẽptionis filij tui, vt à numero iſtorum nunquàm ſeparetur, qui in regno tuo gaudent. Libera me ab omni fallacia malignorũ ſpirituum, qui me cum omni humano genere odio habent, nè me, ipſis conſentiendo, contaminem: hoc mihi concedere velis per ſanctã Mariã maris ſtellam, & per filium tuũ, Amen.

Pſal. 17. Diuina Deitas, quæ cũ alis potentiæ tuæ ſuper pennas vẽtorum volas, quorum eleuatio & volatus per vim tuã exiſtit: per fortitudinem tuam rationalitas in angelis & hominibus, qui opus tuum ſunt, volat: & tu ſapientia es, quæ iſtorum rationabilitati ſcientiam dat, vt qualia opera eorum ſint, agnoſcant: & ea velut ſapiens vir domum ſuam ſupra petram, ſcilicet Chriſtum, ædificent. Rationalitas hominis, cum ſapientia terram profundè fodit, quatenùs ſupra petram domum ſuam

Matt. 7. ædificet. Vndè qui cum ſapientia ad cæleſtem amorem æterni Dei volat, vitam vanam in peccatis viuendo deſpicit. Tædioſus autem & ſtultus nomo, quem tædet terram in altum fodere, & domum ſuam ſupra petram fundare, hîc deſideria car-

Exo. 2. nis ſuæ colit, & deridebitur. Tu pura Diuinitas, Moyſen de aquis ſumptum ſeruâſti, quem filia Pharaonis tanquàm filiũ ſuum nutriuit, nè morte ſuffocaretur. Aqua Spirituiſancto adeſt, quoniam per eam omnis fornicatio & forma exinanitur, cui humiditas adeſt, qua omnia tẽperantur, vt etiàm ignis magiſterio ſuo omnia temperat. Sapientia rationalitati adiũ-

cta eſt,& corpus eiuſdem rationalitatis indumentum exiſtit. O ſancta Diuinitas,his tribus viribus omne opus tuum perfeciſti,in illa vnitate in qua nulla diuiſio eſt, nec vllum eorũ aliud iniuſtè excellit.Sed tu es omne in omnibus. In poſſibili- 1. Cor. 15.
tate potentiæ tuæ creaturam tuam multiplicâſti, quæ in vna forma multos ſenſus habet.Tu etiàm prȩuidiſti in viſione antiquorum ſanctorum,& in ſanctis noui Teſtamenti incarnationem tuam,cui ipſi aſſunt, ſicut feciſti per nubem in Noe, & per arietem in Abraham,& in Moyſe,quem de aquis ſumpſiſti,in quo legale fundamentum tuum ſcripſiſti,& occulta myſteria & miracula quæ hominibus ignora ſunt, in mirabilibus tuis feciſti.Tu enim per clauem nubiũ aquas effudiſti, & per circunciſionem baptiſmum Abrahæ oſtendiſti, cuius vnctionem per Moyſen ſanctificâſti,quem filia Pharaonis de aquis ſumptum ſeruauit. Filia Pharaonis Eccleſiam ſignificat,quæ ex gentilibus idola colentibus ad Deum per ablutionem baptiſmi,& vnctionem Spiritusſancti (cui maximè aqua pertinet) ad Deum conuerſa eſt. Futura miracula in Moyſe præuidiſti,qui per igneam columnam in nocte Iſraeliticũ populum duxit,& mare rubrum diuiſit, per cuius ſignificationẽ diabolus cum omnibus ſequacibus ſuis ſubmerſus eſt. Virga Exo. 14.
verò qua aquas diuiſas,confluere fecit, legalem correctionẽ, qua plenum numerum primùm conſtituit,ſupplebit per filiũ ſuum. Eccleſia nanque per incendium vitiorum multas perſecutiones patitur, ſicut etiàm Iſrael in eremo multas perturbationes,contra Deum murmurans,pertulit.Moyſi, qui ru- Exo. 3.
bum non ardentem ardere vidit, Iſraeliticum populum ſaluandum nunciâſti,qui ignis ſignauit virginem per Spiritumſanctum abſque omni commixtione viri filium tuum genituram,per quem populum Iſraeliticum in aquis ſanctificâſti, quem in Abraham plantâſti. Tu etiàm Moyſi diligentiſſimo

amico

Exo. 34. amico tuo dorſum tuum oſtendiſti, faciem tuam videre deſideranti, per quod oſtenditur, à viuenti homine æternitatem tuam in hac terra videri non poſſe, niſì quantùm in fide cognoſcitur. Ipſe enim ſecreta miracula tua ampliùs humano ſenſu ſuſcepit, quàm cæteri homines, vndè etiàm exterritus & Deut. 34. excuſſus eſt, & homines latet quid de corpore ipſius feceris.

O ſancta Diuinitas, laus tibi in omnibus operibus, quæ in his tribus columnis operatus es, & de omnibus miraculis quæ ad nouiſſimum hominem operaberis, quia per Spiritum ſanctum in his tribus viris omnes cæteri prophetæ pennati ſunt, & cũ ipſis volant. Nunc obſerua magnos & paruos, qui de Spiritu tuo ſcripſerunt, & me puſillam quę de ſpiramine Spiritûs tui, cum iſta ſcriptura laboraui. Ioſue volantes pennas Moyſis fecit, quia ab ipſo pennatus fuit. Abraham etiàm poſt Noe Geneſ. 17. Spiritu ſancto inſpiratus, nouã legem, ſcilicet circuncisioné, protulit, & omnis philoſophia prophetarum ab ipſo ſolo exorta eſt & generata. Deus etiàm cùm cælum & terram creauit, Gene. 1. cælum cum cęleſtibus ſignis ornauit, & terram cum herbis & beſtijs, & tandèm hominem creauit, inſignitum omni creatura, & intelligibilem omni ſcientia. Omnia miracula quę ante IESVM fuerunt, ſcilicet per ſignum circunciſionis, & om̃is prophetia prophetarum, in ipſo omnia completa ſunt & cõſtiterunt, quia in aliena natura nouus homo in mundum venit. Deus enim miſit eum in terram inaratã, & in terram aratro non euerſam, in qua ipſe nobiliſſim⁹ flos creuit, & dulciſſimum odorem præbuit vniuerſo mundo, ſicut & nobiles flores in inarata terra creſcunt. In floriditate nanque ſua, nouus mundus proceſſit in ſimilitudine, ſicut Deus Adæ dixit, Cre- Gen. 1. ſcite & multiplicamini, & replete terram. Sed quia germen illud perijt per deceptionem antiqui ſerpentis, ità quòd in pri- Gene. 3. mo ortu non proceſſit, poſteà filius Dei mortem primi hominis

nis ſuffocauit,& magnos botros in noua vinea plãtauit, qui optimum vinum dederunt,ex quo om̃es cum magno gaudio inebriati ſunt. Vinea verò iſta fidem,quæ ex verbo, ſcilicet filio Dei,emanauit,deſignat,cuius proceſſionem totus mundus enarrare non poſſet. Botrorum autem optimum vinum ſuam dulciſſimã doctrinã ſignificat, qua homines in parabolis docebat,quia Diuina myſteria, generi per conſilium ſerpentis obnubilato,videnda non ſunt,niſi vt facies hominis in ſpeculo,in quo tamen non eſt,reſplendet. Quomodò enim poſſet vita à mortali homine videri? Ipſe enim obſcura verba hominibus loquutus eſt, ſcilicet parabolas, quia in peccatis concepti,verba vitæ aliter capere non poſſent. Filius enim Dei,qui Diuina vita eſt,in mundum venit,qui tabernaculum eſt hominis,noxiali pomo decepti,quatenùs eum ad vitam reuocaret verbis doctrinæ ſuæ, quem in humana ſpecie, quæ deitatem ſuam texerat, videbat. Fons viuus, cuius Diuinitatem nullus intueri poteſt, Deus omnipotens eſt, qui in præſcientia ſua prædeſtinauerat incarnandum filium ſuũ ex homine, quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauerat, quatenùs per ipſius ſanctã humanitatẽ, homo perditus, liberaretur ab æterna morte,qui nullo modo aliter liberari potuit. Filius nanq; Dei,vnica vita abſque principio & fine exiſtens,mortalem hominem ad vitam ſuſcitauit,à morte ęterna reſuſcitauit,quem in duabus naturis creauit de materia terræ,vndè peccata ſentit: & ex anima, per quam Deum omnipotentem & inuiſibilem intelligit,qui altiſſimus mons eſt,ad quem nulla creatura aſſcendere valet: vndè decebat eum, à quo omnis creatura deſcendit & mouetur, vt per filium ſuum, DEVM ſcilicet & hominem,liberaret,quatenùs vacuus angelicus chorus per eum ſuppleretur. DEVS enim cælum & terram conſtituit, quemadmodùm Moyſes inſpira-

tus Spirituſancto, ſcripſit, quem in fictili vaſe, ſcilicet homine, deſignauit, quem diabolus ad plenum, vt in miraculis Dei cõſtitutus eſt, non cognouit: ſicut etiàm Diuinitas in humanitate latens & occultata eſt: quia ſi perfectè eum cognouiſſet, nunquàm ad decipiendum eum aggreſſus fuiſſet. Diabolus verò etiàm ante ruinam ſuam eum nunquàm vidit, quoniam à charitate cæcus fuit, quæ in omnibus rebus velut anima & oculus exiſtit, IESVM CHRISTVM ſinè peccato eſſe ſenſit, & in eo opera, quibus homo ad vitam reſurgit: ideò recolens primum hominem à ſe deceptum, eum etiàm tentatum, decipere volẽs, & vt memoria ipſius deleretur, om̃i modo quanuis incaſſum, laborat. Sed cùm ſuperatum ſe vidiſſet, omninò perterritus erubeſcebat, & in malitia ſua confidit, vt per antichriſtum, Deum in opere ſuo confundere debeat, quia ex forti vena primæ deceptionis ſuæ confidit in terreno homine perficere, quod in inextinguibili lumine non valuit, quod Iob, qui in dolore ſuo perfuſus eſt, in prophetia
Iob 40. ſua intellexit. Quandò? Diabolus fidutiam habet, quòd Iordanis in os ſuum fluat. Ipſe enim maximè odit ignem & aquã, quoniam omnes creaturę per ipſa firmatę & animatę ſunt. Ignis verò in quo ſecundùm impietatem ſuam ardet, omni lumine caret, ipſe etiàm omnis viriditatis expers eſt, & ideò cum luce & humiditate partem non habet. Nobiliſſimus flos virgæ Aaron, per ignem florem, & in aqua mortem ſuffocauit, de quo floriditas omnis ſanctitatis, & cæleſtium virtutum exorta eſt, quoniam ipſe nobile germen ab alto monte deſcendit, vndè etiàm nouum genus plãtauit. Prophetica nanq; verba, quæ in vmbra famæ ſonuerunt, tunc formata apparuerunt, quandò filius Dei de alto monte, ſcilicet de corde patris ſui, deſcendit ad induendam humanitatem, qui omnem vocauit creaturam, & eam in cauernam naturæ ſuæ conſti-

tuit,

tuit, quoniam ipſum decebat, vt noua ſanctitate cæleſtium virtutum homines indueret, noua humanitate indutus. Illi enim, ſecundùm Iohannem, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt: quia ſicut Maria virgo contra naturam DEVM & hominem genuit, ità iſti contra naturam carnalis concupiſcentiæ, ipſum imitando, in nouam ſanctitatem nati ſunt, quam ex ipſo ſuxerunt. Filius nanque Dei, ſicut bonus & ſapiens hortulanus, bonas & ad cuiuſque vtilitatem perfectas colligit herbas, bonos & perfectos homines, qui quaſi bona herba in bona terra fuerunt, quoniam eum audiêrunt, & ſermones ipſius audientes, præceptis ipſius libenter obtemperabant in fide & charitate. Ipſe quoquè duodecim apoſtolos elegit, ad numerum duodecim Prophetarum, qui vmbra fuerunt Chriſti, ſicut vmbra corpus oſtendit.

Ioann. 1.

Mat. 10.

FINIS HVIVS EPIſtolæ.

PHILIPPVS DECANVS CVM CAETERIS CLERICIS, HILDEGARDI.

PHIlippus Decanus, licèt indigniſs. maioris Eccleſiæ, totusq́; clerus Colonieñ Hildegardi de S. Roberto in* Pin-
Leu.10. guia, venerãdæ ſectatrici partis illius, quam elegit Maria, & nunc per munditiam cordis, & in futuro facie ad faciẽ DEVM intueri. Quia maternam pietatem veſtram diligimus, vobis notum facimus, quia poſtquàm à nobis receſſiſtis, cùm per Diuinam iuſſionem ad nos veniſſetis, vbì verba vitæ, prout Deus vobis inſpirauit, nobis aperuiſtis: in maximã admirationem ducti ſumus pro eo, quòd Deus in tam fragili vaſe, in tam fragili ſexu hominis, tanta mira ſecretorum ſuo-
Ioan.3. rum operatur. Sed Spiritus vbì vult ſpirat. Nam ex multis rerũ indicijs manifeſtum fit, quòd in pręcordijs veſtris placitã ſibi ſedem elegerit: meritò & nos in admirationibus noſtris ad vos quaſi ad viuum Dei templum, preces oblaturi, accedimus, & de corde veſtro, ſicutì reuerà de Dei oraculo, veritatis reſponſa flagitamus. Beatitudinem enim veſtram quàm intimè exoramus, vt deſideria noſtra, quoniam ad curam animarum reſpiciunt, intentiùs Deo commendetis: & ſi quid adhærens Deo, animus veſter in vera viſione (vt aſſolet) de nobis perui-

derit,

derit,literis nobis intimare curetis. Rogamus etiàm,vt ea quæ viua voce nobis priùs dixiſtis,literis quoquè commẽdetis, & nobis tranſmittatis:quia dum carnalibus concupiſcentijs deditı ſumus,ſpiritalia quę nec videmus,nec audimus,facilè per negligentiam obliuioni tradimus. Valeat dilectio veſtra,& ille vobiſcum ſit,quem toto corde diligitis.

AD CLERVM COLONIENſem, Hildegardis.

QVi erat,& qui eſt,& qui venturus eſt,paſtoribus Eccleſię dicit: Qui erat,creaturã facturus erat, ità ꝙ teſtimoniũ teſtimoniorũ in ſemetipſo habuit,oĩa opera ſua faciendo ſicut voluit. Qui enim omnem creaturam fecit,& teſtimonium teſtimoniorũ in omnibus operibus ſuis oſtendebat,ità quòd quodque formatum apparuit. Qui venturus eſt,omnia purgabit,& ea denuò in alia viciſſitudine iterabit,& omnes rugas temporum & temporũ abſterget,& omnia ſimul noua eſſe faciet,& poſt purgationẽ ignota oſtendet. De ipſo ventus fluit,ſic dicens: Firmamentum cũ omnibus ornamentis ſuis poſui,nulla vi carẽs. Oculos enim quaſi ad videndum,aures ad audiendum, nares ad odorandũ, os ad guſtandum habet. Nam ſol,quaſi lumen oculorum eius eſt:ventus autem,auditus aurium eius:aër,odoramentũ eius: ros,guſtus eius,viriditatem ſudando,vt oris ſpiramen. Luna quoquè tempora temporum dat, & ſic ſcientiam hominibus oſtendit. Stellæ autem,velut rationales ſint,ſic ſunt,quia circulum habent: ſic etiàm rationalitas multa compræhendit. Quatuor etiàm angulos orbis,igne,nube & aqua firmaui, & ſic omnes terminos terræ, quaſi venas coniunxi. Lapides de

Apo.1.

igne & aqua ſicut oſſa fudi, & terram de humiditate & viriditate quaſi medullam cōſtitui. Abyſſos velut qui corpus ſuſtinent, in fixura extendi, circa quas ſudantes aquæ ſunt ad fermamentum eorum. Sic omnia ſunt conſtituta, nè deficiant. Si nubes ignem & aquam non haberent, velut cinis eſſent. Sed ſi cætera luminaria lumen de igne ſolis non haberēt, per aquas non fulminarent, ſed cæca eſſent. Hæc ſunt etiàm inſtrumēta ædificationis hominis, quæ tangendo, oſculando, & amplectendo compræhendit, cùm ei miniſtrant, tangendo ſcilicet quia nobilem poteſtatem cum eis exercet. Sed & homo nullam licentiam poſſibilitatis haberet, ſi iſta cum eo non eſſent. Sic iſta cū homine, & homo cum illis. O filioli, qui greges meos paſcitis, de inſtāti inſtructione dominicę vocis, quarè non erubeſcitis, cùm cæterę creaturę pręcepta, quę de magiſtro ſuo habent, non deſerūt, ſed perficiunt? Vos conſtitui ſicut ſolē & cętera luminaria, vt luceretis hominibus per ignē doctrinæ in bono rumore fulgurantes, & ardentia corda parantes. Hoc in prima ætate mundi feci. Abel enim elegi, Noe dilexi, Abrahæ me oſtendi, Moſen ad inſtitutionem legis imbui. prophetas etiàm amantiſſimos amicos meos cōſtitui. Vndè etiàm Abel ſacerdotium præfigurabat, Noe principale magiſterium, Abraham renouationem ſobolis, Moyſes regale nuncium, & prophetæ plurima magiſteria. Sed & Abel vt luna ſplendorem ſuum effudit, quia tempus obedientiæ in munere ſuo oſtendit, & Noe velut ſol, quoniam ædificium obedientiæ perfecit, ac Abraham vt fortes planetæ, cùm circunciſionem attulit, & Moyſes vt cæterę ſtellæ cùm per obedientiam legem collegit. Et prophetæ vt quatuor anguli, qui terminos terræ ſuſtinent, in fortitudine perſtiterunt, cùm orbē terræ propter inſtantem iniquitatem corripuerunt, per quod etiàm Deum oſtenderunt. Linguæ autem veſtræ, mutæ ſunt

Gen. 4. 6. 12. &c. Exo. 3. 4. 5. &c.

in

in clamante voce canẽtis tubæ Domini, ſanctam rationalitatem non amantes, quæ ſicut ſtellæ circulum circuitionis habent. Tuba Domini, iuſtitia Dei eſt, quam magno ſtudio ruminare deberetis, eam quoquè in officiali lege & obedientia cum ſancta diſcretione per conuenientia tempora iterando populis, & non in nimietate eã illis incutiendo. Sed hoc propter pecuniam propriæ voluntatis veſtræ nõ facitis. Vndè firmamento iuſtitiæ DEI, luminaria in linguis veſtris deſunt, velut cùm ſtellæ non lucent. Vos enim nox ſpirans tenebras eſtis, & quaſi populus non laborans, nec propter tædium in luce ambulans: ſed velut nudus coluber in cauerna ſe abſcondit, ſic vos fœditatem in vilitate pecorum intratis. He He, vos eſſe deberetis, vt dictum eſt, mons Sion, in quo habitâſti in eo. Pſal. 73.
Nam benedicti & ſignati in cæleſtibus perſonis habitaculũ eſſe debuiſtis, myrrham & thus redolens, in quo etiàm Deus habitaret. Sed hoc non eſtis, ſed veloces eſtis ad laſciuiam puerilis ætatis, illorum ſcilicet, qui de ſalute ſua loqui neſciunt. Sed & quidquid caro veſtra poſtulat, facitis: quopropter de vobis dicitur, Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem, Pſal. 83.
quanta malignatus eſt inimicus in ſancto? Nam poteſtas Dei, colla veſtra iniquitate erecta deprimet, & ad nihilum deducet quæ velut in ſufflatu venti inflata ſunt, cùm Deum non cognoſcitis, nec hominem timetis, nec iniquitatem contemnitis, vt eam in vobis finiri deſideretis. Deum non videtis, nec videre deſideratis. Sed opera veſtra inſpicitis, & ea in vobiſmetipſis iudicatis, ſcilicet faciendo & relinquẽdo ſecundùm placitum veſtrum quæ vultis. O quanta malignitas & inimicitia hæc eſt, quòd homo nec propter Deum, nec propter hominẽ, in bona conuerſatione eſſe vult: ſed quòd honorem appetit ſinè labore, & præmia æterna ſinè abſtinentia, & quòd tantùm velut in ſanctitate inaniter cupit perſonare, ſecundùm

quod

quod Diabolus dicit, Bonus & ſanctus ſum. Sed non hoc. Quid nunc dicitis? Oculos non habetis, cùm opera veſtra in igne ſpiritusſancti hominibus nō lucent, & cùm bona exempla eis non ruminatis. Vndè firmamentum iuſtitiæ DEI in vobis luce ſolis caret, & aër ædificio virtutum in odore ſuauitatis. Vndè dictum eſt: Oculos habent, & non videbūt: nares habent, & non odorabunt. Nam ſicut venti flant, & omnem orbem perfundunt: ſic vos, veloces venti cum doctrina veſtra omni populo eſſe deberetis, ſicut dictū eſt: In omnē terram exiuit ſonus eorum. Vos autem in vnaquaq; volante ſeculari fama iam laſſati eſtis, ità quòd interdùm milites, interdùm ſerui, interdùm ludificantes cantores exiſtitis, ſed per fabuloſa officia veſtra muſcas in æſtate aliquandò abigitis. Per doctrinam quoquè ſcripturarū, quæ de igne ſpiritusſancti compoſitæ ſunt, anguli fortitudinis Eccleſiæ eſſe deberetis eā ſuſtētantes, ſicut anguli qui terminos terrę ſuſtinent: ſed proſtrati eſtis, nec Eccleſiam tenetis: ſed in cauernā voluptatis veſtræ fugitis, & propter tædium diuitiarum & auaritiæ & cæterarum vanitatum, ſubditos veſtros non imbuitis, nec eos doctrinam à vobis quærere permittitis, dicentes: Omnia elaborare non poſſumus. Nam eos pèr præcepta legis perfundere & conſtringere debetis, nè vllus eorum per fragilitatem, quaſi per medullam faceret quod ſibi eligit, velut terra humiditate & viriditate perfuſa & cōſtricta eſt, nè cinis ſit. Propter vos autem ſparguntur, & in vnaquaq; cauſa, quæ volunt, faciunt. Vos enim ignea columna eſſe deberetis, illos perdendo, & eis clamando, ac bona opera coram illis exercendo, ac dicendo: Appræhendite diſciplinam, nè quandò iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. Nam lex Domini per amorem & timorem plena diſciplinę eſt. & ideò quęq; natura, ſcilicet & ſpiritualis & carnalis, in recto itinere exercēda eſt, nè creator

Pſal.113. Pſal.18. Pſal.2.

tor

tor minetur eis quos creauit, quòd vias ſuas non ambulant. Sed voſmetipſos ſeducitis, dicentes: Nec hos, nec illos ſuperare poſſumus. Quòd ſi per rationalitatem, quam Deus vobis dedit, ſubditos veſtros veraciter corriperetis, veritati reſiſtere non auderent: ſed quantùm poſſint, verba veſtra vera eſſe dicerent. Sed quia hoc nō facitis, de vobis dicitur: Turbati ſunt, Pſal.106.
& moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Hoc tale eſt. Nā turbati eſtis, cùm nullum reſpectum boni in vobis habetis, ità vt benè ambuletis. Moti quoquè in magna dubitatione eſtis, cùm opera veſtra rectum reſpōſum vobis non dant, velut neſciatis quid faciatis, ſicut ebrius, quādò illa quę optio mentis ac propriæ voluntatis veſtræ deſiderat, facitis. Vndè omnis ſapientia, quam de ſcripturis & de doctrina vbiquè quæſiuiſtis, in puteo propriæ voluntatis veſtræ deuorata eſt, cùm hoc quod tangendo & ſapiendo ſciebatis, in plenis deſiderijs veſtris & in pinguedine carnis veſtrę faciebatis, velut infans qui in infantia ſua neſcit quid faciat. Quapropter ad vos dicitur: Mores moralitatis ad populum in recta ſtabilitate non habetis, ſicut pedes reliquum corpus ſuſtinent, quatenùs ſcripturis eos circundetis, velut abyſſus aquis ſudantibus vndiquè circundata eſt. Sed dicitis: Tēpus loquendi modò non habemus, nec etiàm nunc tempus eſt vt audiamur, ſicut in prioribus temporibus erat. Sed dico: Abel autem
propter odium fratris ſui, munus ſuum non deſeruit, ſed illud Gene.4.
Domino ſuo obtulit, quanuìs ob hoc occiſus ſit. Noë in tremendo iudicio ſuffocationis creaturarum anguſtiatus, mul- Gen.6.
tum ſudorē emiſit, cùm mortem valdè timuit, vbi iuſſa DEI compleuit. Quod quidam alij homines dixerunt: Quid facit ſtultus iſte? Venti enim deſtruent eum, ſed tamen ipſe impleuit, quod Dominus ei præceperat. Abraham verò nec propter Gen.22.
dolorem cordis ſui, nec propter amorem filij ſui ceſſauit, quin

eundem filium ſuum in holocauſtum ligaret. Moyſes quoquè legiſlator, dura & aſpera à fratribus & vicinis ſuis in multo dolore paſſus eſt, ſed tamen legem non dereliquit, ſed pręcepta Dei adimpleuit. Prophetæ etiàm de infidelibus hominibus, velut de rapidis lupis occiſi ſunt, cùm Deo obediant. Vos autē in modico & congruente tempore iniurias à populis ſufferre non vultis: & ideò innumerabilia & infinita tormēta in ſinum veſtrum colligitis. Dies eſſe deberetis, ſed nox eſtis. Nā aut nox, aut dies eritis. Eligite vobis in qua parte ſtare velitis. Vos autem in firmamento iuſtitiæ & legis Dei, Sol & luna & ſtellæ nō eſtis, ſed tenebræ, in quibus velut mortui iacetis. Vndè iterùm dico: Deus opera quę per ſemetipſum fecit, illis qui ab eo declinant, proponit: quoniā manipulos bonorū fructuum rectè non ferūt. Quēadmodùm pater opera probitatis ſuę filijs ſuis, cùm ab eo recedūt, oſtēdit, vbì in honeſtate nō benè ambulant. Adā in beneuolentia pceptū Dei ſuſcepit, ſed cōſilio diaboli defecit: vndè claritatē quā velut lucidū veſtimentū habuit, & patrimonium paradiſi perdidit, ac lamētabile veſtimentū induit, & in tenebroſa terra iuit. Tunc Diabolus gaudebat, quia hominem deriſerat, & hoc fecit vſq; ad Abel, qui bona voluntate Deum dilexit, & voluntatem illā bono opere oſtendit. Ibì autem diabolus Cain inuaſit, ità quòd fratrem ſuum occidit. Hæc Deus in mente ſua velut in libro ſcripta inſpexit, quæ myſteria diabolus neſciuit, quoniam in S. Diuinitate tantùm apparuerunt. Quia virginitas in Abel ſacerdotali officio & ſanguine martyrij ornata eſt, quod poſteà totum in filio Dei completum eſt. Deindè Deus per Noe in ædificatione arcæ cęleſte fundamentū præfigurauit, vbì nouum mūdum produxit. Tūc nanq; terra nouum ſuccum, ſcilicet vinum dedit, in quo mors & vita eſt, vbì etiàm diabolus filio Noæ perſuaſit, quod propter nuditatē patrem ſuum inhono-

Gen. 4.
Gen. 9.

honoraret. vndè etiàm idem filius eius, de benedictione liber- Geneſ. 17.
tatis denudatus, etiàm ſeruus factus eſt. Poſteà Diuinitas per
circuncisionẽ & veram oſtenſionẽ muros eiuſdẽ fundamenti
in Abrahã demonſtrabat, & etiàm in ſterili muliere. Circũci-
ſio enĩ, cõfuſio ſerpentis & vulnus mortis erat. Prima quoquè
mulier, ſterilis vitę fuit: Eccleſia autẽ, fœta vitis per fidem erat.
Diabolus autem in quibuſdam in genere Abrahę, cum male-
dictione irriſionẽ per homicidiũ & per alia praua opera fecit,
vndè de benedictione Dei ceciderunt. Sed digitus DEI legem
Moyſi ſcripſit, vbì turres prædicti fundamenti in altum pro-
duxit. quapropter idem diabolus ibì peſſimum & ſummũ ma-
lum, quod priùs conſiliatus, hîc manifeſtè oſtendit, cùm in
Baal ſe eſſe Deum dixit. Vndè DEVS filios Iſrael multis pla- 3. Reg. 18.
gis percuſſit. Tunc vnicornis venit, & in ſinu virginis dormi-
uit, quandò verbum Dei caro factum eſt, & cęleſte fundamẽ- Ioan. 1.
tum totum compleuit. Ipſe enim in virginea natura, ſacrificiũ
Abel per ſanguinem martyrij pleniter factus eſt. Antiquus Abel.
quippe ſerpẽs ei inſidiabatur, quia neſciuit quis eſſet, & quo-
niam myſteria illa quæ in mente Dei erant, non cognouit, &
Iudaicum populum hortabatur nè illum in mirabilibus ſuis Matt. 26.
audirent, ſed quòd eum à diſcipulo ſuo venditum caperent.
Quapropter ipſi in diuerſas regiones venditi ſunt, & regio-
nem ſuam perdiderunt. Filius autem DEI Eccleſiã quaſi ar-
cam Noæ ſuper alios altos montes poſuit, quandò per diſci-
pulos ſuos, principes, duces, & reges fidem docuit, vbì eam
quoquè omnibus generibus, ſcilicet iuſtorum, publicanorũ
ac peccatorum impleuit. Ipſe quoquè in Abraham obedienti-
am incepit, cùm incarnatus, patri ſuo vſq; ad mortem obedi- Phil. 2.
uit, & in circunciſione baptiſmum in nomine S. Trinitatis
dedit, cùm diſcipulos ſuos baptizare credentes præcepit. In Matt. 28.
eodem autem baptiſmo ſerpens in confuſione ſuffocatus eſt,

& mors deuicta ac vulnerata eſt, vndè Eccleſia nouam generationem per alienam viam genuit, qua Eua ſterilis vitę fuit. Maria autem maiorem gratiam cõtulit, quàm Eua nocuiſſet. Sed antiquus ſerpens Iudæis ac infidelibus hominibus perſuaſit, vt ſanctos Dei perſequerentur & occiderent. Filius autem Dei vexillum victoriæ in omnibus operibus ſuis obtinuit, & diſcipulis ſuis ſicut Moyſi legem dedit, vt omnes populos docerent, & magiſtros conſtituerent, & Eccleſiam in omnibus ordinibus ſuis ornarent, & hoc perfecerunt per inſpirationẽ ſpiritûs Dei, qui in cordibus eorum veram doctrinam ſcripſit. Et quia verbum Dei incarnatum erat, Deo placuit, quòd oẽs ordines angelorũ, qui per nomina ſua hominibus nota ſunt, in ſpiritali populo ſpiritaliter deſignarentur, velut in presbyteris & Epiſcopis, ac in cæteris huiuſmodi ſpiritalibus ordinibus. Tunc Eccleſia in ſpiritalibus hominibus ſicut aurora apparuit, & ità in virtutibus fulgebat, quoniam in tribulationibus eorum defenſionem quaſi ſcutum, & protectionẽ quaſi loricam habebat. Et ità ſpiritalis populus in magno honore coram Deo & hominibus ſtabat, vſq; ad tyrannum quendam qui Baaliticus cum ſeruitute idolorum eſſe cœpit. Quod ſpiritalis populus videns, primò ſuſpirauit & contremuit. Sed tamen idem ſpiritalis populus deindè ſingularitatem ac ſingularem proprietatem in actibus ſuis inijt, & à pacto quod Deo per Spiritumſanctum promiſerat, declinauit, ac velut Iudæi fecerant, illud poſt illud, & aliud poſt aliud præceptum reliquerunt, & vnuſquiſque ordo legem ſecundùm voluntatem proprietatis ſuæ ſibi poſuit, & de bona conuerſatione & de bona doctrina ſe auerterunt. Tunc etiàm veſte obedientiæ ſicut Adam denudabantur, & ità ſecundùm voluntatem carnis viuere cœperunt. Et illud in tenebroſa terra fecerũt, ſicut etiàm Adam poſt inobedientiam à Deo tenebroſus nominatus

Proprietas

Indebita diſpẽſatio

☞

tus eſt, & Eccleſię ſicut priùs fulſerant, non lucebant, ſed vel-
ut obnubilatio turbinis facti ſunt, quemadmodùm etiàm
Adam propter inobedientiam obnubilatus, nec ſibi nec alijs
lucebat, ſed in tenebris incedebant. Et de viuente luce iterùm
audiui vocem, dicentem: O filia Sion, corona honoris capi-
tis filiorum tuorum inclinabitur, & pallium dilatationis di-
uitiarum eorum imminuetur, quia tempus illud non cogno-
uerunt, quod eis ad videndum, & ſubditos ſuos ad docendum
dedi. Nam & vbera, ad nutriendum paruulos meos, eis data
ſunt, quæ ipſis recto & conguenti tempore non præbent: vn-
dè ſicut peregrini filij fame multi defecerunt, quoniam recta
doctrina non reficiuntur. Vocem quoquè habent, & non cla-
mant: opera etiàm eis data ſunt, & non operantur. Gloriam
abſque merito habere volunt, & meritum abſque opere. Qui
gloriam cum Deo habere vult, proprietatem ſuam abſcindat:
& qui meritum apud DEVM habere deſiderat, opus ad hoc
exhibeat. Sed quia hoc non facitis, ad ſeruos ſeruorum com-
putabimini, & ipſi iudices veſtri erunt, ac libertas veſtra à vo- Luc. 11.
bis declinabit, ſicut benedictio à Chanaan. Iſta flagella præ- Gene. 9.
current, alia autem & poſteà alia & peiora venient. Nam &
Diabolus in ſemetipſo de vobis dicit: Eſcas epulantium & cõ-
uiuia omnis voluntatis meæ in iſtis inuenio. Sed & oculi &
aures & vẽter meus ac venæ meę de ſpumis iſtorũ plenę ſunt,
& vbera mea plena ſunt de vitijs eorum. Nam ipſi in Deo ſuo
laborare nolũt, ſed eum quaſi nihilum computant. Quapro-
pter incipiam cum eis militare, & iocando cũ eis ludere, quo-
niam eos in agro Domini ſui laborantes non inuenio, quem-
admodùm Dominus eorum ipſis iubet. Sed ô vos diſcipuli &
ſubditi mei, multò plùs eis coram populo diſciplinati eſtis. Et
quia ſic eſtis, erigite vos ſuper illos, & omnes diuitias & omnẽ
honorem eorum abſtrahite ab eis, & omninò deſpoliãtes ſuf-

ſocate eos. Hæc Diabolus in ſemetipſo dicit, quæ etiã in multis iudicio Dei complebit. Sed ego qui ſum, audientibus me dico: In tempore illo cùm iſtud fiet, per quendam errantem populum peiorem erranti populo, qui nunc eſt, ſuper vos præuaricantes prȩuaricatores ruina cadet, qui vbiquè vos perſequetur, & qui opera veſtra non celabit. Sed ea denudabit, & de vobis dicet: Iſti ſcorpiones ſunt in moribus, & in operibus ſerpentinis. Sed & quaſi in zelo Domini de vobis impræcabitur: Iter impiorum peribit. Nam vias veſtras in iniquitate veſtra ad internecionem deridebunt & ſubſannabũt. Sed populus iſte qui hoc faciet, à diabolo ſeductus & miſſus, pallida facie veniet, & velut in omni ſanctitate ſe componet, & maioribus ſecularibus principibus ſe coniunget. Quibus & de vobis ſic dicent: Quarè hos vobiſcum tenetis, & quarè eos vobiſcum eſſe patimini, qui totam terram immaculoſis iniquitatibus ſuis polluunt? Iſti enim ebrij & luxurioſi ſunt, & niſì eos à vobis abijciatis, tota Eccleſia deſtruetur. Populus autem qui hoc de vobis dicet, vilibus cappis qui alieni coloris ſunt, induitur: & recto modo tonſus incedet, atque omnibus moribus ſuis placidum & quietum ſe hominibus oſtendet. Auaritiam quoquè non amat, pecuniam non habet, & in occultis ſuis tantam abſtinentiam imitatur, vt vix vllus ex eis reprȩhẽdi poſſit. Diabolus enim cum hominibus iſtis eſt, latitante fulgore eis ſe oſtendens, velut in conſtitutione mundi ante ruinã fuit, & prophetis aliquantùm ſe ſimilem facit, & dicit: Populus iocando loquitur, ſcilicet quòd velut rabida & immunda animalia & velut muſcas ei me oſtendam. Sed nunc in pennas ventorum fulgurante tonitru volare volo, & eos omnibus modis ità infundere, vt omnem voluntatem meam perficiant. Et ſic in hominibus iſtis ſigna mea omnipotenti Deo aſſimilabo. Nã diabolus per aërios ſpiritus hæc operatur, qui propter

Pſal, 1.

pter praua opera hominum in ſufflatu venti & aëris, ità innumerabiles circa quoſdam diſcurrunt, ſicut muſcæ & culices, qui in ardore caloris homines præ multitudine ſua infeſtant. Ipſe enim homines iſtos hoc modo infundit, quòd caſtitatem eis non aufert, & quòd eos caſtos eſſe permittit, cùm caſtitatē habere voluerint. Et interìm intra ſe dicit: Caſtitatem & continentiam Deus diligit, quod & ego in iſtis imitabor. Et ſic idem antiquus hoſtis per aërios ſpiritus eoſdem homines inflat, ità quòd ab inceſtis peccatis ſe abſtinent. Vndè & mulieres non amant, ſed eas fugiunt. Et ità quaſi in omni ſanctitate hominibus ſe oſtendent, & illudentibus verbis dicent: Cæteri homines qui ante nos caſtitatem habere volebant, vt aſſum piſcem ſe torrebant. Nulla autem pollutio carnis & concupiſcētiæ nos tangere audet, quia ſancti ſumus, & Spirituſancto infundimur. Vah, errantes homines qui nunc ſunt, neſciunt quid faciũt, ſicut & illi qui nos in prioribus temporibus præceſſerunt. Nam alij homines qui eo tempore in fide catholica errant, iſtos homines timebunt, & ſeruili officio eis miniſtrabunt, & quantùm poterunt, eos imitabunt̃. Tunc de conuerſatione iſtorum populus gaudebit, quoniam ei iuſti videbuntur. Cumq; iſti curſum erroris ſui hoc modo confirmauerint, doctores & ſapientes, qui tunc in fide catholica fideliter perſiſtunt, vndiquè perſequentes expellent. Sed tamen nõ om̃es, quoniam aliqui eorum fortiſſimi milites in iuſtitia Dei ſunt. Sed & quaſdam congregationes ſanctorum, quorum conuerſatio ſancta eſt, mouere non poterunt. Quapropter principibus & diuitibus conſilium dant, vt eoſdem Eccleſiæ magiſtros & reliquos ſpiritales hoīes, ſ. ſubditos eorũ, fuſtibus & lignis coërceāt, quatenùs iuſti fiāt. Et in aliquibus hoc cõplebitur, vndè alij territi cõtremiſcēt. Sed tñ ſecũdùm quod Helię dictũ eſt, multi iuſtorũ ſeruabuntur, qui in erroribus iſtis

De qbuſdam ſeductoribus ſub ſpecie religióis.

3. Reg. 19.

non

non confundentur, nec à fundamentis ſuis deſtruentur. Seductores autem iſti, in inceptione ſeductionis erroris ſui mulieribus dicēt: Non licet vos nobiſcum eſſe. Sed quoniam rectos doctores non habetis, nobis obedite: & quæcunque vobis dicimus & præcipimus, facite, & ſaluæ eritis. Et hoc modo fœminas ſibi contrahunt, & eas in errorem ſuum ducunt. Vndè etiàm ipſi in ſuperbia tumentis animi dicent: Omnes ſuperauimus. Qui tamen poſteà eiſdem fœminis ſecreta luxuria cōmiſcebuntur, & ità iniquitas & ſecta eorum denudabitur. Sed qui ſum, dico: Sic iniquitas, quæ iniquitatem purgabit, ſuper

Pſal. 17. vos ducetur, ſicut ſcriptum eſt: Poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aëris. Nam Deus praua opera veſtra quæ abſque luce ſunt, conſtituet ad vindictam, in qua ſe à vobis ſinè adiutorio abſcondet, quoniam æquitatem ſuper vos non clamabit, ſed vos iniquos eſſe dicet. De cælo enim lex & doctrina eſt, in quibus apud vos habitare debuit, ſi ornamentum virtutum & redolens hortus deliciarum eſſetis. Sed malum exemplum in mentibus hominum eſtis, cùm riuulus bonæ famæ de vobis non fluit, ità quòd nec cibum ad veſcendum, nec veſtimētum ad operiendum in recta reſpectione animę habetis, ſed iniuſta opera abſque bono ſcientiæ. Vndè honor veſter peribit, & corona de capite veſtro cadet. Sic iuſtitia iuſtitiam prouocat, &

Matth. 13. quærit ac perſcrutatur omnia ſcandala, vt ſcriptum eſt. Verū-

Matth. 18. tamen vę homini per quem ſcandalum venit. Nam oportet vt per tribulationes & contritiones praua hominum opera purgentur. Sed tamen multæ ærumnæ & illis accumulantur, qui alijs in impietate ſua miſerias inferunt. Infideles autem homines iſti, & à diabolo ſeducti, ſcopa veſtra erunt ad caſtigandū vos, quia Deum purè non colitis, & tam diù vos cruciabunt, quouſquè iuſtitię & iniquitates veſtræ purgentur. Iſti autem dece-

deceptores illi non ſunt, qui ante nouiſs. diem venturi ſunt, Eſa. 14.
cùm diabolus in altũ volauerit, vt ipſe in initio contra Dñm
pugnare cœpit, ſed præcurrens germen illorum ſunt, Sed tamen
poſtquàm ipſi in peruerſitatibus Baal & in alijs prauis
operibus ſic inuenti fuerint, principes & alij maiores in eos irruent,
& velut rabidos lupos eos occident, vbicunquè eos inuenerint.
Tunc aurora iuſtitiæ & nouiſſima veſtra, meliora
prioribus erunt, ac de omnibus præteritis timorati eritis, &
quaſi puriſſimũ aurum fulgebitis, & ſic per lõga tempora permanebitis.
Nam prima aurora iuſtitiæ in ſpiritali populo tũc
ſurget, vt primitùs cum paruo numero incepit, nec ipſi multas
facultates, nec multas diuitias habere volunt, quæ animas
occidunt, ſed dicent: Vę nobis, quia peccauimus. Ipſe nanque Thre. 5.
de præterito timore & de præterito dolore ad iuſtitiam confortabuntur,
quemadmodùm angeli in caſu diaboli in amore
Dei confortati ſunt. Et ſic poſteà in humilitate viuent, nec Eſa. 14.
prauis operibus Deo rebellare cupient. Sed à multis erroribus
purgati, deincèps in fortiſſima vi rectitudinis perſiſtent. Sed
& multi homines mirabuntur, quòd tã valida tempeſtas hanc
lenitatem pręcucurrit. Homines autem qui ante tempora iſta
fuerunt, multas & validas pugnas contra voluntates ſuas in
periculis corporis ſui ſuſtinuerunt, de quibus eripere ſe non
poterunt, Sed in temporibus veſtris multa inquieta bella propter
proprias voluntates & incompoſitos mores veſtros habebitis,
in quibus multas tribulationes patiemini. Quicunque Conſiliũ cõtra mala prędicta.
ergò pericula iſta effugere voluerit, caueat nè in oculis ſuis ità
contenebretur, quòd in retibus ęrumnarum iſtarum occupetur.
Sed vnuſquiſque, quantùm præualebit, per bona opera
& reſpectum bonæ voluntatis illa fugiat, & Deus auxilium
ſuum illi prouidebit. Diabolus nanque in opere Dei errorem
fecit, etiàm in primo homine incepit, vndè ſpumas vitiorum

ſuorum ſuper ſpiritalem populum expuit. Sed Deus populum
quem ſibi elegit, in rectitudine ſeruabit, ſicut etiàm quoſdam
homines contra nouiſſimum errorem ſeruat, vt illum diſſipet.
Sic diabolus in cauda erroris huius confundetur, & ſicut co-
luber in cauernam abſcondetur, velut etiàm in nouiſſimo er-
Gene.1. rore in confuſionem ducetur. Deus enim opera ſua in Adam
& 2. pręuidit, quem de limo carnem & oſſa fecit, cùm ei ſpiraculũ
vitæ inſpirauit. Sed cùm Spiritus hominis ab eo receſſerit, ca-
ro & oſſa in cinerem vertuntur, ſed tamē in nouiſſimo die re-
nouabuntur. Quòd autem Deus hominem de limo fecit, vete-
rem legem homini dandam præfigurauit. Sed quòd idem
homo de limo in carnem & oſſa ſurrexit, ſpiritalem legē oſtē-
dit, quam filius Dei per ſemetipſum attulit. Qui etiàm poſt ci-
nerem renouabitur, & æternus erit, in quo demonſtrabitur,
quòd cum pręmio ſanctitatis & cum pręmio veræ legis faciē
creatoris videbit, quia ibì verè renouatus eſt, quemadmodùm
Pſal.103. ſcriptum eſt: Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & reno-
uabis faciem terrę. Quod dicitur, Tu Deus qui omnia creâſti,
Explicatio emittes in nouiſſima tuba ſpiritum tuũ, & homines in immor-
eiuſdem talitate ſurgent: ità quodammodò non creſcent, nec areſcent,
loci. nec in vllam putredinem cõuertentur. Et ſic renouabis faciem
terræ, ſcilicet quòd corpus & anima in vna ſcientia & in vna
perfectione erunt. Hoc Deus faciet, in quo nec initium nec fi-
nis eſt. Nam Deus in nullum reſpicit, quia ipſe totus eſt. Et
ipſe hominem creauit, in quem opus & miracula ſua poſuit,
& cui quodq; ædificium virtutum commiſit, per quod, in id-
1. Ioan. 4. ipſum tendat, quod idem Deus valdè amat, quia charitas eſt.
Nam Deus facit velut aliquis paterfamiliâs, qui familiari ami-
co ſuo bona ſua committit, quatenùs pro bono opere eorun-
dem bonorum mercedem ab ipſo recipiat. Nunc ô filij Dei, au-
Apo.2. dite & intelligite, quid Spiritus Dei ad vos dicat, nè de meliore
parte

parte pereatis. Et ſpiritus Dei vobis dicit: In ciuitatem & regionem veſtram adſpicite, & nefarios homines à vobis abijcite, qui peiores Iudæis ſunt, & ſimiles Saducæis. Nam quandiù vobiſcum manſerint, tuti eſſe non poteritis. Eccleſia enim ſuper iniquitate iſtorum plorat & plangit, quoniam filij eius in iniquitate iſtorum contaminantur. Quapropter ipſos à vobis proijcite, nè congregatio & ciuitas veſtra pereat, quoniam in Colonia pridèm conuiuium regalium nuptiarum præparatum eſt, vndè plateæ eius adhuc fulminant. Ego autem timida & paupercula per duos annos valdè fatigata ſum, vt coram magiſtris & doctoribus ac cæteris ſapientibus in quibuſdam maioribus locis vbì manſio illorum eſt, viuente voce iſta proferrem. Sed quia Eccleſia diuiſa erat, vocem hanc interìm ſubtraxi. Laus Coloniæ.

PRAEPOSITVS S. PETRI, TOTUSQUE CLERUS TREUIRORUM, HILDEGARDI.

R. peccator & præpoſitus maioris Eccleſiæ S. Petri, ac totus Treuirorum clerus, Hildegardi famulæ Dei, ac myſteriorum ipſius q̃ plurimorum conſciæ, in cœnobio B. Roberti deuotè viuenti, cum gratiarum actione manus extenſas pro ipſa. Cùm per Diuinam permiſſionem reuelentur ex multis cordibus cogitationes noſtræ ad vos, per Diuinã voluntatem, cum toto anniſu corporis, tota deuotione mentis vos diligimus. Scimus enim Spiritum ſanctum vos inhabitare, & plurima cæteris hominibus incognita, per ipſum vobis manifeſtari. Nam ex quo à nobis receſſiſtis, cùm in diebus Pẽtecoſtes nupèr ad nos ſuperna diſpoſitione veniſſetis, vbì comminationem Dei nobis immi- Luc. 2. Rom. 8. Rom. 4.

nere prædixiſtis, multa diſpendia Eccleſiarum, & multa pericula hominũ circa nos & apud nos vidimus & experti ſumus, quia ſecundùm bonum conſilium, quod nobis dediſtis, iram Dei placare neglex imus, & niſi per miſericordiã Dei vindicta ipſius retracta fuiſſet, forſitan eiſdem periculis imminentibus in deſperatione ſuccubuiſſemus. Et quia Deus in vobis eſt, & verba ipſius ab ore veſtro ſonant, quàm intimè maternalem dilectionem veſtram exoramus, vt ea quæ viua voce nobis tũc propalâſtis, per pręſentem baiulum, ſcripta nobis tranſmittatis, quatenùs ſuccedens poſteritas & vindictam Dei, & miſericordiam eius ſuper nos directam videat, & vos conſciam ſecretorum ipſius veracẽ & dilectam eſſe cognoſcat. Protectio Domini ſuper vos ſemper maneat, & quod in vobis cœpit, bono fine in vobis perficiat.

AD CLERVM TREVIRORVM, Hildegardis.

EGo paupercula forma, quæ in me nec ſanitatem, nec vim, nec fortitudinẽ, nec doctrinã habeo, ſed quę magiſtris ſubdita ſum, de myſtico lumine veræ viſionis, ad pręlatos & clerum Treuirenſium hęc verba audiui: Doctores & magiſtri tuba iuſtitię canere nolũt, ideò oriens bonorum operum in eis extinctus eſt, qui totum mundum illuminat, & qui quaſi ſpeculum luminis eſt. Oriẽs enim iſtę cum doctrina in eis lucere deberet, quę diuerſa pręcepta regeret, ſicut & ſphęra ſolis diuerſa eſt. Auſter etiã virtutum cum calore ſuo in ipſis frigidus vt hyems eſt, quia bona opera & de igneo ſpiritu ſancto ignita, in ſe non habent, & quoniam abſq; viriditate aridi ſunt. Occidens quoquè miſericordię,
Apo. 6. in nigredinẽ ſacci cilicini verſus eſt, qa benè viuẽdo paſſi-

paſſionem Chriſti nõ colunt, qui per humilitatẽ in humanitatem deſcendit, & Diuinitatem ſuam obtexit, ſicut Sol interdùm abſconditur. Sed ſeptentrio cum aquilone in eis operatur, vbì vnuſquiſq; eorum latitudinem proprietatis ſuæ exercet, quæ in pœnas animarum conuertetur, ſicut etiàm ciliciũ corpus hominis conſtringit. Ipſi nanq; per bona opera cum Cilicium. oriente non ſurgunt, & ardore ſolis non ardent, nec cum occidente à malis declinant, ſed cum ſeptentrionali aquilone in proprietatem cordis ſui ſe abſcondunt. Ob hoc verè diabolus tres nigros ventos ex aquilone cum ludibili ſibilo emittit, primum ſcilicet cum ſuperbia & odio contra orientem, qui extinctus eſt: Secundum, cum obliuione DEI contra auſtrum: Tertium, cum infidelitate contra occidentem. Nam cùm doctores & magiſtri rectè ambulando Deum imitati ſunt, oriens aquilonem ità conſtrinxit, quòd ſuſpirare non potuit, & auſter in bonis operibus eum in illis cremabat, & occidens vires eius in tenebras deiecit, quandò iſti mundum & ſeipſos, agnum ſequentes, relinquebant. Nunc autem vis virilis fortitudinis in muliebrem debilitatem inclinata eſt, quę cum virili fortitudine pugnare non debet, quia vir caput eſt. Muliebre Ephe.5. verò tempus iſtud, cùm quodam tyranno incepit, cùm omne malum exortum eſt. Ego autem in vera viſione didici, quòd multotiès quilibet paterfamiliâs, qui potens Dominus eſt, filijs & famulis ſuis, qui propter præuaricationem præceptorũ ſuorum ipſi diſplicent, probitatem ac potentiam & poſſibilitatem ſuam proponit: & quòd poſteà manum ſuam extendendo cum virga correptionis eos inclinat, & diſſipat ſecundùm qualitatem ipſorum, dicens: Vndè venitis, & quid abſque me eſtis? Et de zelo Domini audiui, quòd Deus abſq; vltiõe præuaricationem præceptorum ſuorum nõ dimittit. Adam enim præcepta DEI præuaricatus, viſionem cæleſtium & claram

veſtem amiſit, & in locum miſeriæ miſſus eſt. Per zelum etiàm Domini Cain propter effuſionem ſanguinis fratris ſui, quem
Gen. 4. occidit, expulſus eſt. Plurimi etiàm populi ex filijs Adam ſurrexerunt, qui obliuionem Dei habebant, ità quòd ſe homines eſſe ſcire nolebant, vndè turpiter peccando ſecundùm mores pecorum viuebant, exceptis filijs Dei, qui ab eiſdem hominibus & amoribus eorum ſe ſeparabant, de quibus Noe natus eſt. Tunc zelus Domini eleuatus eſt, & Spiritus Domini ſuper aquas ferebatur, & nubes ſcidit, & aquas in diluuio eduxit, & ſic terra de criminalibus peccatis mundata eſt, & de ſanguine Abel quem biberat. Deus enim iſta fecit. Et ſic collum cupiditatis antiqui ſerpentis exterritum eſt. Tunc terra quæ in ſanguine Abel priùs violata fuerat, nouum ſuccũ vini protulit, & ſapientia iterùm operari cœpit. Sed diabolus cum irriſione ſcelus in filio Noę perpetrauit: vndè & zelus Domini peccantem in ſeruitutem dedit, ac benedictionem ei ſubtraxit, & in maledictionem ſeruitutis peccantes tradidit. Et ità ſapientia noua in cælo & in terra operata eſt. Deindè S. Trinitas in Abraham magnum opus oſtendit, præſignando & oſtendendo obedientiam, vbì ille patriã reliquit, & vbì ſe circuncidit, & in obediẽtia illos præſignauit, de quibus dictũ eſt:
Eſa. 60. Qui ſunt hi qui vt nubes volant? & in circunciſione vulnus confuſionis antiqui ſerpentis accepit. Sed mulier per cachinnum ſtultitiam primæ mulieris ſecuta eſt, in fœcunditate autem eius, filius Dei præfiguratus eſt. Nam in obediẽtia Abrahæ Deus præuaricationem Adæ mutauit, & in circunciſione ipſius morti vulnus intulit, & in fœcunditate ſterilis fœminæ præuidit, quòd alia fœmina, alium filium paritura eſſet, quoniam filius Dei omnem præſignificationem iſtam in natiuitate ſua compleuit. Moyſes autem legifer in adiutorium circunciſionis venit, & legem dedit, quod etiàm à Deo perpetratum

tratum eſt. Sed populus illius propter multas præuaricationes pręceptorũ Dei, in idolis & in alijs peccatis interijt. Zelus autem Domini huiuſmodi purgationes vſq; in finem mundi operabitur. Sed tamen cùm Deus vindictam ſuã emittit, multotiès eam per hominem aut per aliam aliquam creaturã prænunciat, nè homines excuſationem malorum ſuorum habeant: quapropter ſæpè & multi inter eos ſurgunt, & pœnitentiam agunt, ſicut & in Iona factum eſt. Et ſic Deus per amicos ſuos laudatur, & per inimicos ſuos prædicatur. Nam Deus formam digiti ſui cum præfata oſtenſione in viris & in fœminis ſępè tetigit, vt ſcriptum eſt, Et prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ. Poſtquàm autem Deus præfigurauit, quod facere voluit, recordatus eſt, quod dixerat, quòd contereret caput ſerpentis. Et quandam mulierem, ſcilicet virginem, obedientia & caſtitate, ac omni bono perfudit, & omni bono impleuit, ità quòd ſuperbia, quę in Eua fuit, in hac aruit. Sed virgo hoc filium Dei de Spirituſancto concepit, qui mirabiliter proceſſit, & in mundũ in miraculis vénit. Tunc Deus ab opere illo ceſſauit, quod ſic carnaliter patrârat. Et huic filio ſuo omnia carnalia ad ſpiritalia reuocare dedit, quia ille caro ſanctitatis eſt, quæ per alienam naturã proceſſit, & quam conſilium ſerpentis nunquàm violauit. Vndè idem filius Dei veterem legem rigauit, cùm in baptiſmo per fidem & obediẽtiam, & per abſtinentiam carnalium deſideriorum, viam ſanctitatis demonſtrauit: & cùm pœnitentiam hominibus dedit, & cùm omnia hæc in mortali corpore cum morte ſua confirmauit, & cùm miracula & ſigna diſcipulis ſuis dedit, ſicut pater ipſi dederat, quandò Deus homo apparuit, cùm tonitru Diuinitatis in diſcipulos ſuos nouum ignem miſit, qui anteà nunquàm apparuerat, & diſcipuli nouis igneis linguis & noua ſcientia infuſi ſunt, quę ſecundùm cæleſtem harmoniam ho-

mines

Iohel.2.
Acto.2.
Gene.3.
Act.2.

mines viuere docuit. Tunc oriens in virtute ſua: reſplenduit, & auſter in calore ſuo arſit, nec occidens noxialis erat, nec ſeptentrio cum aquilone bacchabatur, quia per paſſionẽ Chriſti temperati fuerunt, vſq; ad tyrannum quendã, à cuius tempore omne malum & iniuſtitia ac præuaricatio exorta eſt. Sed & hæc cum fame & peſtilentia examinata ſunt, & cum bellis & prælijs incuruata ſunt, & cum pœnis pœnitentiæ purgata ſunt. Nunc autem lex in ſpiritali populo neglecta eſt, qui bona facere & docere contemnit. Magiſtri quoquè & prælati, relicta iuſtitia dormiunt. Vndè vocem hanc de cælo dicẽtem audiui: O filia Sion, corona de capite tuo inclinabitur, & pallium dilatationis diuitiarum tuarum tibi imminuetur, & in paruum numerum conſtringetur, & de regione in regionem expelléris. Per potentes enim homines plurimæ ciuitates & clauſtra diſſipanda ſunt. Et principes dicent: Abſtrahamus ab eis iniquitatem, quæ totum mundum in ipſis ſubuertit. Et vidi & audiui, quòd hæc pericula & contritiones regionibus & clauſtris propter prǽuaricationem obedientiæ & aliorum præceptorum legalium conſtitutionum occurrent, & vidi quòd tum in huiuſmodi præuaricationibus, aliqui DEO adhærebunt, & ad ipſum anhelabũt, quemadmodùm in tempore Heliǽ factum eſt. Hi verò cum magno honore perſiſtent, & velut holocauſtum DEI habebuntur, quia à malis receſſerunt, vt Noe & Loth. Et hæc eadem purgatio in hoc muliebri tempore in modico incipiet, & poſteà maior fiet, & deindè virile tempus veniet, in quo bella & prǽlia ex iuſto DEI iudicio erunt. Sed hoc muliebre tempus tandiù non durabit, quandiù hucuſquè perſtitit. Tunc iuſtitiæ & iudicia Dei ſurgẽt, & diſciplina ac timor Dei in populo erunt, & iuſti & boni homines in ſpiritali populo fient, qui tamen in paruo numero propter humilitatem manebunt, & in primam auroram

O ſi iam adeſſes ſancta virgo.

3. Reg. 18.

ſicut

ſicut eremitæ reuertentur: & hoc etiàm in timore præteritorũ temporũ faciunt, quæ ſibi aduerſa fuiſſe perſpexerunt. Et homines ſtultitiam laſciuorum morum tunc non habebũt more puerorum, ſed triſtitiam de ignotis temporibus ſuſtinebunt, quæ ventura ſunt. Et tunc fortes viri ſurgent, & prophetabũt, & omnia vetera & noua ſcripturarum, & omnes ſermones per Spiritum ſanctum effuſos colligent, & intellectum eorum, ſicut monile cum precioſis lapidibus ornabunt. Per hos & per alios ſapientes plurimi ſeculares, boni fient, & ſanctè viuent. Hoc autem ſtudium ſanctitatis citò non areſcet, ſed diù durabit, quia hæc omnia propter errans tempus fient, vbi multi martyres in fide erũt. Nam vir præliator hęc faciet, qui initium & finem operum ſuorum in his adſpicit, quatenùs erranti populo in hoc reſiſtat. Ipſe nanq; prophetas primùm cõſtituit velut caput, ſapientes velut oculos, doctores velut os, ſicut etiàm per verbum Dei omnia facta ſunt. Et quia deindè reliqua mẽbra, ſcilicet fideles, bona opera operabuntur, Deus in ſinũ eorũ caput ponit, i. intellectui ipſorũ prophetiam aperiet. Tunc & principes citharas & tympana in ærumnas & in triſtitiam vertent, quẽadmodùm filij Iſrael fecerũt cùm capti fuerunt. Poſt hęc omnia ſpiritalia ſinè tedio & defectu cõfortabuntur, & homines pupillam viuentis libri inſpicient. Et tunc vires & fortitudo ac ſanitas in populo fient, quia vir pręliator aërem ſanitate replebit, & etiàm viriditatem virtutum producet, nè fideles corpore & anima in errante tempore deficiant. Iſtud autem vſq; in errans tẽpus ità perdurabit, in quo fidelis populus, ad mortem quaſi ad epulas feſtinabit. Sed & tempus hoc errorem hoc modo tenebit, vſq; dùm illud Deus in gratia & miſericordia ac in zelo ſuo diſcutiat. In omnibus his hortulanus inutilia de horto ſuo proijciet, & vtilia ad ſe colliget, quemadmodùm ſcriptum eſt: Deus vltionum Domi-

Ephe. 4.

Pſal. 136.

Pſal. 93.

Z nus,

nus, Deus vltionum liberè egit. Quod tale eſt: DEVS in zelo ſuo caput iniquitatis conterit, & illud Dominus in caſu proſternit, quia omnis iniquitas ex diabolo eſt, qui in inferno ſepultus eſt. Ipſe nanque Deus vltionum eſt, quia in nullum adſpexit vel reſpexit, à quo quicquam ſibi addendum aſſumeret. Sed in ſemetipſo vnumquodq; diſtribuit, conſtituit & facit, & iſtud liberè hoc modo egit, quia ipſe ſolus & iuſtus & bonus & timendus in omnibus iudicijs ſuis eſt. Deus enim in vltione perditorum eſt, quia bona noluerunt, & ideò cum diabolo eos damnat, multos quoquè per dolorem liberè inclinat, quos iterùm poſteà eleuat, vt propter bona opera velut columnæ cęli ſint, ſicut plurimos ex publicanis & peccatoribus ſanctos fecit. Tunc diabolus ſe erigens in perdito filio ſuo ſuper pennas ventorum volare vult. DEVS autem in ſemetipſo diſponit ea quæ vult, quoniam nemo eum ſuperare poteſt, & omnem vim diaboli diſſipat, velut faber qui omĩa inutilia in fabrica ſua redigit, & manum ſuam in zelo ſuo extendit, ſicut ibì fecit, vbi eundem ſathanam in prima deiectione in abyſſum proiecit. Vndè ille ſicut coluber foramen ſuum intrat, ità in abyſſum ſe abſcondit, nec amodò ſe eriget, quia nunc totus deceptus eſt. Poſteà diuinitas ignota omni creaturæ operabitur, quia omni homini ignotum eſt, quandò purgatio mundi per ignem fiat. Et Treuerim nouo igne, qui diſcipulis in igneis linguis apparuit, inter fideles primò valdè ornatam vidi, ità quòd omnes plateæ ipſius in aurea fide cum miraculis tunc diffuſæ fuerant. Sed nunc per vagationem ſqualidorum morum, cum tædio, quaſi DEVM neſciat, circundata, & alijs plurimis malis coinquinata eſt, & etiàm in his tædio & in defectione iocunditatis & pulchritudinis principalium & honeſtarum inſtitutionum inueterata eſt, atque in obliuionem multorum pecca-

Act. 2.

catorum inclinata. Quapropter igneæ vltiones ab inimicis ſuper eos venient, niſi per pœnitentiam, ſicut in Iona factum [Ion.2.&3.] eſt, deleantur.

DECANVS S. APOSTOLORVM, id eſt, magiſter Scholarum, Hildegardi.

T. Dei gratia, eccleſiæ S. Apoſtol. q̃ eſt in Colonia, dictus Decanus, i. magiſter ſcholarum, cum vniuerſis eiuſdem eccleſię fratribus, Dominæ Hildegardi, omnibusq; in mõte S. Roberti Chriſto militantibus, deuotam in Dño orationẽ, & in vero ſalutari ſalutem. Ex die qua nobis innotuit, quòd ſororem, immò filiã noſtram ſpecialem Dominam Sigevuizen, in veſtræ beatitudinis cõſortium collegiſtis, non ſolùm nos, immò vniuerſa Colonienſium ciuitas, nutu Dei ad pietatis amorẽ ſuccenſa eſt. Indè eſt ꝙ iam manifeſtè per oẽs terminos terrę noſtræ à cunctis proclamatur: Eccè odor Dñarum de S. Roberto, ſicut odor agri pleni, [Geneſ.27.] cui benedixit Dñs. Benedictę itaq; ſitis à Domino, quę in modico & humili veſtro mõticulo ea opera pietatis celebrâſtis, q̃ cunctæ ſublimitates montiũ, vniuerſęq; vallium noſtrarum latitudines celebrare non dicimus, non potuerunt, ſed neglexerunt. Audiuimus ſiquidem nuperrimè fama prodẽte, quòd ille hoſtis antiquus per orationes veſtras eiectus ſit: quod ſi ità eſt, obſecramus vt modum & ordinem eiectionis nobis reſcribendo ſignificetis, quatenùs vobis congaudeamus, & perpetua vobiſcũ deuotiõe, Deũ collaudemꝰ. Ipſam quoquè Dominam Sigevuizen ſicut familiariùs cognoſcimus, ità ſpecialiùs ſalutamus, deuotas in Chriſto orationes promiſſas renouantes, & eaſdem ab ipſa expectantes. Vale.

RESPONSVM HILDEGAR.

DEus opus ſuum fecit,ſed illud vno modo nõ conſtituit. Adam enim perijt, nam curſum circuli ſui non compleuit. Sed poſt meridiem requiſitus eſt. Deus autem ſpiramen ſuum in prophetas miſit, vt veritatem nunciarent, & ſic ſapiẽtia in ore illorum, quos ipſa conſtituit,loquebatur,quatenùs miracula proferrent. Apoſtoli etiàm per Spiritumſanctum opus Dei in fide perferrent, martyrium eorum & aliorum,Deum oſtendit.ſpiritales quoquè populos Spirituſſanctus inflauit, qua ſeculum in ſemetipſis finiunt,& angelicum ordinem colunt.ſic opus Dei ſimile diei eſt. Omnes enim vnum dixerunt, ſed tamen ſingulatìm clamauerunt.In ortu nanq; diei aurora ſolem præcedit,& in manè radius ſolis reſplendet,qui in tertia in calore ſuo pleniter ardet,& circa nonam calorem ſuum inclinat, circa veſperam autem calorem ſuum quẽ in die habuit, finit & ante noctem ſe abſcõdit, & ſic dies completur, & ab operibus ſuis requieſcit. Quæ ſi vno modo complerentur, homini diſpliceręt. Vndè etiàm Deo eſt nomen Sabaoth, quia vnuſquiſq; huius mundi curſus plenum officium habet. Tali modo DEVS in omnibus operibus ſuis operatur. Sic etiàm in hac muliere, de qua quæritis,geſtum eſt:pro qua alti & altiores, parui & minores,cum laboribus & orationibus vnum dixerunt, & ſingulatìm clamauerunt, ſecundùm quod Spirituſſanctus eos hoc officium docuit. Nam quidam per ſuſpiria miſericordię, & quidã per orationes & vigilias pro ipſa laborauerunt, quidam etiàm ieiunia & caſtigationem in corpore ſuo ſuſtinebant,multi quoquè pro ipſa eleemoſynas dederunt, & maxima turba cum adiutorio cuiuſq; boni quod facere potuit, ſe

ad ipſam declinauit, & aliquis in magno ſtudio ſinè tædio hoc perfecerunt, & ità omnes ad Deum pro ipſa ſimul adſpiciebant, quemadmodùm etiàm dies circulum ſuum complet. Nunc autem cũ laude ſimul dicamus: Gloria tibi Domine. Benedictio Dei in gratia ipſius ſuper vos ſit, & ſuper omẽs qui ſuper illam miſericordia moti ſunt, quoniam ipſe Dominus dicit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Oſeę 6. Matt. 9. & 12.

MEFFRIDVS PRIOR IN EBERbach, Hildegardi.

Dei dilectæ, Dei electæ Hildegardi Dominæ venerab. M. Prior, totaq; congregatio fratrũ in Eberbach, in thalamo ſummi regis perfrui delicijs ſempiternis. Deo digniſſima ſanctitatis veſtræ odorifera & ſuauiſſima opinione ſæpè audita, nos inertes & indigni ineffabili ſpiritûs lætitia ſumus gauiſi pro eo, quòd Deus omnipotens gratia & miſericordia vobis tanta ſuę largitatis contulit dona mirifica. Patet enim luce clariùs, quòd vos diligat Dominus in hominibus ipſum diligentibus, quoniã tam digna, tam grata, tam amabilis, tam venerabilis eſtis eis omnibus, in quibus habitat, vt eum in vobis eſſe, vobiſcum manere nullus ambigat. Cui verò virtutum tanta collata ſunt beneficia, ſanctæ quoquè pietatis vobis ineſſe non dubitamus munera, & piæ charitatis, piæque compaſſionis non deeſſe viſcera. Vndè pietatis veſtræ largitatem ſuppliciter exoramus, vt quia pro peccatoribus redimendis ac ſaluandis natus eſt Dominus ex carne B. Mariæ ſemper virginis, amore ipſius Domini noſtri omĩpotentis, noſtri conditoris ac pijſſimi redemptoris, noſtrî miſereamini, participesq; orationũ veſtrarum facere nos digne-

mini.Inſupèr etiàm obnixè rogamus,vt literas quas de ſecularibus & idiotis ad ſpiritalem conuerſationem conuerſis,quos nos Cōuerſos dicimꝰ,ſpirituſancto vos ſcripſiſſe audiuimus, nobis benignè tranſmittere non dubitetis, quatenùs mirifica opera Dei & voluntatem eius in ipſis videamus, & quantùm poterimus,toto affectu bonorum operum illa ſequamur & compleamus. Vale.

AD GRISEOS MONACHOS, Hildegardis.

EGo paupcula in lecto ægritudinis pluſquàm per biennium iacens,hæc vidi, & vocē de cælo ad me ſic dicentem audiui: Ad ſpiritalem populum,quem Deus in pręſcientia ſua cum miraculis prophetiæ,ſecūdùm quod ipſi placuit,pręſciuit,quæ vides & audis,ſcribe,hoc modo incipiens:Deus quędam virtuoſa opera,quæ in ſanctis & electis ſuis operatus eſt,per quatuor ſecretorum DEI animalia pręſignauit. Ipſe enim homini per eadē animalia & per cętera miracula occulta myſteria ſua manifeſtat,quemadmodùm Ezechieli prophetæ & Iohanni dilecto ſuo per ipſa ani-
Eze.1. malia oſtendebat, quod ex communi populo ſpiritalem populum ſegregari & congregari vellet. Iohannes quippe dicit, In medio ſedis,& circuitu ſedis quatuor animalia,plena ocu-
Apo.4. lis antè & retrò. Quid dicitur? In fortitudine poteſtatis Dei, qui Deus & homo eſt,& in omni parte quò poteſtas ipſius extenditur,quatuor Euangeliſtis imbuti fideles, præcepta Dei ruminantes,& plenitudinem circunſpectionis virtutum habentes eſſe debent,ità vt videāt, vndè facti proceſſerint,& etiā
Deut.4. quid futuri ſint.Deus enim ignis eſt, & angeli miracula eius hominibus ſępè nunciant & mirabilia throni ſui, vrentes ſpi-
Heb.1. ritus ſunt,qui ante faciē eius lucēt,& qui in amore ſuo ità ardent,

dent,vt non aliud velint q̃ quod ipſe vult. De quibus dictum
eſt: Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem Pſal.103.
vrentem. Quid dicitur? Omnipotēs, tu ille es, qui facis nūcios
tuos, ſcilicet eos qui ad ſalutē hominum à te diriguntur, eſſe
ſpiritus cū emiſſione, ceſſantes in indeficiēti vita in conſpectu
tuo ſunt, & iterùm ſpiritus eſſe nūcios tuos, cùm ad præcepta
tua adimplenda nuncij fiūt. Angeli nāq; nuncij ſunt, quoniā
vnamquanq; inſpirationē ſpiraculi illius, quod Deus in ho- Gene.2.
minē miſit, Deo renunciāt. Hoc enim modo propter homines
officiales ſunt, quia propter opera eorū colligunt & diſcer-
nūt, & propter opera hoīm, quę per ſpiritum operantur, ipſi
etiàm ſpiritus vocātur & angeli, quoniā à ſuperno rectore ad Matth. 13.
iudicia ſua explenda multotiès dirigūtur. Sed miniſtros tuos,
qui vbiq; voluntati tuę deſeruiunt, facis ignē vrentē, cùm in
amore tuo ardent, in quo etiàm ardore cum indefeſſa laude ti-
bi iterùm miniſtrant. Miniſtri enim Dei, qui faciem eius ſemp Mat.18.
inſpiciunt, velut flamma coruſcant, & in eadē coruſcatione
miracula eius vident, & illa mirando & laudando agnoſcunt.
ideoq; & ignis vrens ſunt, & per Deū qui ignis eſt, ardent, nec Deut.4.
per aliū accendi nec extingui poterunt: ſed in amore ipſius in-
extinguibiliter ardētes, quia ipſe pallio humanitatis circūda-
tus, ad admiranda miracula eos ſemp inducit. Nam pallio for
titudinis ſuę Deus ſe pręcinxit, per quod hoīem ſpeculū ho- Pſal.92.
noris ſui & miraculorū ſuorum conſtituit, quatenùs homo
cōtra diabolū pugnaret, & eū ſuperaret, & ſic in Diuina laude
ſemper perſiſteret. Eodem quoq; modo Deus facit illos, qui
nuncij ſui ſunt, filijs Ecclesię verba ſalutis pronunciantes ſpi-
ritus, cū eos carni ſuæ reſiſtere, & ſpiritui ſeruire iubet, quos
ſic toto corde ſpiritales effectos, iterùm deindè tanto fiducia-
liùs præcepta ſua populo propalare inſtituit: facit etiàm & il-
los, qui ſibi miniſtrando die ac nocte in laboribus ſunt,

in

in amore ſuo ardere, & ità ignem vrẽtem eſſe, & ſic etiàm ignẽ effectos, iterùm ſeruitio ſuo ſinè tedio inſudare. Deus nãq; in pręſciẽtia ſua pręordinauerat, quòd miracula & occulta ſua, quæ in angelis ſunt, etiàm in hominibus ſignanter operátur. vndè & angelos hominibus loqui fecit, vt in Abraham & Iacob factum eſt, quemadmodùm etiàm Balaam aſina locuta
Num.22. eſt. Angelicos etenim ſpiritus, qui ei miniſtrant, faciem ipſius laudantes & honorantes, occultis ſuis quaſi veſtimento operit: & ideò etiàm vrens ignis dicuntur. Et per hos igneos miniſtros, qui ſecretis Dei velut veſtimento tecti ſunt, eremitæ deſignantur, qui ſeipſos abnegantes, quaſi homines non ſint, viuunt, & conſortium hominum fugiũt. Nam Deus per opus ſuum quod homo eſt, magna mirabilia operatur, quæ in angelicis ſpiritibus prędeſtinauit, & quę coram ipſo cum laude & mirifico honore fulminant. Sed &, vt pręfatum eſt, in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis antè & retrò oſtẽduntur: quod ſunt omnia opera ſancta, quæ Deus in hominibus iſtis operatur, qui ad ipſum & ad thronum ſuum reſpiciunt, per fidem Oriens, per ſpem Auſter, per recordationem lapſûs, qui in primo parente factus eſt, Occidens, quaſi retrò exiſtentibus, atque per prouidentiam oculos in ante, ad aquilonem dirigentibus, nè bellator aquilonis cum cadente morbo ſuperbiæ, & cum ardente flamma inceſtûs eos corruere faciat. Cum oculis itaque iſtis, quos vndiquè habent, ad DEVM anhelare debent, nè à fide extinguant, & nè à luce ſeparentur, & nè ſic aquiloni appropinquẽt, vt morte æterna ſuffocentur. Iſtud quippe eſt, quaſi in circuitu ſedis: quoniã oriens, auſter & occidens Deũ oſtendũt: ſed aquilo totus ab ipſo ſuperatus, velut ſcabellum pedum ei ſubiectus eſt. Et deindè
Apo.4. ſcriptum eſt: Et animal primũ ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens quaſi faciem hominis,

minis, & quartum animal ſimile aquilæ volāti. Quid dicitur?
Animal hoc primū cucullatos homines ſignificat, qui primi
in fortitudine leonis, ſe omninò à ſeculo abſtrahunt: vndè etiā
& illis igneis, qui occultis Dei velut veſtimēto cooperti ſunt,
& qui faciem Dei ſemper inſpiciunt, aſſimilantur. Veſtitus
enim iſtorum non à ſeculo eſt, ſed mirabiliter à Deo, quemad-
modùm Deus in illis ordinauit, qui hunc primitùs oſtenden-
do & docendo protulerunt. Nam cuculla eius ab angelicis
ſpiritibus præſignata eſt, qui in faciem Dei, & non in alium
adſpiciunt: & latitudo eius ad ſimilitudinē nubis tendit, quo-
niam & angeli in nubibus multotiès viſi ſunt: & quia etiàm
veſtis innocētiæ Adæ, quaſi lucida nubes erat. Homines itaq;
iſti cuculla caput ſuum tegunt, nè ad ſiniſtram vel ad dextram
declinantes, rectè coram ſe in impetu ſpiritûs gradiantur, De-
um ſemper inſpiciētes, nè de bonis operibus reuertantur. Hęc
omnia in obedientia, quam filius hominis per ſeipſum oſten-
dit, fieri debent, quatenùs prçcepta magiſtrorum cum timore
Dei obſeruentur, ità etiàm, vt ſicut homo à voce tonitrui peri-
re formidat, ſic etiàm peccata timeat. Nā ſicut leo cæteras be-
ſtias in fortitudine præcellit, ſic iſti in fortiſſima vi diuinitatis
cęteros homines prçcellunt, quoniam quanuìs homines ſint,
non ſicut homines viuunt. Cùm enim homo ſeculo abrenū-
ciando ſeipſum Deo obtulerit, mundum accuſat, ità vt ille in
omnibus ſibi inutilis ſit, & ſic mentem ſuam eleuat, quemad-
modùm Daniel dicit: Adſpiciebam in viſione noctis, & eccè
cum nubibus cæli, filius hominis veniebat, & vſque ad anti-
quum dierum peruenit. Quid dicitur? Cùm mentem meam ad
cæleſtia ſursùm eleuarem, adſpiciebam in cōſideratione plu-
rimarum aduerſitatum, quòd oĩa ſuperna & Diuina mira-
cula, quæ Deus in angelicis ſpiritibus operatus eſt, per filium
ſuum in hominibus præſignaret: & ità idem filius, vſque ad

Peruenuſta ſignificatio cucullæ.

Matt. 18.

Deut. 17.

Peccatū.

Dan. 7.

antiquum dierum peruenit, quia filius Dei, Deus & homo eſt, & ità Deus & homo, vnus Deus eſt. Deus enim homo eſt, & homo iſte Deus eſt. Sed & bona opera hominum, & laudes angelorum ſe coniungunt, & vnum in Deo ſunt. His quoquè cucullatis hominibus turba virginum aſſociatur, quæ virum cum amore & diuitijs & totum mundum relinquunt. Sicut enim virgo delicijs mundi ablata eſſe debet, nè vbera voluptatis ſugat: ſic etiàm turba cucullata, à mundo relicta eſſe debet, nè vlla officia ſecularia cũ illo exerceat. Et vt virgo à viro relicta eſt, ità vt ſub cura & poteſtate ipſius non ſit, ſicut libera ab eo eſt, ſic etiàm monachus à mundo relictus, illi ſubiugatus non ſit, ſed liber ab illo maneat. Virginitas quoquè ſolem ſignificat, qui totum mundum illuminat, quia Deus virginitatem ſibi adiunxit, quæ viro relicto illum genuit, quem radius Diuinitatis perfudit, qui & oĩa regit. Rex nanque qui cuncta regit, Deus eſt: & illi virginitas coniuncta eſt, quandò Deus & homo de virgine natus eſt. Sic adſtitit regina à dextris eius in veſtitu deaurato, circundata varietate, quoniam diabolo repugnans adſtitit virginitas virtuti Diuinitatis in opere fulgente, vbiquè comprehenſa multitudine diuerſarum virtutum. Diuinitas quippe virginitatem ſibi deſponſauit, cùm primus angelus ad ſiniſtram partem cecidit, & tunc etiàm populum ſaluationis in Adam ſibi elegit, quem dexteram ſuam nominauit, de quo populo virginitatem ſibi adiunxit, quæ maximum opus protulit: quia vt Deus per verbum ſuũ omnia creauit, ità & virginitas per calorem S. Diuinitatis filium Dei genuit. Sic virginitas abſque fœcunditate non eſt, quoniam virgo Deũ & hoĩem, per quem omnia facta ſunt, genuit. Sed & hoc modo omnes virtutes veteris & noui teſtamenti, quas Deus in ſanctis ſuis operatus eſt, velut veſtimentum auro decoratum, deauratæ ſunt, & has virgo ad ſe liberè colliget, quoni-

Marginalia: Opera bona. — Virgines. — Laus virginitatis. — Pſal. 44.

quoniam ligatura viri eam non conſtringet. Rota quoquè Ezec.1.
quam Ezechiel vidit, virginitatem pręſignauit, quia eadẽ vir-
ginitas ante incarnationem filij Dei in lege præfigurata eſt.
Poſt incarnatiõem autem eius, illa mirabiliter plurima mira-
cula operatur, quoniam Deus per ipſam omnia piacula pur-
gauit, & vnamquãq; inſtitutionem rectè ordinauit. Virgini-
tas quippe vetera ſuffert, & noua ſuſtinet, & ipſa radix & fun-
damentum eſt omnium bonorum, quia ſemper & ſemper
cum illo fuit, qui ſinè initio & ſinè fine eſt. Nam natura ho-
minis quę propter peccata perdita fuit, per illam in ſaluatione
reuixit, cùm per alienam naturam peccata hominibus abſtra- 2. animal
xit. Secundum autem animal ſimile vitulo, in clericali habitu ſimile vi-
Diuino ſacrificio inſiſtentes oſtendit, hos videlicet, qui vineã tulo.
Domini Sabaoth circunfodiunt, & agrum pręceptorum Dei
arando vbiquè euertunt, & hos etiàm qui angeli Domini ex- Mala.2.
ercituum nominantur, qui ab hoc quoq; cingulo caſtitatis
ſe cingere debent, nè in vanitate carnalium voluptatum va-
dant, ſed vt agrum cum aratro ſtrenuè euertant. Circunciſio-
nem quoquè ſobrietatis habebunt, quoniam per ipſos pecca-
ta hominum abluũtur, & hoc in miſericordia fiet, quia in ſe-
metipſis peccata ſentiunt. Hæc itaq; præclara genera, videli-
cet hominum illorum, qui per leonem & vitulum deſignati
ſunt, aliud quoddam genus hominum ad ſe trahunt, quos ipſi
Conuerſos vocant, quorum plurimi ſe ad Deum in moribus Conuerſi.
ſuis non cõuertunt, quia contrarietatem potiùs quàm recti-
tudinem diligunt, & opera ſua cum ſono temeritatis agunt,
de prælatis ſuis ſic dicentes: Qui ſunt, & quid ſunt iſti? Et q̄d
fuimus, aut quid ſumus nos? Et quoniam ſic agunt, pſeudo-
prophetis ſimiles ſunt, & quia non rectè dijudicant, quomo-
dò Deus populum ſuum conſtituit. Vos ergò qui Deum ti-
metis, audite Spiritum Domini ad vos dicentem: Hæc ſupra-

dicta mala à nobis auferte, & voſmetipſos ante dies tribulationum illarum purgate, cùm inimici DEI & noſtri vos fugabunt, & in rectum locum humilitatis & paupertatis vos conuertent, nè amodò in tanta latitudine permaneatis, quanta hactenùs fuiſtis, quemadmodùm etiàm veterem legem Deus à conſuetudine ſua in ſpiritalem vitam mutauit, & vt vnamquanque priorem inſtitutionem ad vtiliora purgauit. In primo enim ortu Deus Adæ conceſſit terram colere, Abel ſacrificare, Noe ædificare, & hoc vſque ad ſummum ſacerdotium, quod in Chriſti incarnatione exortum eſt, quod priùs Abraham per circuncißionem, Moyſes per legiſlationem prefigurabat. Sed hæc omnia idem filius Dei poſteà in humanitate ſua perfecit, vndè & ad homines intelligenda ſunt. Poſt ruinam autem Adæ, Deus tam in hominibus, quàm in angelis ordinationem ſuam rectè præſignauit. Nequaquàm autem deceret, vt ſacerdos officia agricolę, diſcipulus officia magiſtri coleret, cùm agricola ſacerdotem, diſcipulus magiſtrum in timore & humili patientia imitari debeat. Omnipotens enim Deus in operibus ſuis cognoſcitur, quemadmodùm in Adam operari incepit, cui terram colere & homines procurare dedit, quia & ipſe Deus omnia creauit, & vt per ſacrificiū Abel filium ſuum pro redemptione populi ſacrificādum præſignauit, & ſicut per Noe, qui arcam ædificauit, quòd in ſpiritali populo magiſtri conſtituendi eſſent, præfigurauit. Nunc vos magiſtri ſupradictos homines, ſcilicet conuerſos, in ordine veſtro corripite & corrigite, quia plurima pars eorum nec in die, nec in nocte operatur, quoniam nec Deo, nec ſeculo ad perfectum ſeruiunt, & eos ab ignorantia iſta excitate, velut bonus pigmentarius hortum ſuum ab inutilibus herbis purgat: in vobiſmetipſis autem ſecundùm ordinē veſtrum præuidētes, & iuſtè intelligētes nè iniuſtè iudicetis. Incōueniēs itaq; eſſet,

Prophetia

Gen. 6.

eſſet, vt leo, vitulus, homo, & aquila, in ſignificationibus ſuis ſibi inuicèm aduerſarentur: ſed vnumquodq; iſtorum alteri iuſtitiam in figura hominis, ad curationem hominum ſignati ſunt, ſanare, vngere, & baptiſmum ſanctificare cum humili obedientia poſſunt. Nam omnis ſacerdos qui à Deo vnctus & ſacerdos nominatus eſt, vulnera peccatorum & curare cum iudicante iuſtitia poterit, quoniam officium hoc à Deo habet: & ideò illud implere non negligat. Et ego paupercula & indocta fœminea forma, quandam beſtiam vidi, cuius facies & anteriores pedes eius ſimiles vrſo erant, & cuius reliquũ corpus ſimilitudinem bouis oſtendebat, excepto quòd poſteriores pedes eius ſimilitudinem pedum aſini habebant, & quòd cauda carebat. Tria autem cornua in capite habuit, quorum duo ſimilitudinem bouis habentia, iuxta aures erant: tertium verò in medio frontis exiſtens, cornu capricorni aſſimilabatur: facies verò eiuſdem beſtiæ ad orientem, poſterior autem pars eius ad occidentem verſa fuit. Quod ſic intelligẽdum eſt: Beſtia hæc, cuius facies & anteriores pedes ſimiles vrſo ſunt, beſtiales mores latenter habentes quoſdam homines oſtẽdit, qui quidem manſuetudinem verborum proferunt, ſed in exemplis veſtigiorum ſuorum, vbì vi antè ad rectitudinem incedere deberent, temeritatem & duritiam peruerſitatis demonſtrant. Cuius reliquum corpus ſimilitudinem bouis oſtendit, excepto quòd poſteriores pedes eius ſimilitudinem pedũ aſini habent, & quòd cauda caret: quoniam ijdem homines iugum DEI vt bos ſe ferre ſimulant, cùm tamen in ſubſequentibus exemplis mores aſini, qui ſub pondere cadit, in ſe manifeſtant: nec ſe caudam habere demonſtrant, quia in ipſis deficit quod Dominus iubet hoſtiam cum cauda offerri: ſcilicet quomodò bonum quod in humilitate & paupertate inceperunt, ad finem beatitudinis non perducunt. Quod autem tria cornua

Sacerdotium. *Viſio.* *Interpretatio.* *Leu. 3. & 4.*

in capite habet, quorum duo ſimilitudinem cornuum bouis habentia, iuxta aures ſunt, in hoc tres vitas hominum in principali commercio ſtãtes, deſignant, ità quòd duæ effigiem in agro Dominico laborantium, & verbo Domini auditum prębentium ſimulant: tertium verò in medio frontis exiſtens, cornui capricorni aſſimilatur, quoniam hoc in fortitudine fiduciæ ſuæ ſpiritales homines iſtos manifeſtat, qui in ſqualore capricorni altitudinem illam, in qua nullatenùs permanere poſſunt, aſſcendere ſatagunt. In hac etenim altitudine cæteros populos, vt phariſæi publicanos, ſpernunt, & velut inutiles deſpiciũt, & ſe etiàm officialibus quibuſdam cauſis regionum adiungunt, quatenùs per illas alijs duobus cornibus meliores & excellentiores habeantur: & vt etiàm ità altitudinem ſanctitatis aſſcendere videantur. Nam & ſeculari ſolicitudini ſe adiungunt, & multiplicem locupletationem compræhendunt, velut totam terram laboribus ſuis euertant, & per hoc latitudinem diuitiarum pluſquàm deberent capiunt, in ſimilitudine quoquè iuuenis huius illud facientes, cui filius Dei dixit, quòd quęcunque haberet, vẽderet & daret pauperibus, & ille abijt mœrens, quia & diuitias ſeculi & vitam æternam habere volebat, quod difficile erat vt fieret. Homines enim iſti cælum & terram ſimul habere volunt, quod impoſſibile eſt: quoniam in compręhenſione & poſſeſſione diuitiarum abſq; ſuperbia elatiõis & abſq; proprietate voluptatis nequaquàm ſtare poſſunt, ſicut etiàm impoſſibile eſſet, quòd homo in cacumine verticis alicuius montis ſtaret, & tẽpeſtate validi venti quaſſatus non caderet. Amorem quoquè hunc & timorem non habent, quos egenus habet, qui manum ſuam ad auxilium & eleemoſynã porrigit, ſed in ſtultitiã aſini ſe inuoluunt, qui magnis oneribus ſe onerari patitur, quouſquè ſub eodem onere ſuccumbit, quoniam iugum ſpiritalis vitæ & ſolicitudinem

Lu. 18.

Matth. 19.
Nota diuitias.

dinem

dinem ſeculi habere volunt:ſed in ipſis ſtare non poſſunt, & idcircò vt aſinus cadunt. Vndè & facies eiuſdem beſtię ad orientem, poſterior autem pars eius ad occidẽtem verſa eſt, quia cùm ſpiritalem vitam attendere videntur, ſeculari quoquè inhærent, in hoc perditos angelos imitantes, qui in ſemetipſos confidentes, de cæleſti gloria corruerunt. Et tertium animal habens faciem quaſi hominis, ſeculares homines iſtos ſignificat, qui opera ſua cum ſolicitudine corporis & animæ faciũt, & tamen bona intentione ad Deum aſſcendunt, quaſi cum pennis volent, quia quæq; bona deſideria ſicut radius ſolis, ex corde iuſti emittuntur, vndè & velut pennata videntur. Sed & ad obſeruanda præcepta legis & ſacerdotis currunt, & ad diuidẽdas eleemoſynas in miſericordia mouentur, atq; in terrã adſpiciunt, quomodò in illa creſcant, & in genitura prolis ſe pulueri terræ pares æſtimant, & peccatores ſe nominant, & ità in ſeculari vita, magìs pœnam quàm voluptatem carnalis gaudij habent, & ſic ad magiſtros ſuos ſcilicet ſacerdotes perueniunt, faciem ſuã qua peccata guſtabant, mutãtes, atq; per gratiam Spiritusſancti in pœnitentia peccata ſua confitentes, & ſic renouantur, vt ſcriptum eſt: Renouabis faciem terræ. Quod dicitur: O Deus, in nouo Spiritu renouabis voluntatem hominis, qui peccare ſtudebat, ità eum de malo ſtudio ad bonum deſiderium conuertes. Nam per pœnitentes, faciem terræ renouabis, cùm homo ſentit, & ſcit ſe peccatis ità inuolutum, vt ſe continere non poſſit quin peccet: & tamen ad renouationem, pœnitendo ſe conuertit. ſi enim homo non peccaret, non renouaretur. Quidam etiàm alio modo renouantur, videlicet cùm peccata propter pœnam pœnitentiæ fugiunt, ità quòd peccare non quærunt: & quidam alio modo, cùm peccata, quæ in ſe ſentiũt, & quæ facere poſſent, propter amorem virtutum deuitant: vndè & ſic renouationem per

Eſai.14.

3. animalis interpretatio.

Laus bonorum ſecularium.

Pſal.103.

Spiritum ſanctum accipiunt. Sicut enim terra in tempore viriditatis non omittit quin fructum afferat, & ſicut in tempore ſicco palleſcit & areſcit, & deindè iterùm ad viriditatem ſuam redit, ſic etiàm Deus hominem poſuit, vt in operibus ſuis in ſemetipſo renouetur. Scriptura nanque in omnibus operibus hominis rectè diuidenda eſt, velut etiàm ex vna aqua multæ aquæ diuiduntur, quemadmodùm & Deus aquas in totũ orbem terrarum diuiſit. Iſti quoquè ſeculares homines ſemetipſos ſemper inſpiciunt & conſiderant, quid ſint & qualiter viuant, & quomodo ſibi peccata abſtrahant: & ſic viuentes in timore Dei, in terrenis ſunt, & cæleſtia non dimittunt. Nam Deo in ſemetipſis immolant, cùm eum adorant, ità quòd ipſi velut luna fulminant, cùm ad ipſum ex intimo corde ſuſpirant. Sed cùm in peccatis vt luna defecerint, ilicò per pœnitẽtiam reſurgunt, quemadmodùm etiàm luna poſt defectum ſuum per ſolem reſurgit. Ipſi etiàm dormiũt inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, quoniam vbì dormiunt, nè peccent, in medio magiſtrorum volantium in ſimplicitate puræ ſcientiæ ſunt, & hoc faciunt, cùm de inceptis peccatis declinãt, & cùm ab eis quieſcũt, quẽadmodùm ales caput inter medias alas ſuas ad quieſcendum declinat, videlicet cæleſtia amantes, & in terrenis cauſis peccata ſua per pœnitentiam confitentes. Vndè & beati mortui qui in Domino moriuntur, ſunt qui ſeculariter ſecũdùm legem viuũt. O quantũ miraculum in ipſis eſt, quòd ſic viuendo, & quòd per amaritudinem pœnitentiæ peccata relinquendo, homines exiſtũt. Sed & animali, quod faciẽ hominis habet, ſimiles erunt, quoniam cum terrenis peccatis per pœnitentiam ſe opponunt, & eis alieni fiunt, quemadmodùm etiàm natura animalium, naturæ hominis aliena eſt. Itaq; in ſcientia bonorum operũ deargentati apparent, quia ſimplices mores infantis, qui peccatum

Scriptura quî diuidenda.

Pſal. 62.

Apo. 14.

tum neſcit, habent, cùm ipſi peccatũ nec amplecti, nec paſcere
volunt. Cumq; in ſimplicitate hac fulgere ſtudent, tunc po-
ſteriora dorſi eorum in pallore auri apparebunt, quia poſte-
riora eorum, in quibus in peccatis priùs fortes erãt, cùm pec-
care conſueuerant, nunc retrò proiecta, in timore Domini
ſapientiam demonſtrant, quoniam in bonis actibus deaurata Quartum
reſplendent. Quartũ verò animal ſimile aquilæ volanti, quoſ- animal
dam homines de peccatis ſe continentes oſtendit, qui ex præ- aquila. Seculares
fatis ſecularibus ad continentiam ſurgunt, velut in Maria homines.
Magdalena factum eſt, quæ omnia peccata ſua abijciens, ea Luc. 7.
pro luto computauit: & ità optimã partẽ elegit, & in aurora & 10.
ſanctitatis cõſedit. ſed in veteri teſtamẽto multi propter tædiũ
ſeculi huius peccata relinquebant, & multi etiàm propter
amorem iuſtitię, de peccatis ſe continebant: nunc autem in
nouo ſole, ſcilicet in CHRISTO IESV, continentes nomi-
nantur, quia in ſimplicitatem infantis qui peccata neſcit, ver-
tuntur, cùm ipſi peccata repudiant, & cùm ea in volũtate ne-
ſciunt. In duabus enim partibus ad cæleſtia aſſcendunt, quo-
niã cum bona intẽtione & cũ ſancto deſiderio, ea quę ſurſùm
ſunt, præ cæteris qui ſeculum priùs non cognoſcebant, dili-
gunt: & quia ſicut aquila, quæ præ alijs volatilibus altiora
petit, ſic ſurſùm volant, quòd ità in candorem æternæ vitæ
conuertuntur, vt de illa ſaturari nõ poſſint: & quòd hoc per
ardorem veri ſolis conculcant, quod priùs, peccatis inuoluti,
fecerunt. In fortiſſima quoquè vi ſanctitatis cõſiderant, quãti
dolores & quàm grauia pondera in peccatis ſunt, quæ ipſi Peccata.
palpando priùs tetigerant, & illa nunc vt mortiferum cada-
uer in ſemetipſis occidunt, & corpus ſuum vt occiſam ouem
conſtringunt & perſequuntur: atq; ſic in ardẽtem ſolem ad-
ſpiciunt, omnia ſecularia quæ antè cognouerant, retrò abij-
ciendo, & pro puluere computando, & in ardẽti amore Dei,

timorem gehennę ſpernendo, & vt in fide & in ſpe perſeuera-
Eſa.6. re debeant, confidendo. Hocitaq; modo faciunt, vt Iſaias di-
Seraphin. cit, quoniam ſeraphin alis duabus velabant faciem eius, quæ
alæ fidem & ſpem ſignificant, quia in fide fideles homines
Deum vident, & per ſpem pręmia æterna deſiderant: & dua-
bus velabant pedes eius, qui ſenſualitatē & intellectum oſtē-
dunt: quandoquidem ijdem homines nuditatem peccatorum
ſuorum tegunt, nè carnalia deſideria propriæ voluntatis ſuę
perficiant. Sed & alijs duabus volabāt, quę charitatem Dei &
proximi demonſtrāt, quoniā cùm Deum ſuper om̄ia diligūt,
ꝓximo ſuo in neceſſitatibus ſuis aſſiſtunt, & ità in fortitudine
Dei ſuper omnia volāt, cùm cuncta terrena tranſcēdunt, atq;
vnamquanq; rem in peccatis diligenter adſpiciunt, quatenùs
per abſtinentiā peccatorum ſe affligant, & ſic etiàm in pleno
deſiderio cum precioſis lapidibus bonorū operum cæleſtē Ie-
ruſalem ornant. In læta quoquè vita præceptorum Dei non
dormitant, ſed ſemper in nouitate deſiderij animę velut canēs
tuba ſonant, quod ſunt ardentia ſuſpiria, quæ in nocturna
obſcuritate in peccatis nati ad Deum habent, quandò eum in
timore & amore cognoſcunt, dicētes quòd ipſe ſanctus ſit qui
omnia creauerit, & quòd ſanctus ſit qui nunquàm mortalis
fuerit, & quòd ſanctus ſit qui infernū fregerit, & ab illo ele-
ctos ſuos eduxerit. Beati nanque homines benè operando &
Deum laudando nunquàm ceſſabūt, & cùm operari ceſſaue-
rint, poſt finem tamen vitæ ſuæ à laude creatoris ſui non de-
ſiſtent. Ego autē paupercula, ab infantia mea debilis & infir-
ma, in myſtica & vera viſione ad hāc ſcripturam coacta ſum,
eamq; in graui ægritudine in lecto iacens, Deo iubente & ad-
iuuante, conſcripſi, quatenùs illam pręlatis & magiſtris, qui
ad ſeruitium Dei ſignati ſunt, repræſentarem, vt in ipſa quaſi
Signū boni ſpirit9. in ſpeculo conſiderarent, qui & quales eſſent, & vt eam illis
demon-

demonſtrarent & aperirent, qui per obedientiam illis ſubiecti ſunt. Et audiui vocem de cælo dicentem: Nemo verba hæc contemnat, nè ſi ea contempſerit, vindicta DEI ſuper eum cadat.

VVERNERVS DE KYRCHEIM, cum cæteris ſocietatis ſuæ fratribus, Hildegardi.

HIldegardi mente & corpore virgini immaculatæ, & à cunabulis DEO dicatæ, Vvernerus de Kyrcheim cum cæteris ſocietatis ſuæ fratribus, in parochijs ſuis DEO quanuis indignum famulatum exhibentibus, exemplo Debboræ hoſtiles turmas DEO duce proterere. Iudic. 5.
Quia virtutum veſtrarum fragrantia non modica terrarum ſpatia diſperſit, eô quòd non ſolùm operari bona, verùm etiàm prophetare futura, contemplari cæleſtia Spiritusſancti gratia cor veſtrum mundum illuſtrauerit, dignum duximus, licèt indigni, veſtræ ſanctitati obtentu fraternitatis nos committere. Et certè quia nos vltima CHRISTI membra vobiſcum fore credimus, fidenter dicimus, quòd quicquid in eius nomine vos poſcimus, cùm præſtare poteſtis, non negetis poſtulantibus. Rogamus ergò benignitatem veſtram mater & ſponſa agni, quatenùs in veſtris orationibus noſtrî memineritis propenſiùs, certa de noſtris, ſi quid poſſunt apud Deum, quòd inter orandũ ſemper veſtrî memoriam faciemus. Phil. 1.
Adhuc vnam petitionem vos petere prȩſumimus, ſcilicet vt verba quæ Spiritusſancto vos docente, nobis & alijs quàm plurimis in Kyrcheim prȩſentibus, de negligẽtia ſacerdotũ, quam in Diuino ſacrificio habẽt, aperuiſtis, mater-

na pietate nobis ſcribere & transmittere non negligatis, nè à memoria noſtra elabantur, ſed vt ea attentiùs præ oculis noſtris habeamus: quoniam cùm terrenis & ſecularibus cauſis plùs quàm opùs, inhiamus, verba tranſitoria in ventum multotiès negligenter emittimus. Valeat materna dilectio in vobis,

HILDEGARDIS.

Anno 1170 IN lecto ægritudinis diù iacens, anno Do-
Viſio mirabiiis. minicę incarnat. milleſimo cētesimo ſeptuageſimo, vidi vigilans corpore & animo pulcherrimam imaginem, muliebrem formam habentē, quę electiſſ. in ſuauitate, & chariſſ. in delicijs tantæ pulchritudinis erat, vt eam humana mens nequaquàm comprændere valeret, & cuius ſtatura à terra vſq; ad cęlum pertingebat. Facies quoquè ipſius maxima claritate effulſit, & oculus eius in cælum adſpexit. Candidiſſima etiàm veſte ex albo ſerico induebatur, & pallio
Eccleſia. precioſiſſimis lapidibus, ſcilicet ſmaragdo, ſaphiro, baccis quoquè & margaritis ornato circundabatur, calceamenta ex onychino circa pedes habens. Sed facies eius puluere adſperſa erat, & veſtis in dextero latere ſciſſa fuerat, atq; pallium eius elegantem pulchritudinem ſuā amiſerat, & calceamenta ipſius denigrata erant. Et ipſa voce magna & lugubri in altitudinem cæli clamabat, dicens: Audi cælum quòd facies mea ſordidata eſt, & terra luge, quòd veſtis mea ſciſſa eſt: & abyſſe cōtremiſce, quòd calceamenta mea denigrata ſunt. Vulpes fo-
Matt. 8. ueas habent, & volucres cæli nidos: ego autem adiutorem & conſolatorem non habeo, nec baculum ſuper quem incumbam, & à quo ſuſtēter. Et iterùm dicebat: Ego in corde patris

latui, quouſquè filius hominis, qui in virginitate conceptus & natus eſt, ſanguinem ſuum fudit, qui etiàm cum eodem ſanguine me ſibi deſponſauit & dotauit, quatenùs in pura & ſimplici regeneratione ſpiritûs & aquę, contractos & contaminatos à ſpuma ſerpẽtis, regenerarem. Nutricij autem mei, videlicet ſacerdotes, qui faciem meam facere deberent velut auroram rubere, & veſtem meam vt fulgur coruſcare, ac palliũ meum vt precioſos lapides radiare, & calceamẽta mea vt candorem fulgere, faciem meam puluere conſperſerunt, & veſtẽ meam ſciderunt, palliumque meum vmbroſum fecerunt, & calceamenta denigrauerunt, & qui me vbiquè ornare debuerant, me in omnibus his deſtituerunt.

Cõtra ſacerdotes indignè ſeſe gerentes.

Nam faciem meam per hoc ſordidant, quòd corpus & ſanguinem ſponſi mei cũ magna immunditia laſciuię morum ſuorum, & magna ſpurcitia fornicationum & adulteriorum, & peſſima rapina auaritiæ, vendendo & emendo quęq; inconuenientia tractant & accipiunt, atque tanta ſorde circunuoluunt, velut ſi infans in lutum ante porcos poneret.

fornicatio.
adulteriũ.
rapina.

Sicut enim homo, cùm Deus ipſum de limo terrę fecit, & in faciem eius ſpiraculum vitæ inſpirauit, mox caro & ſanguis factus eſt, ità etiàm eadem virtus Dei, oblationem panis & vini & aquæ ſuper altare, ad verba ſacerdotis Diuinitatem inuocantis, in veram carnem & verũ ſanguinem Chriſti, videlicet ſponſi mei tranſfert, quod tamen propter cæcitatem hanc, qua homo in caſu Adæ cæcatus eſt, homo carnalibus oculis videre non poteſt.

Gene.2?

Fixura nanq; vulnerum ſponſi mei recens & aperta eſt, quandiù vulnera peccatorum hominum patebunt. Hæc eadem vulnera Chriſti ſacerdotes, qui me candidam facere, & mihi in candore ſeruire deberẽt, in nimia auaritia ſua de Eccleſijs ad Eccleſias diſcurrẽtes contaminant. Veſtem quoquè meam per hoc ſcindunt, quoniam præuaricatores legis & Euangelij ac ſacerdotij ſui

ſunt, & pallium meum in hoc obſuſcant, quia præcepta quæ in eis inſtituta ſunt, per omnia negligunt, nec ea in abſtinentia velut in ſmaragdo, nec in largitiõe eleemoſynarum velut in Saphiro, nec in alijs bonis & iuſtis operibus (quibus Deus velut alijs generibus gemmarum honoratur) bona voluntate & perfecto opere complent. Sed & calceamenta mea ſuperiùs denigrantur: quoniam ipſi nec recta ſcilicet, nec dura & aſpera iuſtitiæ itinera habent, nec bona exempla ſubditis ſuis præbent, cùm tamen ſubtùs in calceamentis meis quaſi in ſecreto meo cãdorem veritatis in aliquibus habeam. Falſi quippe ſacerdotes in ſemetipſis decepti ſunt, quoniam honorẽ ſacerdotalis officij ſinè opere habere volunt, quod eſſe non poteſt, quia nulli merces, niſì præmiſſo labore operis, dabitur.

Smaragd⁹ ſobrietatẽ, ſaphir⁹ liberalitatem parit.

Meritum. Vbì autem gratia Dei hominem tangit, ibì ipſum operari, vt mercedem accipiat, facit. Cùm itaque varios dolores, qui hominibus contrarij ſunt, in vltione Dei pluat, & totam terram nebula obtegat, ità vt viriditas eius areſcat, & ornamẽta ipſius fuſca fiant, abyſſus quoquè contremiſcat, quoniam in vltione & dolore cum cælo & terra in furorẽ mouebitur. Principes enim & temerarius populus ſuper vos ô ſacerdotes (qui me hactenùs neglexiſtis) irruent, & vos abijcient & fugabũt, & diuitias veſtras vobis auferent, pro eo quòd tempus ſacerdotalis officij veſtri non attendiſtis. Et de vobis dicent: Adulteros iſtos & raptores & plenos omni malo, ab Eccleſia eijciamus. Et in hoc facto obſequium Deo ſe exhibuiſſe volunt, quia Eccleſiam per vos pollutam eſſe dicunt. Vndè ſcriptura dicit: Quarè fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt reges terræ, & principes cõuenerunt in vnũ. Nam permiſſione Dei, ſuper vos in iudicijs ſuis fremere incipient plurimæ gentes, & multi populi de vobis meditabuntur inania, cùm Sacerdotale officium veſtrum & conſecrationẽ

Pſal. 2.

veſtram

veſtram pro nihilo computabunt. His aſſiſtent in euerſione veſtra reges terræ,& terrenis rebus inhiabũt,& principes qui vobis dominabuntur, cõuenient in hoc vno conſilio,quatenùs vos de terminis ſuis expellant,quoniam innocentẽ agnũ à vobis per peſſima opera fugâſtis. Et audiui vocem de cælo, dicentem:Imago hæc Eccleſiam demonſtrat. Quapropter tu ô homo qui iſta vides & audis plangentia verba,hęc ſacerdotibus qui ad regendum & docendum populum Dei conſtituti & ordinati ſunt profer, quibus cum Apoſtolis dictum eſt: Ite in orbem vniuerſum,& prædicate Euangelium omni creaturæ. Cùm enim Deus hominem creauit, omnem creaturã in ipſo ſignauit, quemadmodùm in paruo loco membranæ, tempus & numerus totius anni deſcribitur.Et ideò Deus hominem nominauit omnem creaturam.Et iterùm ego paupercula fœminea forma,gladium euaginatum in aëre pendentẽ vidi,cuius acies vna ad cælum,altera ad terram verſa erat. Et gladius iſte ſuper ſpiritalem populum extendebatur,quẽ propheta olìm præuiderat,cùm admirando dicebat: Qui ſunt hi qui vt nubes volant,& quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Iſti etenim,qui de terra eleuati,& de communi populo ſeparati, ſanctè viuere & in columbina ſimplicitate morum & operũ eſſe debuerunt,nunc praui in moribus & operibus ſuis ſunt. Et vidi quòd gladius iſte quædam loca ſpiritalium hominum abſcindebat,quemadmodùm Ieruſalem poſt paſſionem Domini abſciſſa eſt. Sed tamẽ vidi quòd plurimos timoratos, puros & ſimplices ſacerdotes in aduerſitate iſta ſibi Deus obſeruabit,velut Heliæ reſpondit, vbi dicebat, quòd dereliquiſſet ſibi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorũ genua nõ ſunt incuruata ante Baal. Nunc autem inextinguibilis ignis Spirituſſancti,vt in meliorem partem conuertamini, vobis infundat.

Eheu hæc nimiùm vera.

Mar.16.

Eſa.60.

Conſolatorium.

3.Reg.19.

FRA-

FRATRES IN HAGENHE, Hildegardi.

Can.2. HIldegardi caſtæ columbæ in foraminibus pe-
træ latitanti, fratres heu conturbati in Hagé-
he, orationum ſuarum deuotionem, & quod
ſpectat ad æternam ſalutem. Quoniam Dei
Matt.5. gratia, lux veſtra coram hominibus ſalubri-
ter lucet, patrem veſtrum qui vos ardentem
lucernam ad illuminationem Eccleſiæ ſuppoſuit, glorifica-
mus, & quanuis peccatores, ſanctitati tamen veſtræ, qua cæ-
leſtis ſponſi amplexibus ſingulari priuilegio inhæretis, cordi-
aliter congaudemus. Charitatem etiàm veſtram ignorare no-
lumus, quòd die noctuq; vos facietenùs videre deſideramus,
Rom.1. & aſſiduè veſtrî memoriam in orationibus noſtris facientes,
vos abſentẽ corpore, quaſi pręſentem interdùm amplectimur
mente. Ergò perfectionem veſtram humiliter deprecamur, vt
Can.2. ſponſo veſtro, ſub cuius vmbra ſecurè requieſcitis, nos iuxta
viam mendicantes commendetis, nè pręteriens turba clamo-
Luc.18. res noſtros compeſcat: ſed orationibus veſtris ad Dominum
adiuti, mereamur à cęcitate cordium noſtrorum illuminari.
Hoc autem idcircò dicimus, vt diſſenſionem, quã in loco no-
ſtro ortam eſſe ſcitis, quemadmodùm incepiſtis, (Spirituſan-
cto vos docente) ſedare & extirpare non omittatis: & vt per
hoc quoquè literas cõmonitorias nobis tranſmittatis, quia
niſì citiùs extinguatur, periculum magnum tam animarum
quàm corporum facilè incurremus. Gratia Spirituſſancti quę
vos interiùs docet, & multa ſecreta vobis demonſtrat, hæc
etiàm nobis, ſecundùm quod ſibi placuerit, manifeſtare di-
gnetur.

CON-

CONGREGATIONI FRATRVM in Hagenhe, Hildegardis.

EGo paupercula forma, multa ægritudine diù grauata, per veram ſapiẽtiam cogebar, vt hæc verba ipſius, populo loci huius proferrem. Et audiui quòd eadem ſapientia populo huic opus ſuum proponebat, ſcilicet, quomodò cælum & terram in recta menſura conſtituiſſet, quatenùs fratres eiuſdem populi cognoſcerent, qualiter inſtitutio eorum primitùs conſtituta eſſet, & qualiter nunc deſtituta eſſet. Et dixit: Gyrum cæli circuiui, altitudinem & profunditatẽ eius ità conſtituens, nè rectũ modũ ſuũ ſuperexcellerent: & latitudinem totius orbis ſic ordinaui, nè ipſa mẽſuram ſuam inordinatè excederet. Solem quoq; feci, vt in die luceret, & tenebras obtegeret: & lunam, vt in nocte cũ ſtellis clareſceret. In verbo quippe illo, cùm Deus dixit, Fiat, omnia hæc facta ſunt, vt etiàm nunc perſiſtunt: vndè in his velut in ſpeculo vos populi conſiderate, quatenùs in hoc quod incepiſtis, permaneatis. Deus enim homini ſpiraculum vitæ inſpirauit (Geneſ. 2.): & ità viuificatus, caro & ſanguis factus eſt. Deindè autem conſortium angelorum cum laude & miniſterio illi dedit, & reliquam creaturam illi ſubiecit. Nam Deus lumen æternitatis illi conceſſerat. Sed ipſe in omni honore iſto vermem audiuit, & ità pręcepta Dei pręuaricando obcęcatus & extinctus eſt. Vndè diabolus in ſe gauiſus, ait: Deum quem in cælo ſuperare nequiui, in opere ſuo, videlicet in homine, qui alius deus eſt, ſuperaui. Diabolus nanque hominem deum nominauit, quemadmodùm etiàm ſeipſum eſſe deum voluit. Sed Deus in antiquo conſilio, quod ante æuum in ſe habuit, com-

computabat, quomodò ordinationem ſuam ità obſeruaret, vt ei in illa nullus reſiſtere poſſet, & idem antiquum conſiliũ à ſcientia omnium creaturarum in ſeipſo abſcondit, vndè & Diabolus illud nec ſciuit, nec ſcit, atque eiuſdem conſilij vſq; in nouiſſimum diem inſcius erit, vbì tunc in maxima confuſione ſua eiuſdem conſilij, quędam ſentiet & cognoſcet, per quæ per omnia confundetur. Nam Diabolus hominem inſeparabiliter perditum, vt ipſe voluit, putabat. Homines enim in magna ſęuitia & obliuione Dei, ſe homines fore oblíti, inhumanè vixerunt, quouſquè idem antiquum conſiliũ quendam ſanctificatum populũ ſibi elegit. Et Deus ſobrietatem & virginitatem in Abel præſignauit, qui propter iuſtitiam martyr effectus, hoc fecit quod pater ſuus facere neglexit. Sanctificati autem populi, ſe homines eſſe cognoſcebant, & humanè viuebant, de quibus etiàm Noe ſurrexit, quem Deus in arca obſeruauit. Sed Deus volens iniquitatem ſubmergere, os abyſſi aperuit, & plurimam creaturam in aqua ſubmerſit: & tunc per ſemetipſum iurauit, quòd nequaquàm vltrà omnem carnem aqua perderet, recordans, quia homo per aquam regenerandus & ſaluandus eſſet. Poſt diluuium verò, antiquum conſilium multa miracula ad confuſionẽ diaboli oſtendebat, qui de occiſione Abel intra ſe gaudebat, dicẽs: Eccè opus Dei quod de paradiſo eieci, in terra diuiſum iacet. Sed Noe ſanctificatus, in Spirituſancto operatus eſt, & altare Deo ędificauit, in quo antiquum conſilium altare illud præſignauit, quod Iohannes in Apocalypſi vidit, ſup quod orationes ſanctorũ aſſcendebant. Cùm enim homo in pœnitentia peccatorum orat, & cùm ſalutem à Deo quærit, ſanctus nominatur. Antiquum quoquè conſilium plurima ſigna in Abraham operabatur, qui patriam & cognationem ſuam cum propria volũtate ſua reliquit, & duram legem, per quam mors confuſa, & ſerpen-

Sobrietas. Virginitas. Noe. Gen. 6. Gen. 9. Baptiſmus. Apo. 8. Abraham.

ſerpentis nequitia inſanabili vulnere vulnerata eſt, in ſancti-
tate inijt, quandò præcepta Dei adimpleuit, quod Adam non
fecit, cùm præceptum Dei præuaricatus, voluntatem ſuã ſe-
cutus eſt. Idem etiàm cõſilium, purificationem legis in Moy- Moſes.
ſe conſtituit, & per ſanguinem hircorum & vitulorum pręſi-
gnauit, quòd innocens agnus pro homine immolandus eſſet.
Nam filius Dei de corde patris exiens, de virgine natus eſt, &
omnia hæc per ſemetipſum impleuit. Virginitas in filio Dei Virginitas
ſurrexit, quæ erecto vexillo cælos penetrauit, quoniam idem
filius virginis totus integer, totus ſanctus fuit, & per eum ma-
gnus ordo virginum ſurrexit, quem vetus lex non cognoue-
rat. Sed & ipſe ſacerdos fuit, cùm ſeipſum in ara crucis pro ho-
minibꝰ immolauit, cui etiàm ſacerdotes in ſacerdotio ſuo ad-
iuncti ſunt, qui angelos imitari debent, qui nuncij DEI exi-
ſtunt. Angeli quippe opera hominum ex debito officij ſui ve-
lut ſcripturam Deo oſtendunt, quod & ſacerdotes faciunt, cũ
peccata hominum per pœnitentiam ſuſcipiunt, & ea per in-
dultam miſericordiã Deo oſtendunt. Sic & villicus fecit, qui Luc. 16.
diffamatus eſt apud dominum ſuum, quaſi diſſipâſſet bona
ipſius, cùm vnumquenque debitorem domini ſui minus ſcri-
bere iuſſit quàm deberet. Villicus etiàm iſte, ſynagoga eſt, quę Villicus Euangelicus.
nullam liberationem per ſanguinem hircorum & vitulorum
habere potuit. Sed immolationem innocentis agni præfigu-
rauit, per quem officio ſuo priuari timuit, & intra ſe dicebat,
quòd ſufferre non poſſet duritiam legis quæ iuſſit, ſi quis hoc
vel illud fecerit, morte moriatur: & etiàm erubeſcat quòd fo-
ràs proijceretur, ità vt in nulla petitione miſericordiæ refice-
retur. Ex qua dum multi in filio Dei ad indulgentiam cõuer-
terentur, ipſa pro indulgentia meritę pœnę laudabatur: quia
dum ſeruus per pœnitentiam & confeſſionẽ Domino ſuo re-
tributionem dederit, ab illo multùm laudatur, quoniam cum

Luc.7. multùm dilexit, quemadmodùm Maria Magdalena Chriſtū dilexit, ſcriptura hæc ſacerdotibus adeſt, vndè etiàm decet illos, vt Chriſtū imitentur, & caſtitatem ament, & inceſtū fugiant. Filius nāq; Dei, vt iniuſtos iuſtos faceret, in cruce paſſus eſt, & etiàm ipſos ad ſe trahit, vt de villico dictum eſt. Sed Gen.4. Abel pro iuſtitia martyr extitit. Poſt paſſionem autem filij Dei multitudo martyrum exorta eſt, qui pro fide & confeſſione ipſius paſſi ſunt, quos etiàm alij martyres comitantur, ſcilicet illi qui contra peccata & vitia pugnando, ſe vincūt. & iſti p̄dictorū martyrum pennę ſunt. Qui aūt hos iniuſtè perſequūtur, vindicta Dei ſuper illos cadet. Sed & illi qui virginitatem tribulando perſequuntur, ità quòd illam doloribus perfundunt, vindictam Dei non effugient: & ideò multotiès accidit, quòd nobiles ex iudicio Dei ignobiles, & diuites egeni efficiuntur, & ꝙ multis alijs periculis & calamitatibus ſubijciunt. Qui verò ſacerdotale officium ſuum iniuſtè premunt & blaſphemant, hi in reatu ſuo ſimiles ſunt Cain, qui fratrem ſuum occídit: vndè pœna illius conſtringendi & puniendi ſunt. Sacerdotale nanq; officium, in magiſterio ſuo à Domino Deo Pro.9. eſt. Itaq; Sapientia in turba loci huius turrim ædificauit, quā baccis, topazio & ſaphiro exornauit, & in ipſam ſpeculatores poſuit, & iuxta eam torcular conſtruxit: quod quibuſdam hominibus commiſit, qui vinū in ipſa exprimerent: atq; ſecus illud domū etiàm fecit, in qua alios eſſe iuſſit, qui oīa quæ ad agros ſuos pertinebant, procurarent. Sed tempeſtas valida & peſtifera inſaniæ exorta eſt, ità ꝙ homines prędictum torcular cuſtodiētes, ad eandē turrim iacula emittebāt, & ꝙ alij in prę- fata domo manentes, ſaxa contra ipſam turrim proijciebant. vndè & illi qui in ipſa turri erant, lapides aduersùs iſtos iaciebant. Turris hęc altitudinē magiſterij deſignat, q̄ baccis, videlicet illis qui à pueritia in innocētia & ſanctitate vixerūt, decora-

Punitio eorū qui Sacerdotes cruciant.

coratur, & q̃ topazio, i. his qui optimam partem eligentes, ſeculo renunciant, elucidatur: & q̃ Saphiro, videlicet ipſis qui propter amorē Dei pompā ſeculi & ſemetipſos abnegant, exornat: In iſta ſpeculatores ſunt, videlicet hi qui ſubiectis ſuis in magiſterio præſunt. Torcular autem officium illorum oſtendit, qui per conſecrationem iugati, miniſterio paſſionis Chriſti ad altare inſiſtunt, & vineam Domini Sabaoth colūt & conſeruant. Sed domus, cuſtodiam & conſtrictionē iſtorū demonſtrat, qui idiotę exiſtentes, & in ſeculo viuentes, ſeculū & ſemetipſos propter Deum relinquunt, & in neceſſarijs rebus corporalibus laborant, & tamen ſpiritalem vitam cōſeruant: tempeſtas verò temeritatem notat, in qua in torculari manentes, ad Prælatos ſuos acumina ſuperbiæ mittunt, & per quā etiàm in domo ſtantes, duritiam inobedientię contra ipſos dirigūt: quapropter ijdem prę lati ad iniuriam prouocati, ſe immites per verba iracundiæ ſubiectis ſuis exhibent. At omnibus iſtis ſapientia inducias emendationis conſtituit, quemadmodùm in Euangelio cultor vineæ ad dominum ſuum de ficu dicebat: Domine, dimitte illam & hoc anno vſquedum fodiam circa illam, & ſtercora mittam. Luc. 13. Nam fodere circa illam, eſt, vt homo voluntatem proprietatis ſuæ premat: alioquin nunquàm obedire poterit: ſed mittere ſtercora, eſt in humilitate & ſubiectione prę lato ſubdi. Cùm enim homo ad obediētiam ſe inclinat, omnia carnalia deſideria & ſemetipſum quaſi pro luto computat. Nunc itaq; ego paupercula & debilis forma, vobis loci huius præfatis fratribus dico: Inextinguibilis vitæ ignis in vobis ardeat, & vos lumine ſuo ità perfundat, ità vt in ipſo ꝑmanere valeatis, vt priùs incepiſtis. Nam cùm fructuoſum tempus correctionis & emendationis in vobis ſurrexerit, lapides turris veſtræ fulgorem ſuum, vt priùs erat, recipient.

SEQVVNTVR TRIGINTA OCTO QVAESTIONVM SOLVTIONES PER EANDEM S. HILDEGARDEM, VVIBERberto monacho Gemblacenſi tranſmiſſæ.

VVIBERTVS MONACHVS, Hildegardi.

Gemblacenſis monachus.

MAtri ſanctiſſ. Hildegardi, Vuibertus. Gaudium quod de viſione & collocutione tua, cum abbate noſtro tempore quadrageſimali, ad te proficiſcendo, diuinitùs mihi indultum credideram, ad tempus quidem mihi inuidia (vt puto) diaboli ſublatum eſt. Nam cum Coloniam vſq; proceſſiſſemus, iter noſtrum impediente Sathana, & per iniquas carnalium propinquorum ſuorum ſuggeſtiones propoſitum abbatis ad te protendendi conturbante, vlteriùs deſtitimus. Sed ſpero, quia quod oblatum mihi doleo, opportuniori tempore, remotis omnibus impedimentis, gratia mihi Diuina reſtituet. Interìm tamen de quæſtionibus illis, quas per me fratres Villarenſes ad te ſoluendas mittebant, quasq; ego reuocatus ab itinere, tibi perferendas, dilecto mihi Baldo commiſi, ſquid actum ſit, vehementer ſcire cupio, vtrùm videlicet, néc ne, ad te peruenerint. Quòd ſi peruenerunt, obſecramus omnes, noſtræ partis amici tui in ſpiritu, tuis affuſi pedibus, vt mare ſolutionis earum fidutialiter ingrediens, auræ ſpiritusſancti vela committere nõ pertimeſcas, tali

tali duce freta ſinè difficultate, placido potui mox adlapſura. De quibus etiàm precor, vt cum præſcriptis literis Villarenſium & noſtris, ſolutionibus earum præſcribas, vt alteræ ex alteris gratiores fiant, & clariùs eluceſcant.

RESPON. HILDEGAR.

CHaritas, quæ cum abſtinentia peccatorum Charitas.
fidem inſtruit, & caſtitatem cum patientia
ędificat, columnæ quæ quatuor partes do-
mûs ſuſtinet, ſimilis eſt. Ipſa enim charitas
plantauerat hortum valdè glorioſum cum
precioſiſſimis aromatib⁹ & nobiliſſimis flo-
ribus, roſis & lilijs, qui ſuauiſſ. odorem ſpirabant, in quibus
verus Salomon oculos ſuos paſcere ſolebat. Hortus iſte vir-
tutes ſanctas deſignat, quas Deus, qui vera charitas eſt, in vir-
ga Ieſſe operatus eſt, Maria videlicet, quæ in caſtitate floruit,
& nobiliſſ. florem protulit. De flore iſto vox turturis audita Cant. 2.
eſt, quę virginalem naturam vocauit, quam lilium ſignificat,
quod in ſuo ſtipite candidos flores, cum fragrantia gratiſſ.
odoris emittit. Sicut & ipſa virginitas propter dulciſſ. odorē Virginitas.
bonæ intentionis in mundo honoratur. Eremitæ quoquè ſi-
ue monachi, qui propter CHRISTVM ſeculo renunciaue- Monachi.
runt, ſinè ſocietate ſecularis pompæ viuere debent, ſicut vir-
go poſt votum ſinè memoria viri, quia virgines & monachi
inter angelicos ordines idem ſunt, quoniam ſicut angeli nihil
aliud quàm faciem Dei inſpicere deſiderant, ſic & ipſi omni-
bus pompis ſecularibus abiectis, agnum Dei, Chriſtum ſcili-
cet, crucem eius baiulantes, ſequuntur, in quibus propter ve-
rum contemptum ſeculi rutilantes flores paſſionis Domini-
cæ generant. Nunc ô fili Dei, in valle veræ humilitatis poſi-
tus,

tus,in quiete ambula ſinè elatione,quæ præcipiti monti aſſimilata,difficilem & velut impoſſibilem aſſcenſum vel deſcenſum præbet innitentibus,& in cuius ſummitate nullum ædi-
Malum ſuperbię. ficium patet. Homo enim qui tentat altiùs aſſcendere, quàm poſſit peruenire,ille nomen ſanctitatis abſq; ſecuritate poſſidet,quia ſolo nomine ſinè ædificio bonorum operũ & quadam inepta lętitia mentis gloriatur. Tu enim glorioſiſſ.hortũ quem charitas plantauit,adſpice,& vnamquanque virtutem in vera humilitate & ſimplicitate cordis ad te collige:& licèt inter varias hominum mentes conſtitutus ſis, diſce tamen, quoniam longanimiter & patienter omnes nos Diuina bonitas tolerat. Fuge etiàm inconſtantiam pigri ſerui, qui hodiè vni domino,cràs alteri ſeruit: & gladio verbi DEI viriliter accingere,exemplo fortiſſimorum militum, qui lectũ veri
Cant. 3. Salomonis ambientes cuſtodiunt.Mentis quoquè tuæ ſinceritatem cũ vigilantibus oculis Deo omnipotenti,nè in dubio dormire incipias,iterùm atq; iterùm commenda.Et eſto probus & dilectus miles veri Salomonis,quem pro victoria quotidianę pugnę diligit & coronat.Spiritusſanctꝰ igne ſui amoris te accẽdat,vt in amore ſeruitij ſui indeficiẽs pſeueres,quatenùs viuus lapis cęleſtis Ieruſalẽ quandoquè fieri merearis.

QVAESTIO.

Eccl 18. Gene.1. Quomodò intelligendum eſt quod legitur, Qui viuit in æternum,creauit omnia ſimul,cùm per ſex dies opera ſua Deus diſtribuiſſe referatur.

SOLVTIO.

OMnipotens Deus,qui ſinè initio & ſinè fine vita eſt,& qui omnia in ſcientia ſua æternaliter habuit, materiam omnium cæleſtium & terreſtrium ſimul creauit,cælum ſcilicet,lucidam materiam, & terram, quæ turbulenta materia erat.Iſta verò lucida materia, de claritate quæ æternitas eſt, ſicut

ſicut ſpiſſa lux fulminabat, quæ etiàm ſuper turbulenta materia lucebat, ità quòd ei adiuncta erat: & iſtæ duæ materię ſimul creatæ ſunt, vt vnus circulus apparuerint. In primo nanq;, Fiat, angeli de prędicta lucida materia cum eorum habitaculo proceſſerunt: & quia Deus, Deus & homo eſt, ad faciem patris angelos creauit: & hominem, de quo tunica induendus erat, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam formauit. Sic quoquè ad imperium omnipotētis Dei, cùm diceret, Fiat, quælibet creatura de turbulenta materia ſecundùm ſpeciem naturæ ſuæ apparuit. Sex enim dies, ſex opera ſunt: quia inceptio & completio ſinguli cuiuſq; operis, dies dicitur. Poſt creationem etiàm primæ materiæ nulla mora fuit, ſed mox quaſi in ictu oculi, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, nec etiàm poſteà mora aliqua erat: ſed Deus ilicò dixit, Fiat lux. Gene. 1.

QVAESTIO.

Quid eſt quod ſcriptum eſt, Diuiſit Deus aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quę erant ſuper firmamentum? Nunquid credendum eſt, materiales aquas ſuper firmamentū eſſe? Gene. 1.

SOLVTIO.

DEVS aquas quæ ſuper firmamentum erant, ab his quę ſub firmamento erant, ideò diuiſit, vt ſicut inferiores aquæ terrenis conſtitutionibus aſſunt, ità etiàm & ſuperiores aquæ ſuperioribus conſtitutionibus adeſſent. In aquis em̄ ſuperioribus nihil eſt quod creſcat aut deficiat, ſicut in iſtis inferioribus aquis, in quibus quicquid viuit, hoc quēadmodùm homo creſcit & deficit. Sed illæ ſuperiores aquæ in primo ſtatu ſuo ſicut Deus eas conſtituit, perſiſtunt, & in circulo ſuo fluunt, & materiales ſunt, non tamen vt aquæ inferiores, quoniam multò ſubtiliores & noſtris viſibus omninò inuiſibiles exiſtunt, quarum humiditate & ignis ibi extantis calore, deſupèr firmamentum ſolidatur, velut corpus per ani-

mam ſubſiſtit, nè diſſoluatur. Aquæ verò inferiores iſtæ de ſub firmamento groſſiores, ſpeculum ſunt cęleſtium luminarium, ſolis ſcilicet, lunæ & ſtellarum, quæ infinita diuerſarũ ſpecierum animalia continent, quæ in eis naſcuntur & ſubſiſtunt. ideoq; officia ſuperiorum & inferiorun aquarum in cunctis diſſimilia ſunt.

QVAESTIO.

Antequàm primus homo peccaret, videbat ipſe corporeis oculis Deum, vel viſuri ſumus nos eum corporeis oculis, cùm
1. Cor. 15. ſecundùm Apoſtolum, corpora ſpiritalia in reſurrectione receperimus?

SOLVTIO.

IN reſurrectione cùm homo corpus ſpiritale receperit, & cùm idẽ corpus animæ inſeparabiliter vnitum fuerit, ſplendidam faciem ſanctæ Diuinitatis cum angelis ſinè fine intuebitur. Adam nanq; qui ità ſapiens & perfectus à Deo formatus erat, quòd ſcientia & ſapientia ſuper omnes homines repletus fuit, Deum in Diuinitate ſua, ſicutì eſt, nunquàm videbat: Sed quandam claritatem de vultu eius procedentem, exterioribus oculis vidit, in qua eum verum Deum eſſe veraciter cognouit. Sicut enim ante peccatum cùm adhuc anima ipſius corpori ſuo dominaretur, oculis ſuis qui per innocentiam tunc ſpiritales fuerunt, prædictam claritatem inſpexit, quod poſteà facere non potuit, quia viſionem iſtam in paradiſo poſt peccatum ſtatìm perdidit, cùm oculi eius in præuaricatione præcepti Dei, quod antè cognouit, per carnale deſiderium aperti ſunt.

QVAESTIO.

Gen. 2. Quo genere locutionis vſus eſt Deus, & in qua ſpecie primo homini apparuit, cùm præceptum ei dedit, & in qua, cùm poſt peccatum in paradiſo deambulauit?

SO-

SOLVTIO.

OMnipotens Deus angelicis verbis Adæ locutus eſt,quę ipſe benè cognouit & intellexit.Per ſapiētiam enim ſuam quam à Deo acceperat,& per ſpiritum prophetiæ oēs linguas quę per homines poſtmodùm inuentæ ſunt, tunc in ſcientia ſua habuit,ac naturas omniū creaturarum ad plenū nouit.Dominus etiàm cum inæſtimabili claritate ipſi apparuit, in qua nullius creaturæ forma fuit,& iterùm poſt peccatum deambulans in paradiſo, in flamma ignis apparuit.

QVAESTIO.

Quid eſt hoc quòd Deus dixit, Eccè Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt,ſciens bonum & malum? Gene.3.

SOLVTIO.

HOc tale eſt: Adam per ſcientiam boni & mali, aliquid commune nobiſcum habuit,ſed bonum in ſcientia boni deſeruit,malum in ſcientia mali,cum guſtu vetiti ligni elegit.Et iterùm : Adam à nobis alienatus, quia bonum quod priùs experimento cognouit,per conſilium ſerpentis cōtempſit,& per guſtum delectatiōis, malum priùs inexpertum,illi conſentiendo,perfecit.Et iterùm dixit: Videte nè fortè ſumat de ligno vitæ,& viuat in æternum.Hoc Deus ideò dixit, quia in magna miſericordia ſuper opus ſuū,ſcilicet hominem qui peccauerat,mouebatur,nè ipſe à gloria ſic mutatus,miſerabiliter in ęternū viueret:& eum hoc modo,quēadmodùm pater filiū ſuū,qui ab eo diſcedere vult, ad ſe miſericorditer traxit. Ipſe enim hominem,quem indumentum verbi ſui præſciuit, valde diligebat: nam etiàm omnem creaturam ad ſeruitium ſuum creauit,& eum in locum, vndè ille lucidus velut cadauer in mortem cecidit,deputabat.

QVAESTIO.

Quales oculi primis parentibus aperti ſunt,cùm ante pec-

Gen.3. catum ambo viderent. Vndè dicit, Vidit mulier lignum &c.

SOLVTIO.

7 PRimi parentes ante originale peccatum (anima per innocentiam corpori dominante) ſpiritales oculos habebant. Sed ipſis poſt peccatum ſpiritali viſione eorundem oculorum priuatis, atq; per cõditionem peccati mortalibus effectis, carnales oculi aperti ſunt, ità quòd per ſciẽtiam mali, opera peccatorum videndo & cognoſcendo, ſecundùm deſideria carnis, diabolo ſuadente, faciebant. Sic etiàm omnem gloriã quã priùs habuerant, ità obliuioni tradiderunt, quòd vix aliqua eorum recolebant, ſicut homo qui rem aliquam de longè conſpiciens, vix conſiderare poteſt quid ſit, & ſicut etiàm vmbra pertranſit, quæ in ſpeculo videtur.

QVAESTIO.

Quid eſt quod Dominus dicit ad NOE & ad filios eius, Gene.9. ſanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis? Et paulò pòſt, Quicunq; effuderit humanum ſanguinem, effundetur ſanguis eius?

SOLVTIO.

8 DEVS poſt nouiſſimum diem in reſurrectione per indumẽtum hominis de manu, id eſt, de mobili natura, cunctarum beſtiarum ſanguinem animarum Noe & filiorũ eius ac totius humani generis (qui ſedes animæ eſt) requiret, quoniam ipſe nõ vult vt anima alio corpore aut ſanguine induatur, niſi illo quod ipſa calefecit, & qui ſedes ipſius fuit. Ipſe eñ in potenti præſcientia ſua, qua hominem de limo terræ, ſpiraculum vitæ, quod anima eſt, cum carne & ſanguine formandum, vt eum poſteà formabat, prẹſciuit, in eadem præſcientia Homicidę. ſua, eum etiàm reſurrecturũ, requiret. De manu etiàm hominis ſanguinem animarum requiret, ità ſcilicet, vt homo ille qui proximum ſuum comprimendo, animam ſuam emittere

facit,

facit, per macerationem carnis & ſanguinis ſui in pœnitẽtia, cum mœrore plangentis vocis, ad Deum creatorem ſuũ ſemper clamet, quoniam animam illius quam ipſe creauerat, vulneribus mortis exire coëgit. Quicunque autem effuderit ſanguinem humanum, hoc quaſi pro vano ducens, ſinè labore emiſſi ſudoris, ſuper hũc iudicium Dei vel per ferrum, vel per paupertatem, vel diuitiarum ſuarum amiſſionem, & ſi non ſuper eum, qui reus ſanguinis factus eſt, ſuper filios tamẽ eius & nepotes inducetur.

QVAESTIO.

Qualia corpora habuerũt Angeli qui apparuerunt Abrahæ, quibus ſimilam, vitulum, butyrum & lac appoſuit, & comederunt? Gene. 18.

SOLVTIO.

Tres angeli, qui apparuerunt Abrahæ ſedenti ad oſtium tabernaculi, in humana forma apparuerũt, quia ſicut ab homine, nullo modo videri poſſunt, Immutabilem quidẽ ſpiritum mutabilis homo videre non poteſt, & hoc eſt ex inobedientia Adæ, qui ſpiritalibus oculis in paradiſo priuatus, in omne genus humanum cęcitatem ſuam tranſduxit. Omnis creatura (quod homo eſt) vmbram ſuam habet, quæ hominẽ in indeficientem vitam renouandum eſſe ſignificat. Et ſicut vmbra hominis imaginem ſuam oſtẽdit, ſic & angeli, qui naturaliter inuiſibiles ſunt, per corpora quę de aëre ſumunt, eis ad quos mittuntur, in humana forma viſibiles apparent, moribus illorum ſe aliquantulùm contemperantes, non angelicis loquelis, ſed talibus verbis, quæ intelligere poſſunt, eis loquũtur, ipſiq; vt homines comedentes, ſed eorum cibus euaneſcit tanquàm ros, qui ſuper gramen cadens, à calore ſolis in momento diſſoluitur. Maligni verò ſpiritus, ſpecie cuiuſlibet naturæ ad ſeducẽdos homines vtuntur, eius creaturæ na-

9

Quid vmbra.

 turã.

turam cõſiderantes, quæ vitio illi comparetur, per quod hominem quem impugnant, ſuperare poſſint, quemadmodùm tentator etiàm per ſerpentem ſeduxit.

QVAESTIO.

Geneſ.24. & 48.

Cur Abraham & Iacob, ille ſeruo, iſte filio, pręceperunt, vt iuraturi, manus ſuas ſub femoribus eorum ponerent?

SOLVTIO.

10 ABraham, qui ad præceptum Domini patriam & cognationem ſuam reliquit, per vulnus carnis ſuæ (quod ſignaculum fidei fuit) tanquàm glorioſus ſignifer, ad prælium contra vitia pugnaturus proceſſit. Ipſe enim per gratiam ſpiritus ſancti vexillum ſanctitatis præ cæteris portabat, & per fidem operum ſuorum, priuilegium ſummæ ſanctitatis obtinuit. Vndè in iuramento ſub femore, ſanctam humanitatem Chriſti præſignauit, qui antiquo conſilio omnipotentis Dei, de ſemine ipſius deſcenderet per humanitatem ſuã, conſilium antiqui ſerpentis, hominem liberando, deſtruxit.

Humanitas Chriſti

QVAESTIO.

Gene.23.

Quarè in ſpelunca duplici, quã emit Abrahã à filijs Heth, ſancti Patriarchæ tanto deſiderio ſepeliri voluerunt?

SOLVTIO.

Vetus lex & noua.

11 PER ſpeluncam duplicem, quam in ſepulturam Abrahæ ſibi precio comparauit, vetus lex & noua figuratur, quia ſicut anima in corpore, ſic noua lex in veteri latebat, & in his duabus mors, quæ per mulierem ſubintrauit in mundum, ſepulta eſt: ſancti verò patriarchæ in eadem ſpelunca ſepeliri deſiderabant, quia ſpiritu prophetiæ attacti, Sacramentum nouæ legis in veteri cognouerunt, vt etiàm in virga Aaron, quæ floruit, ſacramentum filij Dei in redẽptione hominis latebat, quoniam in creatura creatorem cognouerunt, vt etiàm in ſacrificio agnorum & arietũ Chriſtus paſſurus ſignificabatur.

Nume.17.

QVAE-

QVAESTIO.

Fuít ne verus ignis, qui Moyſi in rubo apparuit, & rubum non combuſſit, vel qui in monte Sinai reſplenduit, vel qui in die Pentecoſtes ſuper diſcipulos in linguarum modum cecidit, vel qui ſuper caput beati Martini Sacramenta celebrantis apparuit? Exo. 3. Exo. 19. Acto. 2.

SOLVTIO.

IGnis qui Moyſi de medio rubi flammantis, & non ardentis, viſus eſt, Spirituſſanctus credendus eſt: ſcintillæ verò proſilientes, diuerſarũ dona virtutum. Varia quidem huius ignis apparitio, nequaquàm de ſuperiorum elementorum coruſcatione deſcendit. Sed de igne qui vita eſt, & qui ſibi adhærentia non exurendo diſſipat, ſed viuificando confirmat. Spirituſſanctus. 12

QVAESTIO.

Quid eſt, quod in lib. Reg. de Arca dicitur, In Arca nõ aliud eſt, nisì tabulę teſtamenti: & in Epiſtola ad Hebræos legitur, Poſt velamentum aliud tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam teſtamenti circuntectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulę teſtamenti? 3. Reg. 8. 2. Par. 5. Heb. 8. Nume. 17.

SOLVTIO.

QVi dixit, nõ aliud in Arca populo Iſraelitico in magna veneratione habita contineri, quàm tabulas teſtamenti: ille nec plus in ea eſſe cognoſcebat, nec etiàm plùs indè ſcire quærebat: Paulus verò, qui ob ſpiritûs ſui profundam ſciẽtiam, Diuina gratia reuelante, plus alijs ſapiebat, quid ampliùs in arca ſecreti ſeruaretur, pleniùs edocuit. 13

QVAESTIO.

Nunquid verè credendus eſt Samuel ad inuocationem Phytoniſſæ euocatus? 1. Reg. 28.

SOLV-

SOLVTIO.

SAul qui propter peccata ſua à Deo reprobatus & derelictus fuit,euentum futuri prælij per phytoniſſam ſcire volebat,vndè Samuelem à mortuis ſibi euocari prçcepit, qui ei indicaret quod querebat.Sed hoc nullo modo fieri potuit,qa impoſſibile eſſet,vt ſanctus & iuſtus homo, poſt mortẽ mendaciũ loqueretur, cùm nulla fidelis vel infidelis aĩa à corpore ſoluta,mẽdacium loqui poſſit.Aĩæ nanq; Samuelis & Saulis ęqualẽ manſionẽ habere non poſſunt, qa Samuel fidelis amicus Dei fuit,& Saul præceptorum eius rebellis præuaricator extitit.Diabolus etiàm hominem per nullius hominis animã decipere poteſt, ſed per phantaſiam & per formã alicuius creaturæ eum decipit.Saul enim regnum cum vita amiſit,quia à Deo receſſerat:ſicut etiàm Adam propter præuaricationem,à gloria paradiſi nudatus,filius mortis effectus eſt,ideoq; quod inquirebat apud Dominum,obtinere non potuit.

QVAESTIO.

1. Cor. 13. Quid eſt quod Paulus dicit, Si linguis hominum & angelorum loquar? Quæ ſunt linguæ angelorum?

SOLVTIO.

ANgeli qui ſpiritus ſunt,niſì propter hominem verbis rationalitatis non loquuntur, quoniam linguæ eorum ſonans laus ſunt.Homo enim,qui omnia quę ſonãt,per ſonũ eorum cognoſcit,iocunditatem cordis ſui in ſono vocis, quã cum ſpiramine animę leuat,oſtendit.

QVAESTIO.

Ephe. 3. Quæ eſt longitudo, & latitudo, & ſublimitas, & profundum,q̃ Paul⁹ optat Epheſios cõpręhendere cũ oĩbus ſanctis?

SOLVTIO.

PEr longitudinem iſtam, Diuina eſſentia, quæ ſinè fine & initio eſt,intelligitur: quoniam ipſa ab opere ſuo, quod

quod initium habet, in nulla aſſcenſione vllius ſcientię compręhendi poteſt. Per latitudinem verò, infinita poteſtas Dei ſignificatur, quæ à nullo incepit, & quæ proficiendo non augetur, nec deficiendo minuitur. Per ſublimitatem nanq; claritas ſanctæ Diuinitatis, quæ nunquàm clareſcere incepit, & cuius fulgor nunquàm tranſibit, accipienda eſt. Per profundum aũt, deſignatur, ꝙ Deus in his tribus prędictis viribus cõtra abyſſum aquilonis, qui in poteſtate ſua ſunt, & qui nequaq̃ ei reſiſtere valent, pugnat, in cuius claritate om̃es ſancti compræhenduntur, qui eum amauerunt, & cum eo in bona perſeuerantia miniſterij ſui, cũ fide & operibus perſtiterunt.

QVAESTIO.

Quid eſt quod Apoſtolus dicit, In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus? Act. 17.

SOLVTIO.

IN ipſo cum elementis mouemur, quibus ità vtimur, quòd omnia quę ad vſum noſtrum pertinent, ab eis quærimus: in ipſo etiàm illuminati & per ſpiraculum vitę viuificati viuimus, per quod eum Deum & creatorem noſtrum eſſe cognoſcimus. In ipſo etiàm ſumus, quia finem vitę in anima, qualiacunq; merita ipſius ſunt, nunquàm habebimus, per quam cũ omni ſenſualitate noſtra cum elementis & in elementis, ſicut ventus volamus & mouemur. 17

QVAESTIO.

Quid eſt, quod idẽ dicit, Nocte & die in profundo maris fui? 2. Cor. 11.

SOLVTIO.

PAulus, labores ſuos attendẽs, verba iſta in mœrore dixit, per ea oſtendens, quòd ex permiſſione Dei in ærumnis & laboribus fuit, quaſi in periculis tempeſtatum & fluctuũ maris, quod nunquàm inundare ceſſat, eſſet. Deus etiàm voluit, vt per tenebras deceptionis diaboli fatigaret̃, & quòd magna 18

inquiete infirmitatum tēperaretur, quę tamen, ab ipſo confortatus, fideliter & patienter paſſus eſt.

QVAESTIO.

1. Cor. 15. Quid eſt quod dicit, Ego minimus Apoſtolorũ, cùm plùs omnibus laborauerit?

SOLVTIO.

19 PAulus ſe minimũ vocat, quia cum Chriſto, qui ſinè peccato in humana forma apparuit, vt cæteri diſcipuli, non erat: & quia etiàm per filium Dei in ſpiritali viſione, cùm anima eius nec pleniter in corpore, nec pleniter extra corpus eſſet, ad fidem, quam nunquàm diſcere nec ſcire deſiderabat, coactus eſt.

QVAESTIO.

1. Cor. 6. Quid eſt quod dicit, Omne peccatum, quodcunq; fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat?

SOLVTIO.

20 OMne peccatum, quod homo cum ſenſualitate per volantem ſcientiam ſuam, Diabolo ſuadente, in alium hominem operatur, diabolica arte agitur, quę diſcordiam inter homines, eos ad iram & odium incitando, ſeminat: & ideò illud extra corpus eſt: qui autem in calore carnis ſuæ cum inceſto deſiderio in venis & in medullis motus ꝑ fornicationẽ, ſeipſum tam diù incitat & vulnerat, quouſquè feſſus fuerit, ille in corpus ſuum peccat.

QVAESTIO.

A die reſurrectionis, vſq; ad diem aſſcenſionis, quãdò Dominus inter diſcipulos non erat, vbi fuiſſe credendus eſt?

SOLVTIO.

21 DEus qui per humanitatẽ ſuam apud nos, viſibiliter manendo, totam terram miraculis ſuis repleuit, poſt reſurrectio-

rectionem ſuam per illos quadraginta dies eadem humanitate ſua, quam de ſpirituſancto conceptam ex Maria virgine ſibi aſſumpſit, omnia elementa, quæ per præuaricationem primi hominis immunditiam contraxerant, mundauit. Animas quoquè ſanctorum & ſaluandorum, quas multitudine angelorum comitatus cum victorioſo vexillo poteſtatis ſuæ captiuas de inferno redemerat, in aëre vbì omnia ſanctificauit, ſecum manebant.

QVAESTIO.

Quid eſt quod de Domino ſcriptum eſt, Et acceſſerunt angeli, & miniſtrabant ei? In quo miniſtrauerũt? vel quale miniſterium exhibuerunt ei? Matt. 4.

SOLVTIO.

CVm Diabolus ſe à Chriſto ità ſeparatum cognouit, vt nulla ſuggeſtione eum tangere poſſet, tunc eum reliqt, & ab eo fugiebat, vt homo ab inimico ſuo, à quo occidi timet, fugit: & mox angeli in laudibus miraculorum ſanctę Diuinitatis ſonabant, quoniam humanitas quæ in protoplaſtis deuicta fuerat in paradiſo, in Chriſto homine, omnia Diaboli tentamenta victorioſè ſuperauit, & ità ipſi vni, quem Deum & hominem eſſe ſciebant, miniſtrabant. 22

QVAESTIO.

Cùm nouæ animæ de nihilo nouiter creatæ, prouidentia creatoris, in vteris matrum corpuſculis paruulorum infundi credantur, qua ratione originalis peccati maculam contrahunt, & qua iuſtitia puniuntur?

SOLVTIO.

SIcut vas figuli, quod veneno perfuſum eſt, omnia quæ in illud mittuntur, cum periculo immunditiæ inficit: ſic oīs caro hominum, per carnem primi hominis cōmaculata & infecta exiſtit, niſi per mundam carnem filij Dei, quā ex Maria 23

virgine induit, in baptiſmo & pœnitentia mundetur. Anima enim ex forma, quam Deus in vtero matris ad hoc format, vt ſpiraculum vitę ad hoc mittat, per conſilium ſerpentis, quo primus homo deceptus eſt, peccati maculã, pro qua punitur, ſibi contrahit, quæ per antiquum conſilium S. Diuinitatis in filio Dei per fidem & baptiſmum abluitur. Qui autem cum fide & baptiſmo carnalia deſideria omni ſtudio perfecerit, & ad hoc pœnitentiam non agit, ille cum his (qui per Chriſtum redempti non ſunt) in perditione manebit.

QVAESTIO.

Ioan. 8. Ioan. 15.

Cùm Dominus in Euangelio de ſeipſo dicat, Ego ex Deo proceſſi & véni: & de ſpiritu ſancto dicatur, Spiritus, qui à Patre procedit, inter proceſſionẽ filij & proceſſionẽ ſpiritusſancti quę differentia eſt, vt ille dicatur filius, quod dici non debet, nec rectè dici poteſt ſpiritusſanctus? Inter generationẽ filij & proceſſionẽ ſpiritusſancti q̃ diſtinctio, cũ vtraq; ex patre ſit?

SOLVTIO.

24 PAter meus, poteſtas eſt. Et ego ſonans verbũ ſuũ, ab eo ꝓceſſi, quandò oẽs creaturas per me creauit: & ſpiritusſanctus ab ipſo, ſ. patre meo, ꝓceſſit, q̃n ego in vterũ virginis, cuius caro ſerpentina deceptione vulnerata non eſt, deſcendebã, & humanitatẽ ex ipſa, de eodẽ Spirituſancto conceptam, indui. Igneus enim ſpiritusſanctus, qui ignea vita & vera accenſio & æqualis vita in æternitate eſt, & ꝑ quem oẽs formę quæ per filium Dei formatæ ſunt, inuiſibiliter mouentur: in virginẽ, quę creatura eſt, à patre proceſſit: vterumq; illius igne ſuo ità accendebat, vt ipſa per eũ imprægnata, verbũ Dei (ꝑ quod oẽs creaturæ factæ ſunt) ſinè carnali patre genuerit. Sicut enĩ forma hominis videtur, & anima eius carnalibus oculis videri non poteſt, & tamen in duabus naturis vnus homo eſt: ſic filius Dei, qui in vtero virginis de ſpirituſancto conceptus,

homo

homo factus eſt, in humanitate ſua, ab omni carne videbatur, Incarnatio.
& in deitate ſua inuiſibilis eſt, & etiàm in duabus naturis, ſcilicet humanitatis & Deitatis ſuæ, vnus DEVS exiſtit.

QVAESTIO.

Quid eſt, quod Paulus dicit, ſe in paradiſum & vſq; in tertium cælum raptum, neſcire ſiue in corpore, ſiue extra corpus hoc factum ſit, vtrùm è corpore, cùm anima eius ad iſta raperetur, exiuit, an in corpore manens, & illud viuificans, ad iſta peruenit? 1.Cor.13.

SOLVTIO.

PAulus in ecſtaſi, per rationalem animam, quò Chriſtus eam vocabat, volabat, vt homo qui dormit, in multis per ſomnia circuit, ità tamen, quòd ipſa interìm ſanguinē in carne illius calefecit, nè per frigus coagulatus exiccaretur; quēadmodùm ſol qui in altitudine ſtat, per vires ſuas cum ſplendore ſuo à longè lucet & ardet. Ipſe miracula firmamenti, vt Deus illud conſtituit, conſpiciendo penetrauit, & ipſe etiàm vſq; ad tertium cælum, id eſt, vſq; ad claritatem illam raptus eſt, quæ de claritate (quæ ſancta Diuinitas eſt) fulminat, & in qua beatæ animæ requieſcunt, & ibì tantam fortitudinem à Deo ſuſcepit, qua nequaquàm vltrà dubitare potuit, ſed vbì ſancta Diuinitas ardet, & vbì angeli, qui vt fulgor ſolis ſunt, & vbì etiàm alij angeli, qui vt ſplendor ignis apparent, qui immutabilem Diuinitatem, quę ſinè initio & ſinè fine eſt, intuentur, non venit, quoniam ea quemadmodùm aquila ſuperiorem ignem ſufferre non poſſet. Ipſe etiàm in ſplendore angelorum, qui cum hominibus officia ſua faciunt, in paradiſum venit, vbì omnia arcana, quæ per animam vidit, pleniter cognouit, & ea corpore ità ſenſit, vt ſciret in ſcientia ſua, illa homini importabilia eſſe, qui cinis eſt, & ideò omnibus prophetis ſapientior exiſtit, quorū prophetia, quam in vmbra Sancti.

videbant,melli apum, quod ad multas vtilitates multiplicatur,ſimilis fuit. Omnia nanq; quæ anima vidit, corpore ſenſit: vndè in dubio dimiſit, vtrùm illa in corpore, an extra corpꝰ videret: & ideò etiàm omnia verba illius, profunda & acuta & chalybi ſimilia ſunt. Deus verò, mox vt anima in corpus ſuum reuerſa reſedit, eum valdè domabat, quoniam feroces mores habuit, nè in proprietate ſua diſceret, quæ ad altitudinē ſancti non pertineret.

QVAESTIO.

Gratia Dei & liberum arbitrium, quid habent commune? quid proprium?

SOLVTIO.

26 LIberum arbitrium in anima eſt, quæ ſpiraculum à DEO exiſtit, & quam Deus ad formam facturæ ſuæ creat, & per quam homo ſe Deum habere ſentit, ſiue fidelis, ſiue infidelis, in quacunq; profeſſione vel opiniōe ſit, qui in ſcientia ſua malum eligendo, ad illud ſe declinat, quemadmodùm Adam fecit, qui præceptum Dei ſciuit, & per conſilium ſerpentis ad malum declinauit. (Gene.3.) Gratia Dei & liberum arbitrium hoc commune habent, quòd homo in ſcientia boni & mali, vtrunq; & bonum & malum ad operandum eligere poteſt: & quod per proprietatem liberi arbitrij ſecundùm guſtum & deſiderium carnis, quæ nunquàm coactus dimittere poteſt, elegerit, hoc diabolo adiuuante perficit, & quod ſecundùm voluntatē animæ elegerit hoc gratia Spiritusſancti adiuuante perficit.

QVAESTIO.

Quomodò intelligendum eſt quod dicitur, Om̄ia in pondere & menſura & numero conſtituiſti? (Sap.11.)

SOLVTIO.

27 DEVS omnia tabernacula corporum noſtrorum in recta menſura ità conſtituit, vt nullum eorum illos qui in

ipſis

ipſis habitant, pondere aut latitudine excedant, vt etiàm ſol, luna, ignis, aër, aqua terra, in firmamẽto æquali põdere, numero & menſura conſtituta ſunt, & vt homo, qui omnis creatura eſt, in recta menſura conſiſtit, quia omnia membra eius per animam ità impleta ſunt, quòd ipſe quandiù anima in eo eſt, nec areſcere, nec deficere poteſt. Superbia verò, quę ſuper omnia quæ Deus conſtituit, volat, & quæ Dñm ſpernit, nec eum cognoſcere, nec adorare vult: & quæ de omnibus creaturis exul cadit, mors eſt, & nullam rectam menſuram habet, quoniam omnia quæ DEVS in prouidentia & ſapientia ſua rectè diſpoſuit & conſtituit, diſpergit. Superbia.

QVAESTIO.

Quæ & qualis eſt harmonia illa elementorum, de qua dicitur, In ſe elementa dum conuertũtur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiunt? Nunquìd ad hoc pertinet, quod Dominus dicit, Et concentum cæli quis dormire faciet? Sap. 19. Iob 38.

SOLVTIO.

DE torrente itinere ſuperioris ætheris, per quem firmamentum euoluitur, ſonus elementorum iocundus & glorioſus exiſtit, vt etiàm ſymphonialis vox ſpiritûs hominis, dulcis eſt in vita ſua: Quia vnumquodq; elementum, ſecundùm quod conſtitutũ eſt à Deo, ſonum habet, qui omnes ſicut ſonus chordarum & citharæ in vnum coniuncti ſonãt. Concentus verò cæli, ad harmoniam elementorum, quæ cum homine commutabuntur, non pertinet: vt etiàm ſol, qui in firmamento poſitus eſt, mundo iſti, & non ſummo cęli, lucet.

QVAESTIO.

Quomodò intelligendum eſt, Fons aſſcendebat de terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ? Gene. 2.

SOLVTIO

29 EX præcepto Dei, fons in terra voluptatis aſſcendebat, qui eam cum omnibus fructibus ſuis abſq; diuerſitate commutationis (vt primùm à creatore conſtituta eſt) irrigat, quia ipſa viciſſitudinem æſtatis & hyemis & aliarum tempeſtatũ, quæ in terra noſtra ſunt, & quæ inſtabilibus moribus hominum ſimiles ſunt, non habet. Sicut enim per ſplendorem ſolis luna obtegitur, ſic & in ſplendore claritatis huius immutabilis terræ, Sol, luna & ſtellę obnubilãtur, in qua nihil eſt quod mortale ſit, & quæ etiàm nihil mortale recipit: & ſi aliquid in eam veniret, quod mortale eſſet, hoc per vires eius velut per aquam morte ſuffocaretur. Terra autem, in qua ardor ſolis tantus eſt, quòd guttas pluuiæ, ſicut magnus & fortis ignis guttas aquarum, quę in eum funduntur, calore ſuo explicat, per aquã irrigatur, q̃ de fonte, q in paradiſo aſſcendebat, fluit, & qui ſtabilem aſſcenſionem ſanctarum virtutum, quæ per ignem Spirituſſancti accenſæ ſunt, ſignificat.

QVAESTIO.

Gene. 5. Cùm Enoch & Helias in terreno paradiſo corporaliter
4. Reg. 2. tranſlati eſſe credantur, nũquid in loco tantæ felicitatis corporeo cibo & indumento egere credendi ſunt?

SOLVTIO.

30 DEVS in prouidentia ſua, de Enoch & Helia ordinauerat, quòd in loco illo eſſe deberent, vbi nec cibo, nec potu, nec etiàm veſtitu indigerent, & ſic omnis qui in miraculis Dei raptus fuerit, quandiù in illis moratur, iſtis quæ mortalibus aſſunt, non vtitur.

QVAESTIO.

Quid eſt, quod de Ionatha dicitur, cùm comediſſet de mel-
1. Reg. 14. le, illuminati ſunt oculi eius?

SOLVTIO.

Iona-

IOnathas,pingui & fructiferę terræ, quæ per aratrum facilè euertitur,& quæ etiàm inarata ſæpè vtiles herbas germinat,ſimilis erat,quoniam mitis in moribus ſuis fuit,& non in iudicijs, quæ vera & iuſta erant, ſinè ira & ſinè odio libenter affirmabat. Quicũq; enim tales mores habet,illius humores per omnes cibos,quibus reficitur,in cerebro,in venis & in medullis ſani & optimi ſunt,quoniam in ipſo per melancholiam,ira & triſtitia cum viciſſitudine diuerſorum morũ non ſurgunt,quoniam donum Dei illi adeſt,& eum, quemadmodùm ros ſuper quod cadit, germinare & vireſcere facit. Qui autem per melãcholiam infirmatur,hic duræ terræ, quæ vix per aratrum euertitur, ſimilis eſt: quoniam in moribus ſuis iram,triſtitiam,& contradictionem omnis iuſtitiæ habet,niſi per naturam animæ ſibimetipſi ſemper reſiſtat, nec etiàm lætitiam in operibus habere poteſt.Sed qui prædictos mores habet,ille in omnibus operibus ſuis beneuolus eſt, & per cibos caro & ſanguis illius creſcunt,& ipſe per eos confortatur, vt etiàm Ionathas,cuius oculi præ imbecillitate corporis ſui priùs turbidi erant, acutum viſum receperunt, quandò per guſtum mellis,quod per aërem qui ſuper eo volauit, maiores vires alio melle habuit,confortatus eſt.

31

Commẽdatur mitias.

Melãcholia.

QVAESTIO.

Cùm ex corde humano cogitationes malæ frequenter exeant,quomodò ſciri poteſt,quæ ex corruptione noſtrę prauitatis oriantur,vel quæ malorum angelorum immiſſione moueantur?

Matth. 15.

Pſal.77.

SOLVTIO.

COgitationes,quæ ex primo originali peccato cordibus hominum ità infixæ ſunt, quòd ipſi per eas in carne & ſanguine & in venis ſuis ad delectationem mouentur, illę humanæ ſunt:ſed aëreæ cogitationes,quibus homines in cordi-

De cogitatiõibus.

32

bus ſuis habere optant & ſcire deſiderant, quæ impoſſibilia ſunt,quia fieri nõ poſſunt,illæ vanæ ſunt:quoniam vndiquè vt aër inutiliter volant.De iſtis quoquè cogitationibus ſcriptum eſt:Dominus ſcit cogitationes hominum,quoniã vanę ſunt. Quid dicitur?Homo qui per ratiõalitatem volat, & qui ea ſcit quę cum experimento,videndo & tangẽdo cognoſcit, ſemper illa occulta quę ad animã pertinẽt,& quę præ corporali ſenſibilitate cõpręhendere non valet,ſcrutatur.Malæ aũt cogitationes,quæ ex Diabolica arte homini immiſſæ,ex corde & ore ipſius exeũt,eſca diaboli ſunt, quoniam ipſe per eas animas (ſicut homo in ventrem ſuum eſcam) deglutit, cùm eas in deceptione ſua, per infidelitatem DEO & pręceptis eius contradicere facit,& eum ſic de ipſis expoliat,licèt multi per ſancta opera & per puram fidem cum DEO perſiſtentes, ipſum per gratiam Dei fortiter ſuperent.

Pſal.93.

QVAESTIO.

2.Cor.4.

Nunquid ſpiritalibus oculis corporalia videntur, & è diuersò,corporalibus oculis aliqua ſpiritalia cognoſcuntur?

SOLVTIO.

33 SPiritales oculi,ſcientia rationalis animę ſunt,qui nequaquàm corporalia,vt ſunt,videre poſſunt, ſicut etiàm cæcus exterioribus oculis non videt,ſed quod tantùm per auditum,quæ videntur,intelligit & cognoſcit. Corporales etiàm oculi poſſibilitatem nõ habent,vt ſpiritalia perfectè intueantur. Sed vt forma hominis in ſpeculo in quo non eſt, videtur: ſic homo ea quę ſpiritalia ſunt,per auditum verborum in fide videt & cognoſcit. Nullus eñ ſpiritus,ſicut in natura ſua eſt, homini apparére poteſt,quia ipſe viuens ſpiraculũ à Deo eſt: & qui tunicã ſuam,ſcilicet corpus, viuificando confortat,& cum eo operari non ceſſat,qui etiàm cùm ab eo diſceſſerit, vel in lumine beatitudinis,vel in tenebris pœnarum erit.

QVAE-

QVAESTIO.

Ignis gehennæ, corporeus eſt, an incorporeus? Si autẽ (vt ſentiunt multi fideles) corporeus eſt, nũquid de materia quarta elementorum credendus eſt?

SOLVTIO.

NEquaquàm. Quia nec ille de his elementis, nec hic ignis ab illo, & ille inuiſibilis. Corporales & ſpiritales pœnæ æquales nõ ſunt, vt etiàm corpus animæ diſſimile, & vt anima corpori ęqualis nõ eſt, quia ex corporalib⁹ pœnis corpus areſcit & moritur, & in ſpiritali igne gehennæ ſpiritus & animę torquẽtur, nec tamen in ipſis moriuntur. Ignis quoquè purgatorius, in quo ſaluandæ animæ viuunt & puniuntur, de igne gehennę accẽſus nõ eſt: ſed per iudicium Dei, ſecundùm peccata hominum ſurgit, de quo multi in ecſtaſi facti, valdè obſtupuerunt. 34

Infernus.

Purgatorium.

QVAESTIO.

Sancti in cælo, & impij in inferno, nunquìd ſciunt ea quę aguntur in terris?

SOLVTIO.

SAncti qui in cæleſti patria ſunt, omnia quæ in terris geruntur, ſciunt: quoniam vel in iudicio Dei, vel in ſonantibus laudibus Angelorum, omnia quæ in terris aguntur, corã Deo appárent. Impij etiàm qui à peccatis ſuis nunquàm ceſſabant, nec ea per pœnitẽtiam emendabant, ex irriſione qua ſequaces ſuos derident, ea quæ mala ſunt, cognoſcũt: & ex vlulatu, quo ſuper beatos qui eos nõ ſequuntur, vlulant, ea quę bona ſunt, intelligunt. 35

QVAESTIO.

Parabolæ, quæ in Euangelijs multifariè referuntur, ſicut eſt de eo qui incidit in latrones, de rege qui fecit nuptias filio ſuo, de decem virginibus, & aliæ: Nunquìd ſecundùm rei geſtę veritatem contigerunt, an tantùm ad oſtendendum aliud, ſola ſimilitudine proponuntur?

Luc. 10. Matt. 22. & 25.

SOLVTIO.

36 CHriſtus parabolas ſuas hominib⁹ propoſuit propter ſpiritalia vitia, quibus ſæpè falluntur, & etiàm propter virtutes, quibus contra illa victorioſè pugnant, quatenùs per eas cognoſcerent, quia ipſe pro malis eos iudicaret, & pro bonis pręmia donaret.

QVAESTIO.

Luc. 16. Cùm ſecundùm animam Abraham & Lazarus in refrigerio, & diues ſit in inferno, quid Abrahæ ſinus, quid Lazari digitus, & quid lingua diuitis credenda eſt?

SOLVTIO.

Gen. 22. & 17. 37 Obedientia. SInus Abrahæ obedientiam, quam per immolationem filij ſui & circunciſionem Deo exhibuit: ſignificat, quia obedientia omnia bona cõſeruat & ſuſtẽtat, vt etiàm ſinus quęq; congregata continet. Et digitus Lazari, miniſterium obedientiæ (quæ materia pręceptorum Dei eſt) intelligitur, quia ipſa omnia bona docet, vt etiàm homo digito ſuo, quæ vult, oſtẽdit. Lingua autem propriam voluntatem deſignat, quæ conuiuia carnalium deſideriorum profert: quia vt per guſtũ linguæ, omnes cibi, quales ſint, diſcernuntur, ità & per eam voluntas hominis dignoſcitur.

QVAESTIO.

Quid, ſpecialis meriti, ſignificat, quod ſicut in lib. Gregorij Turonenſis Epiſcopi inuenitur, quòd ſanctus Martinus totiès in ſpecie ignis oſtenſus ſit?

SOLVTIO.

38 DEVS omnipotẽs, qui amor & fortitudo exiſtit, animã B. Martini, ignea effuſione Spiritusſancti perfuderat, & ideò propter merita humilitatis, pietatis & miſericordię, quibus Deum viuum in contrito corde ſemper inſpexit, totiès in igne apparuit.

QVAE-

QVAESTIO.

In quali corpore B. Nicolaus, vigilantibus nautis & dormientibus, tam Conſtantino quàm præfecto apparuit, cùm id in proprio corpore non fecerit? Sed & Petrus & Paulus & cęteri ſancti, quorũ corpora in terra ſepulta ſunt, cùm dormiẽtibus vel vigilantibus viſibiles fiunt, in quo vel quali corpore veniunt?

SOLVTIO.

SI iſta ſpiritalis viſio hominibus non apparéret, eam non 39
intelligerent, quid eſſet, nec etiàm ei crederent, quoniam ipſi in duabus naturis corpus & ſpiritus ſunt. Forma Dei, ſcilicet homo, cuius altera pars mutabilis, & altera immutabilis eſt, immutabilẽ ſpiritum nunquã videre poſſet, nisì in mutabili forma apparéret, quoniam forma mutabilis non nisì per ſpiritum viuificatur: ſicut etiàm cornu per ſonum, & non per ſe, ſonat. In bona enim intentione, quam Deus in ſanctis hominibus iſtis ſignificauerat, bonæ etiàm intentioni hominũ iſtorum reſpondebat, ſicut etiàm homines ſigna firmamenti inſpiciunt.

CONGREGATIO
HVNNIENSIS COENOBII, Hildegardi.

TEmplo Spiritusſancti & Reuerendæ ac Deo dilectæ Sponſæ Chriſti Hildegardi, & Sororib⁹ de S. Roberto in Pingis, magiſtrę exoptatiſs. tota concors congregatio Hunnienſis cœnobij, cum bonorum operum humilitate & inſtantia, æterna ſublimari gloria. Gratioſæ

In hac epiſtola petũt interpretationem Regulę S. Benedicti.

tioſæ reuelantia opinionis veſtræ, tanq̃ paradiſici narciſſi inæſtimabili flore reſperſi, vſq; adeò delectamur, vt cũ Apoſto-
2. Cor. 2. lo dicerere cogamur: Gratias ei qui ſemper triumphat in nobis, in quibus odorem notitiæ ſuæ manifeſtat in omni loco. Cõtemplantes enim totam compagem vniuerſi corporis Ec-
1. Cor. 12. cleſiæ, in qua vnus ſpiritus diuidit ſingulis ſprout vult, eius exuberantiam in veſtræ ſanctitatis excellentia congaudemus effluitare. Quia igitur vos poſt tempora Apoſtolorum, quaſi quoddam ſpeculum Diuinæ pietatis contemplamur, ideò in neceſſitatis articulo tanq̃ ad firmiſs. inexpugnabilis municipij aſylũ, confugiẽtes, conſilio & orationibus veſtris, vt nobis ſuccurratis, deprecamur. Ordo quippe noſter, licèt per omia ſimus nobis diſſimiles, per vos honoratur & beatificat̃. Itaq; relatum eſt nobis de operibus veſtris, quoniam breuiter & lucidè Eccleſię filijs, tanquàm deſiderabiles diuitias contuliſtis, & quia nec hoc dono caretis, pedibus ſanctitatis veſtrę cõuoluti, omnes in cõmune petimus, pietatis veſtræ almitatem, vt aliquid ſuper Regulã beati Benedicti patris noſtri memoriale veſtrum relinquatis, admodùm nobis neceſſarium. Dicimur em̃ mendaces, periuri, prædictæ regulæ tranſgreſſores, ſynodaliumque decretorum contemptores. Quod ideò maximè euenit, quia quiſq; prælatorum noſtrorum pro libitu mentis ſuæ tam inſtituta canonum, quàm regulæ, deſpicit, vt dũ ipſi ſibi ſunt lex, ſecundùm eiuſdem regulæ teſtimoniã, quod volunt, hoc dicunt ſanctum & iuſtum: & quod nolunt, hoc putant non licere. Vndè fit, quòd omni vento doctrinæ circun-
Ephe. 4. feramur, & valdè pręſumptionibus hominum aggrauamur. Quas & B. pater Auguſtinus abhorrens, de eis ſic loquitur:
Auguſtinus de religione. Quanuis enim contra fidem non ſit, ipſam tamen religionem noſtram, quam pauciſs. & manifeſtiſs. celebrationum ſacramẽtis, miſericordia Dei voluit eſſe liberã, adeò ſeruilibus oneribus

ribus premunt, vt tolerabilior ſit cõditio Iudęorũ. Qui quãuìs verę libertatis tempus non cognouerunt, legalibus tamen ſacramentis, nõ humanis pręſumptionibus, ſubijciũtur. Precioſius itaq; opibus Crœſi, immò toti⁹ mũdi gazis, op⁹ chari⁹ exhibebitis, ſi petitiõi noſtrę in hoc admodùm vniuerſis clauſtris neceſſarię, ſategeritis. Si eñ totã ſanctã ſcripturã exponeretis, nihil tam vtile & tam charũ nobis exhibere poſſetis. De reliquo orate pro nobis, vt ſpiritu ſancto noſtra collecta ſocietas, nulla vnq̃ hoſtilis fraudis machinatione diſturbetur. Si qui cœpit in nobis bonũ opus, perſeuerare in nobis dignetur in beneplacita ſibi operatione. valeat materna dilectio veſtra.

REGVLA SANCTI BENEDICTI, iuxta S. Hildegardim Explicata.

ET ego paupercula fœminea forma, & humano magiſterio indocta, ad verum lumẽ & ad memoriam B. Benedicti, ſecũdùm petitionẽ veſtrã proſpexi, quatenùs ea q̃ in doctrina regulę ipſius intellectui hoĩm difficiliora & obſcuriora ſunt, mihi per gratiã Dei manifeſtarẽtur. Et audiui vocẽ à vero lumine mihi dicẽtem: Lucidiſs. dona & myſtica ſpiramina ſpirituſſanctus in beato Benedicto operatus eſt, ità ꝙ mens ipſius in amore Dei rutilabat, nec ſuaſionẽ Diabolicæ artis in operibus ſuis perfecit. Ipſe enim gratia ſpirituſſancti hoc modo perfuſus erat, ꝙ in nullo opere ſuo velut in puncto momenti & ictûs oculi virtute ſpirituſſancti carebat. Fons quoq; clauſus fuit, q in diſcretione Dei doctrinã ſuã effudit, cũ acutũ clauũ doctrinę nec nimìs in altũ, nec nimìs in profundũ, ſed in mediũ rotę fixit, ità vt vnuſquiſq;, ſiue fortis, ſiue imbecillis ſit, ex ea ſecundùm poſſibilitatem ſuam bibere competenter poſſit. Rota aũt hæc circuiẽs, poteſtas Dei eſt, qua Deus in antiquis ſanctis vſq; ad Moyſen, qui populo Dei legẽ dedit, opatus eſt: & qua etiã in alijs ſanctiſſimis viris

Laus maxima S. Benedicti.

opera-

operabatur, quorum clauus laborum in tam altam altitudinem infixus erat, vt communis populus illum capere non valeret. Beatus quippe Benedictus doctrinam ſuam in timore Dei mitiſſimè hauſit, & in pietate præcepta Dei docuit, & in charitate murum ſanctitatis regulæ conſtituit, & in caſtitate omnibus pompis & delicijs terreni ſeculi peregrinus fuit. Et quoniam ipſe in timore & pietate, in charitate & caſtitate doctrinam ſuam ſcripſit, ideò nihil eidem doctrinæ addendum vel auferendum eſt, quia ei nihil deeſt, quoniam in ſpiritu-☞ ſancto facta & completa eſt. Et quia filius columbæ erat, auſculta ô fili præcepta patris tui, dicebat, & etiàm idcircò ſanctitate prædictarum virtutum plenus erat, quemadmodùm Nume. 12. Moyſes vir mitiſs. ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Quòd autem pius iſte pater dicit, monachi quidam in diuerſitate morum ſe diſpergunt: conſiderantibus apertũ eſt, vndè ipſis ſecundùm merita operum ſuorum merces donabitur. Nam ante tẽpora B. patris huius Benedicti, nulla certa regula monachi confirmati, diuerſa incertitudine & inſtabilitate, hàc & illàc vagabantur, certo magiſterio & certa locatione carentes. Quapropter ipſe vitia inſtabilitatis morum illorum deſcribens, vt vita eorum à fidelibus monachis deuitetur, monet. Sed doctrinam eius verè ſequentibus propter taciturnitatis grauitatem rarà loquendi concedatur licentia, ſcilicet tunc cùm aliqua in conſilijs, aliqua in negocijs ſeu in maioribus neceſſitatibus agenda ſunt, in inuicèm, & non ſingulatìm, loquendo, data licentia & modicè ac breuiter quę opùs, & deindè ſigno facto, omnes in ſilentio ſecundùm conſuetũ morem ſileant, quoniam idem Benedictus licentiam hãc, ſtatuta hora in qualibet die non pręfixerat, ſed eam in poteſtate ſua, quemadmodùm oportuit, habebat. Nam licentiam hanc non dabat, niſi aliqua iuſta neceſſitate, ſeu aliqua pia vtilitate

Taciturnitas.

com-

compulſus: Attamen quia inhumanum eſt, hominem in taciturnitate ſemper eſſe, & non loqui, idem pater in poteſtate & diſcretione abbatis dimittit, quemadmodùm alia plurima ei concedit, vt diſcipulis ſuis horam competentem præuideat, qua ipſi hæc, quæ honeſta & neceſſaria ſunt, adinuicèm loquantur, & nè in indiſcreto ſilétio tædio afficiantur, quoniã poſt huiuſmodi adinuicèm loquendi permiſſionem, conuenientius & ſeuerius ad taciturnitatẽ ſilentij admoneri & coërceri poterunt. Quòd autem dicit, hyemis tempore, i. à Kalendis Nouembris vſq; in Paſcha, iuxta conſiderationem rationis, octaua hora noctis ſurgendum eſt, vt modicè ampliùs de media nocte pauſetur, & iam digeſti ſurgant; hoc ideò eſt, quia qui tertiam partem horarum noctis in hyeme vigilat, ſeu qui tertiam partem horarum noctis & diei in hyeme dormit, nec pro his vigilijs, nec pro hac dormitione in cerebro, aut in reliquo corpore debilitatur: Quoniam homo qui aut ſupra modum vigilat, aut ſupra modum dormit, debilitatem ſenſûs & corporis incurrit. Sicq; dormientes ad vigilias digeſti ſurgent, quia cũ cibus comeſtus & potus ſumptus, per tã moroſas horas iam in aliud ſe vertũt, oportet vt homo ſurgat, quoniam & vigiliæ iſtæ ſanitatem homini inferũt, cùm ille inerti ſomno ſe excuſſerit, & cùm ſe purgauerit: quoniam ſi homo ſupra modum dormiërit, febres facilè incurreret, atq; per interiorem calorem, commotionem carnis ſuę ſentiret. Sed vt ab his ſe defendat, & vt Deo fideliter ſeruiat, exhortationem pij patris bono animo adimpleat. Et ſubditur: Quod verò reſtat poſt vigilias noctis, à fratribus qui pſalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſeruiatur, monẽs nè aut ſopori, aut ocioſitati poſteà dediti ſint: ſed cautè vtilitati animæ, hoc hyemali interuallo ità diſpoſito, ſecundùm quod tẽpus tunc permittit, vſquedùm laus matutinalis, illuceſcente

Diſpenſatio Abbatis.

Hora noctis ſurgendum.

Temperãtia ſomnij & vigiliæ.

Lectio & meditatio

iam die, incipiatur. Hic poſt vigilias noctis, i. pſalmis nocturnis finitis, interuallum haberi per meditationem orationum aut lectionum deſignauit. Sed mox de æſtiuali interuallo dicit: A paſcha autem vſque ad ſupradictas Kalẽdas Nouẽbris, ſic temperetur hora vigiliarum agenda, vt paruiſs. interuallo, quo fratres ad neceſſaria naturæ exeant, cuſtodito, mox matutini, qui incipiente luce agendi ſunt, ſubſequantur. In his itaque verbis notandum eſt, quòd tam in æſtate quàm in hyeme, ſcilicet in tribus lectionibus & etiàm cùm vna dicitur, fratres nec poſt nocturnos, nec poſt matutinos, ad lectum ad pauſandũ redibant: ſed ità poſt mediã noctem nocturnas vigilias vtroque tempore temperabant, quòd laudes iam cantantes, illuceſcentem diem viderent. Et pro recto diſpoſito temperamento non grauabantur, ſed gaudebant, quia etiàm ampliùs quàm media nocte pauſatione facta, & deindè excuſſa, homo poſteà vigilans, in viribus ſuis pro his vigilijs non debilitatur, vt prædictum eſt. Quòd autem poſteà dicit, quibus dictis, dicto verſu, benedicat Abbas, Dominicam orationẽ ibì præmitti non demonſtrat: ſicut nec illic, vbì de primo nocturno Dominici diei hoc modo ſcribit: Modulatis, vt ſupradiximus, ſex pſalmis & verſu, reſidentibus omnibus diſpoſitè per ordinem in ſubſellijs, legantur in codice, vt ſuprà diximus, quatuor lectiones: nec etiàm, vbì de ſecundo & tertio nocturno loquitur, quia finito tertio nocturno dicit, dicto autem verſu, & benedicente abbate, legantur aliæ quatuor lectiõ es, Dominicæ oratiõis nullam memoriã illic faciens, nè interruptio ibì eſſe videatur. Sed & finitis ſex pſalmis ſecũdi nocturni priuati diei, dicit: Poſt hos lectio Apoſtoli ſequitur ex corde recitanda, & poſt hæc pro ipſis tribus lectionibus vna de veteri teſtamento memoriter legatur & iterùm, Deinde lectio vna Apoſtoli memoriter recitata, videlicet ſequatur, in hoc

Tempore æſtatis.

De lectionibus.

hoc oſtendens, quòd cùm fratres lectionibus & meditationi-
bus inſeruiunt, ea quæ in Diuina ſcriptura neceſſaria habẽt,
memoriæ ſuę commẽdent, ità vt cùm opportunũ tempus in-
ſtiterit, & cùm neceſſitas ſe immerſerit, abſque materiali ſcri-
pto illa in medium proferant, quemadmodùm & prædictas
lectiones ex corde & memoriter, id eſt, ſinè libro, quoniam
breues ſunt, recitabunt, nè in breuitate eorum impedimẽtum
ſuſtineant, ſi aut codicem ad legendum, aut lumen ad viden-
dum in promptu non habuerint. Sed quòd in diurnis horis
Diuini operis de his reticet, hoc ideò eſt, quia in arbitrio ipſo-
rum dimittit, quòd aut ex corde & memoriter, aut in codice
cum claritate diei capitula, id eſt, prædictas lectiones profe-
rant, quoniam minus impedimentum propter lucentem diem
tunc ſuſtinebunt. In DOminicis autem diebus & in alijs ſolen-
nitatibus poſt nocturnos Euangelium legi præcipiens, intel-
ligi vult, quòd omni tempore, videlicet tam in nocte quàm in
die, nuncium Dei audiri & compleri, & per illud Deo ſeruiri
debet: & vt etiàm, audito Euangelio, monachi illius Euange- Matt. 19.
lij recordentur, Eccè nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus
te: & etiàm hoc intendit, vt ſi quis pro raritate Sacerdotum
ſeu præ occupatione alicuius impedimẽti, eo die Miſſam ha-
bere vel Miſſæ intereſſe non poterit, lectum & auditũm Euã- Miſſa.
gelium ſibi ſufficiat. Et quòd Euangelio lecto, dicit, Data be-
nedictione, ſcilicet in conſuetudinaria oratione, incipiant
matutinos: hîc interuallum ad meditationem orationum ſeu
lectionum non oſtendit, nec in his diebus fratres, finitis ma-
tutinis, ad quieſcendum ad lectos redire prohibet: ſed ſi tem-
pus permiſerit, ità vt maturiùs ſurrexerint, quia in prolixitate
nocturni & Diuini ſeruitij fatigati ſunt, in arbitrium eorum,
vt ad lectos redeant, ſilenter ponit. Quæ enim fieri recuſat, ea
apertè interdicit: & quę fieri exhortatur, illa apertè manife-

ſtat. Hæc autem de quibus tali modo reticet, arbitrio & diſcretioni Abbatis & Fratrum dimittit. Vndè & in fine nocturnarum, matutinarum, diurnaliumq́ue Diuini ſeruitij horarum, poſt Kyrieeleiſon Dominicā orationē dicendam manifeſtat, vbì dicit, Cæteris verò agendis, vltima pars eius orationis dicatur: vt ab omnibus reſpondeatur, Sed libera nos à malo: & ibì collectam dicendam eſſe non oſtendit, quia dicto ſcilicet, Sed libera nos à malo: dicit, Et ſic finiantur vigiliæ nocturnæ: & iterùm, Et completum eſt: & iterùm, Miſſæ ſunt, nulla collecta deſignata, quatenùs faſtidium orantibus tollatur, & nè pręmiſſa oratio Dominica in neglectum ducatur, quoniam orationem Dominica Oratione precioſiorem non inuenit, per quam Diuinum ſeruitium terminetur. Sed & deindè in fine completorij ſubdit: Kyrieeleiſon, benedictio & Miſſæ fiant, illa videlicet benedictio, quæ eo tempore hucuſquè in vſu habetur. Et quod dicit, Semper memores ſimus, quod ait Propheta, Seruite Domino in timore: & iterùm, Pſallite ſapienter: in hoc intelligi vult, quoniam Diuinum ſeruitium abbreuiauerat, vt in gaudio & ſinè tædio ſtudioſè illud deindè perficiatur, quia breue eſſe ſcitur, & quia vbi diſtinctio longa eſt, ad ſpiritum à pſallentibus pariter ſuſtineatur: vbì verò breuis eſt, ad ſpiritum non ſuſtinendo, procedatur. Garrulitates enim in Diuino officio coram DEO quaſi pro minimo habentur. Quoniam dignum eſt vt coram rege ſtans, (beato Benedicto fatente) ipſum honeſtè alloquatur. Poſteà autem ſubinfert: In Conuentu tamen omninò breuietur oratio, quoniam ante ſingulas canonicas Horas orationem dici admonebat, quia cùm in ſequentibus iubeat, quòd hoſpiti pacis oſculum non priùs offeratur, niſì oratione p̄miſſa, multo magìs cū oīpotens Deus ſalutādus eſt,

Mat. 16.

Oratione Dominica precioſiorē orationē non eſſe.

Pſal. 2.

Pſal. 46.

eſt,oratio p̄mittenda eſt & breuis, nè fortè pſalmodię poſteà inſiſtentes,minùs ipſi pſalmodiæ intendāt,cùm per præmiſſam & prolixam orationem fatigati fuerint. Quòd autē monachi lectiſternia pro modo conuerſationis ſecundùm diſpēſationem abbatis ſui accipiant,hoc manifeſtat, cùm de veſtimentis fratrum loquitur,vbì dicit: Stramenta autem lectorū ſufficiant,matta,ſagum,& lena,& capitale. Veſtiti dormiāt, ſcilicet ſimplici & ſola veſte,quæ proxima ad cutem hominis eſt,nè nudi iaceant,quæ lanea fuit,& non duplici veſte indutì:q̃a hoc pati non poſſent,cincti cingulis aut funibus,nè veſtis,qua induti dormiunt, ab eis diffluat, & nè ità nudi appareant.Et etiàm dicit,Si quis frater contumax,aut inobediens, aut ſuperbus &c.& mox ſubiungit,Si intelligit qualis ſit pœna,excommunicationi ſubiaceat,non illa iure ſacerdotij ſub ſtola prolata,ſed excommunicationi,qua verbis tantùm ſimplicibus à conſortio fratrum,ſeu in refectorio, ſeu in Diuino officio in choro, ſeu in dormitorio, ſeu his ſimilibus ſeparatur,quoniam pœna hæc intelligentibus grauiorem cōfuſionis ruborē infert, quàm vindicta corporalis, cùm non intelligentibus corporalis diſciplina inferenda ſit,vt ſubditur: Sin autem improbus eſt,vindictæ corporali ſubdatur, id eſt, aut verberibus,aut alijs corporalibus caſtigationibus caſtigetur, quia hunc non verba,ſed diri morſus carnis vix ad correptionem ducunt.Et de Cellerario monaſterij ſic dicit: Fratribus conſtitutam annonam,ſinè aliquo typo vel mora offerat, id eſt, ſinè præſignata menſura determinatæ inſtitutionis, vbì etiàm in typo intelligitur Ty,quod eſt,tibi:& in po, quod eſt poteſtas,ſcilicet nè cellerarius intra ſe dicat, Tibi poteſtas eſt dare & negare vbì vis,ità vt cui velit,plures & meliores cibos det:ſeu cui velit,pauciores & deteriores cibos ſubminiſtret, quemadmodùm ſeculares in curijs principum aliquandò fa-

De lectis.

Excōmunicatio.

Punitio.

Cellerarius.

cere ſolent, qui annonam ibì diſpenſant, & nè poteſtatem hanc accipiat, quòd non plùs indigenti, quàm non indigenti annonæ ſubminiſtret, quandò illi plus dabit qui indiget, quàm illi qui indigus non eſt, nec etiàm in dando, quæ danda ſunt, moram retardationis facit. Poſteà ſubinfertur: Egreſſurus de ſeptimana, ſabbato munditias faciat, ſcopis ſordes & puluerem, vbì neceſsè fuerit, extergendo. Et iterùm: Pedes verò tam ipſe qui egreditur, quàm ille qui intraturus eſt, omnibus lauent, videlicet ad mandatum. Et deindè: Ante vnam horam refectionis, accipiat mixtum ſcilicet prandium, id eſt, panem & potum, panem videlicet potui intinctum, quod offæ ſunt, quoniam ibì panis potui commiſcetur. Et poſteà: Accipiat benedictionem egrediens, videlicet orationis: & mox ſubſequitur, Et accepta benedictiōe ingrediatur, id eſt, orationi conuenienti. Deindè dicit: Sed & carnium eſus infirmis omninò debilibusq; pro reparatione concedatur, carnes tam quadrupedum quàm volatilium intelligi volens, & nullas carnes quas homines comedere ſolent, excipiēs. At vbì meliorati fuerint, à carnibus omnes more ſolito abſtineant, ſcilicet à carnibus quadrupedum, quia ſani illas & ſuccum earum comedere non ſolebāt, ſed infirmi: Sani verò carnes volatiliū, quoniam mundę ſunt, nec ardentem libidinem comedentibus inferunt, manducabant. Deindè ſubinfert: Et præueniant horas canonicas, ſcilicet in alimentis, id eſt, horas in regula conſtitutas, ità quidem, vt ante alios & ſæpiùs alijs, ſenes & infantes prandium & ſuauiores cibos accipiant. Et iterùm dicit, & ſic ingrediatur ad legēdum, videlicet benedictione orationis. Et mox ſubſequitur, Nec præſumat aliquis ibì de ipſa lectione aut aliundè quicquā requirere, nè detur occaſio, niſì fortè Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere, quia eo tempore is, qui ibì cæteris prelatus erat, præſentibus de eadem

Lotio pedum.

Infirmis carnes.

Vetantur carnes.

dem

dem lectione monita ſalutis faciebat, antequàm abinuicèm diſcederent, qm̃ tũc pauci fuerunt, quod poſtmodùm multitudine creſcente deuitabant, nè hac occaſione in verba ocioſa prorumperent. Frater autem lector hebdomadarius, accipiat mixtum, vt ſupradictum eſt, prius quàm incipiat legere propter communionem ſanctam, quia in tempore B. Benedicti ad menſam lecturus, velut Deo ad altare ſeruiret, quoniam ſancta verba proferre debebat, Dominica die communicabat: ſed deindè prandebat, nè ieiunans, in legendo fortè defectum cordis ſentiret, in quo etiàm præfatus pater intelligi volebat, quòd quiſq; fidelis poſt perceptam euchariſtiam ſe cautiùs & diligẽtiùs ſolito in omnibus obſeruaret. Quòd autem ſubinfert, DUO pulmentaria cocta fratribus omnibus ſufficiant: pulmentaria, cibos illos oſtendit, qui ad ignem poſiti, hàc & illàc ligniolo mouentur, nè cõburantur. Et quod ſubſequitur, dicens: Si ibì fuerint poma, aut naſcentia leguminũ, addatur & tertium. Fabas & piſa & alia huiuſmodi legumina demonſtrat, quę de agro recentia colliguntur, velut poma de arboribus tolluntur. & illa nõ cocta, ſed à cortice ablata, pro tertio cibario fratribus apponi iubet. Piſces quoquè aut caſei, aut oua, in tertio cibario intelligẽda ſunt, & in gratia exiſtũt: & hæc pius pater non nominauit, quia præſciuit quòd monachi ab his ſe non abſtinerent: & ideò hæc non interdixit, cùm nec illa nominauit. Poſteà iterùm ſcribit: Carnium quadrupedum omninò ab omnibus abſtineatur comeſtio, præter omninò debiles & ægrotos, vbì de volatilibus reticet, quoniam comeſtionem illorum ſanis non interdicit. Nam idem pater, quia tempore ſuo monachorum conuerſatio rudis & adhuc ferè inſolita fuit, eſum carnium ipſis per omnia interdicere deuitabat. Vndè vt eſum volatilium vterentur, eis permittebat. Deindè dicit: Vt videatur ab ipſo vel ab omnibus, vſq;

Lector.

De cibis.

dum

dum completo opere Dei, publica ſatisfactione pœniteat, proſtratus veniam petendo. & iterùm: Ità tamē, vt ſatisfaciat reus per hoc, id eſt, ſuper terram ſe proſternendo. Poſteà ſubinfert: Hora qua q̃s deſiderauerat hoc quod pri' recuſauit, aut aliud, omninò nihil accipiat, vſq; ad emendationem congruā, quoniam propter contemptum, quælibet neceſſaria res proteruo fratri denegabitur, vſq; dum pœnitendo humiliatus, emendationem oſtendat. Et iterùm: Deindè omnium veſtigijs fratrū, vt orent pro ipſo, videlicet ad Deum, quē grauibus culpis ſuis offendit. Et mox iterùm, Et hoc perficiāt vſq; dum benedicat illos, in publico ſalutādo, & ad humilitatem prouocando. & deindè niſì per ſatisfactionem, id eſt, in terrā per corporis ſui deiectionem veniam petendo, ibì coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ ſubiaceat, ſcilicet coram illis in carnis ſuę exacerbatione. Sed quod dicit, ſi animæ verò peccati cauſa fuerit latens, id eſt, ſi frater in aliquibus cauſis latenter exceſſit, vel ſi peccatum aliquod occultè commiſit, tantùm abbati aut ſenioribus ſpiritalibus patefaciat, cingulum peccati confitendo, & ſic indulgentiam conſequatur. Et ſubinfert: Hoc ipſum tamen quod vnuſquiſq; offert, abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat benedictione & voluntate. Nullus itaque fratrum regularem aut communem cibum & potum in conuentu fratrum ſuorum ſibi regulariter & communiter appoſitum, deuitare debet ex integro, niſì abbatis ſui permiſſione, nec cùm fratres communibus orationibus aut operationibus inſiſtunt, propria voluntate ſua ab eis declinabit, niſì à ſpiritali patre ſuo ſibi permiſſum fuerit. Sed tamen de quolibet regulari & communi cibo & potu, in conuentu fratrum ſuorū ſibi regulariter & communiter appoſito, corpori ſuo partem ſubtrahere licenter poterit, ità ſanè, nè clamor indè rumoris exurgat, ſic communem conſuetudinem monaſterij regulari-

ter

ter & humiliter ſinè quærimonia vbiquè ſequendo. Poſteà ſic ſcribit: Nō pręſumat foris mādu care, etiàm ſi omninò à quouis rogetur, niſi forte ab Abbate ſibi præcipiatur. Quòd ſi aliter fecerit, excommunicetur excommunicatione, qua contumax & inobediens frater à communione & ſocietate fratrum ſuorum, vt etiàm ſupradictum eſt, vſq; ad ſatisfactionem ſeparatur. Et dicit, Expleto opere Dei, omnes cum ſummo ſilentio exeant, & agatur reuerentia Deo, vt reuerenter exeuntes incuruentur, & vt reuerentiam in alijs operibus ſuis habeant, quaſi in ſeruitio Dei ſint, nec vllam laſciuiam, nec vllum exceſſum arripiant. Deindè infert: Vt autem nunciatus fuerit hoſpes, occurratur ei à Priore vel à fratribus cum om̃i officio charitatis, & primitùs orent pariter, id eſt, omnes quicunque ſint ad Eccleſiam, ad adorandum ducantur, ità quòd fratres Deum orent, nè cum eiſdem hoſpitibus ordinem ſuum infringant: illi autem, vt conuerſationem iſtorum videntes, meliores fiant. Et iterùm: Inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terra, Chriſtus in eis adoretur: qui & ſuſcipitur, quia cùm hoſpites ſuperueniunt, qui eos tunc ſuſcipiunt: ſeu cùm diſcedunt, qui eos tunc proſequendo benedicunt, aut coram eis, ob reuerentiam Chriſti, ſe inclinabunt, aut coram eis veniam petent, quaſi Chriſtus præſens ſit. Mox quoquè ſubinfert: Et poſt hæc omnis ei exhibeatur humanitas, quod eſt tam in affabili & ſociali ſermocinatione collocutionis, quàm in omni neceſſaria corporali neceſſitate. Et iterùm: Abbas aquã in manibus hoſpitibus det, propter humilitatis exhibitionem, & pedes hoſpitibus omnibus tam Abbas, quàm congregatio, lauet, ſcilicet illi quibus abbas idem opus iniungit. Nam B. pater Benedictus, cùm hoſpites quos ſuſceperat, comeſturi eſſent, aquam manibus eorum porrexit: & cùm à menſa ſurrexiſſent, pedes eorum lauit: & hoc propter exemplum filij

De foris manducatione

De hoſpitibus.

Mat. 25.

Ioan. 13.

DEI,quod in cœna diſcipulis exhibuit, fecit: exceptis mulie-
ribus,quarum pedes non tetigit, ſed contemptum mundi &
in habitu,& in ſancta conuerſatione ſua eis oſtendebat. Illo
etenim tempore,monachi tumultum ſuperuenientium extra-
neorum nondùm ſentiebant: ſed qui eos adibant, Chriſtum
& non aliud ibì quęrebant, quem etiàm in ſanctis operibus
ibì inueniebant. Et idem ſic procedit: Veſtimenta fratribus,
Veſtes. ſecundùm locorum qualitatem vbì habitant, vel aëris tem-
periem,dentur. Vbì oſtendit,fratribus veſtimenta dari ſecun-
dùm quod pati poſſunt, & vt etiàm abſq; murmurationibus
ſint. Nã vbì regio tantæ frigiditatis eſt, quòd homines à cali-
dis indumentis in neceſſitate ſe abſtinere non valent,quia ſu-
perfluitatem illorũ vitabunt, tam agnina lana pellicij, quàm
agninum filum tunicæ pro indumento monachorum ſuper-
no iudici placent. Mox quoquè ſubſequitur: Nos tamen me-
diocribus locis ſufficere credimus monachis per ſingulos cu-
cullam & tunicam: cucullam videlicet amplam, & ad talum
deſcendentem, manicis breuibus & manum modicè præce-
dentibus, duobus quoquè gyronibus in vtroque latere ſub
aſcella deorsùm profluentibus,cui caputium deſupèr adhæ-
rebat,quod ſingulare ſignum monachi eſt,ſignificans,nè hàc
Cuculla quid. vel illàc ad ſeculũ proſpiciat,cùm illud ſuper caput ſuum ha-
bet: tunicam verò laneam & aliquantùm cuculla cõſtrictio-
rem,ſed circa crura aliquãtulùm largiorem, & ad pedes ten-
dentem,brachialijs nec multùm amplis,nec multùm conſtri-
ctis ad manus tendentibus,immò autem gyrone in vtroq; la-
tere ſub aſcella deorsùm deſcendente, quæ deſupèr caputio
carebat. Et deindè: Abbas autem de menſura præuideat, vt nõ
ſint curta,velut quorundam laicorum,ſed ad talum deſcen-
dentia,quoniam femoralibus in cella ſua non vtebãtur. Qua-
propter ſubinfert: Femoralia hi qui in via dirigũtur, de veſtia-

rio

rio accipiant: qui reuertentes, ibidèm lota reſtituāt: vbì intelligi poteſt, quòd monachi ſub magiſterio eiuſdem patris degentes, non niſì de cella exeuntes, femoralibus vtebantur. Nā quia multitudo hominum femoralibus eo tempore non vtebatur, idcircò idem pater propter mores hominum & propter ſignum puerilis ſimplicitatis & humilitatis, dum in cella reſiderent, diſcipulis ſuis femoralia nō conceſſit, ſed exeuntibus, ſiue equeſtribus, ſiue pedeſtribus, propter exemplum caſtitatis, & propter virilem honeſtatem & reuerentiam hominum, eis indulſit. Sed nunc tempore iſto quoniam mores hominum ità oſtendunt, Deo non diſplicet, ſi monachi propter blaſphemiam inceſtûs, quā in nuditate carnis deguſtare poterunt, femoralibus vtantur, nè nudi carne carnem attingentes, carnalium peccatorum reminiſcantur. Et iterùm: Stramēta autem lectorum ſufficiant, matta, ſagum, videlicet aut de groſſo lino, aut de canabe factum, & ferè in modum ſacci formatū, & quodam genere ſtramentorum repletum, & ſic ſuper mattam poſitū, quod monachi pro lectiſternio habebant, & lęna ſcilicet ex lana, quam in die ſuper lectum propter honeſtatē expandebant, & qua in nocte, cùm vellent, ſe tegebant. Statimq; dicit: Dentur ab abbate omnia quæ ſunt neceſſaria. & ſubinfert, Zona, id eſt, qua ſuper tunicam cingebantur, nè illa diffluerent, quia abſq; femoralibus dormiebant, & brachiale quod ad cutem erat, à quo caligæ ligatæ dependebant. & mox proſequitur: Mappula velut ſudariū ex lino formata, qua ſudorem à ſe profluentem, dum in opere laborabant, abſtergebant. Poſteà autem dicit: Et cum oblatione ipſam petitionem & manum pueri inuoluant in palla altaris: vbì intelligendum eſt, quòd petitio parentum pueri, pro teſtimonio & cōfirmatione literis commendabatur, cùm illum DEO offerebant, quemadmodùm & illius, qui ſtabilitatem & conuerſionem

Femoralia quid.

Nota exeuntes.

Stratæ.

Zona.

Vbì id nūc fit?

De ſuſceptiōe Nouitiorum.

& obedientiam ſuam coram Deo & ſanctis eius in conſecratione ſua promiſit, vt ſuprà oſtenditur. Et deindè: Si quis de ordine ſacerdotum in monaſterio ſe ſuſcipi rogauerit, non quidem citiùs ei conſentiatur: qui ſacerdos intelligendus eſt ille, qui aut p̄poſituræ, aut archipresbyteratui, aut parochiæ præerat, qui etiàm propter eandem prælationem, animam ſuã vix ad ſubiectionem coërcere poterit. Non autem Epiſcopus, quia indecens eſſet, quòd princeps animarum populi, qui & magiſter abbatis extitit, abbati ſubijceretur. Sed hic, ſi conuerti voluërit, ſolus in pœnitentia ſit abſque ſubiectione magiſterij. Deindè ſubinfertur: Et ſi fortè ordinationis aut alicuius rei cauſa fuerit in monaſterio, id eſt, ſi aut in obedientijs & in officijs magiſteriorum, ſeu in negocijs exteriorum, aliqua, ibì per conſilia tractanda ſunt, illum locum attendat, quãdò ingreſſus eſt in monaſterium, videlicet locum, id eſt, propoſitũ conuerſationis humilitatis & ſubiectionis, quæ bonum & altum gradum ſibi acquirit, in quem locum ipſe ideò venturus eſt, præ oculis in corde ſuo teneat, cùm in monaſterio monachalem habitum ſuſcepit, qui contemptum mundi demonſtrat, non illum qui ei pro reuerentia ſacerdotij conceſſus eſt: ſcilicet non attendat quòd priùs locum doctoris habuit, videlicet quòd priùs doctor & magiſter in populo ſeu in clero fuit, nec cogitet nec æſtimet ſe prudentiorem & doctiorem, ſeu in loquendo promptiorem aut cautiorem, alijs fratribus ſuis in clauſtro nutritis eſſe, cùm ipſe in ſeculo conuerſatus ſecularibus adhæſit, & eos omnes pertranſiuit, ſed magis pro voluntaria conuerſione, quia ſe diſciplinæ regulę ſponte ſubiecit, & pro reuerentia ſacerdotij ſui cum alijs bonum exemplum ſanctitatis dabit, obeditionem & ſubiectionem in omnibus cauſis ſe habere oſtendat. Et idem pater deindè dicit: Si verò poſteà voluërit ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur.

Quid habitus monachi.

tur talis voluntas: & deindè nõ ſolùm, ſi petiêrit, ſuſcipiatur, congregationi ſociãdus, verùm etiàm ſuadeatur vt ſtet, vt eius exemplo alij erudiantur: & quia in omni loco vni Domino ſeruitur, vni regi militatur. Itaq; quod pius pater iſte ſuperiùs ſcripſit, ſuſcipiendus nouitius in oratorio, coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua. & quod mox intulit, De qua promiſſione ſua faciat petitionem ad nomẽ ſanctorum, quorum reliquiæ ibì ſunt: & quòd hîc dicit, Nõ renuatur talis voluntas: & poſteà, Verùm etiàm ſuadeatur vt ſtet: & iterùm, q̃a in omni loco vni Domino ſeruitur, ſic intelligi voluit. Nam ſi quiſpiam monachus monaſterium ſuum in quo ſtabilitatẽ & petitionem ſuam, vt ſuprà ſcriptum eſt, promiſerat, qualibet occaſione inſtabilitatis ſuæ latenter vel proteruè exiêrit, & ità ad longinquas prouincias peruenerit, & ſi ibidèm monaſterium conuerſationis ſuæ viderit, in quo pœnitentia ductus, manere in ſtabilitate voluërit, & ſe ſuſcipi per confirmationem rogauerit, tunc ſi dignus eſt, etiàm quanuìs prę longitudine peregrinationis literas commendaticias non habeat, nec habere poſſit; melius erit vt ſuſcipiatur, quàm introitus ei denegetur: quia ſi nõ ſuſciperetur, forſitañ aut debilitate, aut infirmitate, aut ſenectute, ſeu alio quolibet grauamine oppreſſus, ſeu longitudine itineris & reuerſionis ad monaſteriũ vndè exiêrat, in deſperationem ductus, ad ſeculum rediret, & in ſeculo permaneret, & eo modo in anima & corpore periret. Sed tamen multò vtilius illi eſt, vt ad monaſterium ſuum, de quo abſq; permiſſione ſpiritalis patris ſui exiuit, ſi vllo modo potuerit, redeat, aut remiſſionẽ petat, quàm in alieno pertinaciter maneat, ità ſanè ſi ibì diſciplinam monaſticæ religionis eſſe nouit. Quod idem pater in ſequentibus affirmat. Caueat autem Abbas, nè aliquãdò de alio noto monaſterio monachum ad habitandum ſuſcipiat, ſinè conſenſu Abbatis eius

aut literis cõmendatitijs, vbi non vult, quòd monachi ſupradicta ſtabilitate & petitione obligati, de loco ad locum ſecũdùm libitum ſuum ſinè permiſſione moueantur, ſed vt votũ ſuum firma tenacitate conſeruent. Deindè proſequitur: Nec occaſione Sacerdotij, obliuiſcatur Regulæ obedientiã & diſciplinam, ſed magìs ac magìs in DEVM proficiat: Locum verò illum ſemper attendat, quo ingreſſus eſt in monaſterium, præter officium altaris. Quod dicitur: Monachus ſacerdos in monaſterio ſuo ordinatus, de ſacerdotio ſuo non ſuperbiat, ſed pia deuotiõe locum illum humilitatis & ſubiectionis præ oculis in corde ſuo teneat, quo exẽplum Chriſti ſequens, monachalem habitum ſuſcepit, & cõtemptum mundi arripuit, quoniam ea hora ſe & Deo & homini ad ſeruiendum ſubiecit, & inſupèr in humili mẽte cogitet, quòd ſe ſeruum & miniſtrum Dei fecit, cùm ſe ſeruituti altaris ſubiugauit. Vndè in omnibus humiliorem ſe & ſubiectiorem demonſtrabit. Nam non ſolùm attendat, quòd humiliter & deuotè habitum monachi ſuſcepit, quapropter ſe vilem & obedientem in omnibus ſinè ſimulatione æſtimabit: ſed etiàm attendat, quòd propter hoc, quòd ſe Deo in officio altaris ſubiecit, humilem & mitem atq; vltimum ſe deincèps in æſtimatione ſua computabit. Et ſubinfert: Vbicunquè autem ſibi obuiant fratres, iunior à priore benedictionem petat, ſcilicet velut in ſalutatione, quia ſeniori ſuo ſe ſubiectum eſſe in omni humilitate demonſtrabit. Deindè etiàm dicit: Et ſemper ad orationem vltimam operis Dei, commemoratio om̃ium abſentium fiat, quæ oratio vltimi operis Dei, oratio Dominica intelligitur, quoniam ſuperiùs dicit, per eandem orationẽ Diuinum opus finiri, quemadmodùm ibì oſtendit, videlicet Litania, & oratio Dominica, & Miſſæ fiant: quia diſcipuli huius patris, cùm in eadem oratione dicerent, Sed libera nos à malo: de abſentibus

addi-

addiderunt, & famulos tuos fratres noſtros abſentes: in hoc, eorum commemorantes. Collectas enim orationum plenariè illo tempore nondùm habebant: & ideò Diuinum ſeruitium per Dominicam orationem ſæpiùs terminabant. Poſteà autē dicit, Infantibus verò vſque ad quintumdecimum annū ætatis, diſciplinæ diligentia ſit, & cuſtodia adhibeatur ab omnibus: & hoc ideò dicit, quoniam cùm puer infra quintumdecimum annum tener in corpore eſt, tener eſt & animo: atque interìm timorem habet, & ad quæque bona flecti poteſt, nec ſe corripiētibus reſiſtere proteruè audet: cùm autem ad quintumdecimum annum peruenerit, iam in iuuentute floreſcit, velut arbor quæ flores producit: & medulla ac ſanguis in ea confortatur, vndè etiàm vires animi eius exurgunt, ità quòd pueriles correptiones ſuſcipere & pati, vt priùs fecerat, dedignatur. Ad vltimū verò beatus Pater omnia hæc ſic affirmat: Facientibus hæc, regna patebunt æterna: quoniam omnia quæ in hac Regula deſcripta ſunt, nec nimìs remiſſa, nec nimìs conſtricta ſunt: ſed ad dextram, & non ad ſiniſtram, reſpiciunt: quapropter ea conſeruantem, ad cæleſtia mox perducunt. Igitur ego paupercula fœminea forma, hæc verba de ſapientia audiui, quæ me obſcura verborum Regulæ ſupradicti Patris beati Benedicti docuit, quatenùs illa apertè proferrem. Vndè manſueti, mites & timorati, hæc audiant, & ea pio corde intelligant, & humili deuotione ſuſcipiant.

AD

AD CONGREGATIONEM SORORVM SVArum, Hildegardis.



O Filiæ, quæ veſtigia Chriſti in amore caſtitatis ſubſecutæ eſtis, & quæ me pauperculam in humilitate ſubiectiõis propter ſupernam exaltationem, vobis in matrem elegiſtis, non ex me, ſed ex Diuina oſtenſione per materna viſcera vobis dico: Locum iſtum, videlicet locum requietionis reliquiarum beati Roberti cõfeſſoris, ad cuius patrocinium confugiſtis, inuéni in euidentibus miraculis per voluntatem Dei in ſacrificium laudis, & in permiſſione magiſtrorum meorum ad ipſum peruéni, & eum mihi & omnibus me ſubſequentibus, cum Diuino adiutorio liberè attraxi. Poſteà autem per admonitionem Dei, ad montem B. Dyſibodi, à quo per licentiã ſeceſſeram, perrexi: & petitionẽ hanc corã omnibus ibidèm habitantibus perfeci, ſ. nè locus noſter & prędia eleemoſynarũ loci noſtri, ab illis eſſent ligata, ſed ſoluta, quærens tamen in opportunitate vtilitatis ſaluationem animarum veſtrarũ, & ſolicitudinem regularis diſtrictionis. Et ſecundùm quod in vera viſione percepi, ad patrem, videlicet ad Abbatem loci illius, dixi: Serena lux dicit: Tu ſis Pater præpoſiti & ſalutis animarum myſticæ plantationis filiarum mearum. Eleemo-

ſyna

ſyna earum nec ad te, nec ad fratres tuos pertinet, ſed locus
veſter refugium earum ſit. Si autem in contrarijs ſermonibus
veſtris perſeuerare volueritis, contra nos frendentes, eritis ſi- 1.Mac.1.
miles Amalechitis & Antiocho, de quo ſcriptum eſt, Quòd
templum Domini deſpoliauit. Quòd ſi aliqui inter vos in in-
dignitate ſua dixerint, Allodia earũ volumus imminuere: tũc
ego, qui ſum, dico, quòd peſſimi raptores ſitis. Si autem paſto-
rem ſpiritalis medicinæ ipſis abſtrahere tentaueritis, tunc ite-
rùm dico, quòd ſimiles ſitis filijs Belial, & in hoc iuſtitiã Dei
non inſpicitis: vndè & iuſtitia Dei deſtruet vos. Et cùm ego
paupercula forma his verbis prædictam libertatem loci & al-
lodiorũ filiarum mearũ à præfato Abbate & à Fratribus eius
peterem, eam cum permiſſione codicis omnes mihi conſtitue-
runt. Cuncti autem, tam maiores quàm minores, hæc viden-
tes, audientes & percipientes, maximam beneuolẽtiam ad iſta
habebant, ità vt etiàm ad nutum Dei ſcriptis firmata ſint. Vn-
dè fideles hęc diſcant, affirment, perficiant & defendant, qua-
tenùs benedictionem illam percipiant, quam Deus Iacob &
Iſraeli dedit. Sed ô quàm magnum planctum hæ filiæ meæ
poſt obitum matris ſuæ habebunt, quoniam vbera eiuſdem
Matris ſuæ ampliùs non ſugent, & ſic in gemitu & luctu per
plurima tempora cum lachrymis dicent: Heu Heu, libenter
Matris noſtrę vbera ſugeremus, ſi eam modò nobiſcũ præſen-
tem haberemus. Quapropter ô Filię Dei, admoneo vt chari-
tatem habeatis inter vos, ſicut ego mater veſtra à pueritia
mea vos admonui, quatenùs clariſſima lux cum angelis ſi-
tis propter beneuolentiam veſtram, & fortiſſimæ in viribus
veſtris, ſicut pater veſter Benedictus vos docuit. Spirituſſan-
ctus vobis dona ſua det, quia poſt finem meum, vocem me-
am amodò non audietis. Sed vox mea nunquàm ducatur in-
ter vos in obliuionem, quæ frequenter inter vos in charita-

te ſonuit. Filiæ meæ nunc rutilant in cordibus ſuis, præ triſtitia, quam habent de matre ſua, anhelantes & ſuſpirantes ad cęleſtia. Poſteà in lucidiſſima & rutilante luce lucebunt per gratiam DEI, & fortiſſimæ milites in domo eius fient. Vndè ſi quis in hac turba filiarum mearum diſcordiam & diſceſſionem huius habitationis & ſpiritalis diſciplinæ facere voluërit, donum Spirituſſancti auertat hoc de corde illius. Quòd ſi DEVM contemnens, id tamen fecerit, manus Domini occídat illum coram omni populo, quia dignus eſt vt confundatur. Quapropter ô filiæ, locum iſtum quem ad militandum DEO elegiſtis, omni deuotione & ſtabilitate inhabitate, quatenùs in eo ſuperna præmia adipiſcamini. Vndè & charitas in ſapientia dicit: Ego ab antiquo ordinata ſum, & in formatione primi hominis ſui, cùm à DEO plaſmatus eſt, quia cælum & terram & reliquas creaturas DEVS propter hominem ſapienter creauit, vt ab illis & ſuſtentaretur, & paſceretur. Vndè & ſapientia faber rectè dici poteſt, quoniam cælum & terram circuiuit, & ęquali pondere ponderauit. Caro autem hominis, cum anima in venis & in medullis pleniter perfuſa eſt, ità vt caro per animam ſemper ſuſcitetur: & quia etiàm homo creaturas per animam cognoſcit, ipſas in iocunditate & gaudio habet. Sic nanque homo in carne & anima velut de miſericordia & charitate amabilis eſt, quemadmodùm ſapientia & charitas vnum ſunt. Per has duas virtutes, ſcilicet ſapientiam & charitatem, angeli & homines Deo in humilitate obtemperabũt, quoniam humilitas ad honorem Dei frequenter ſe inclinat, & ità omnes virtutes ad ſe colligit. In his itaque virtutibus Deus hominem plaſmauit, nè totus periret, ſicut etiàm angeli omnes non periĕrunt, quia multi cum Deo perſtiterunt, alij verò cum antiquo ſerpente ceciderunt. Deus enim hominem in

Eccl 24.

Humilitas

in ſapientia creauit, in charitate eum viuificauit, in humilitate verò & obedientia illum rexit, quatenùs intelligeret quomodò viuere deberet: Sed primus angelus hæc intelligere noluit, quod eſſe nõ potuit, quoniam vita vna à ſeipſa eſt, à qua omnia vitalia ſunt: quapropter ille de vita cecidit, & aruit, velut etiàm in creaturis, videlicet in arborib⁹, in herbis & in alijs creaturis quandoquè fit, cùm aliqua de ipſis cadẽdo areſcũt, quia ſuccũ non guſtauerunt. Angelus quippe à DEO vitalis eſt. Homo autem plenum opus Dei eſt, quoniam Deus in ipſo ſemper operatur, quod homo in ſeipſo intelligere poteſt: quia quandiù in hac vita viuit, cogitare & operari non deſinit aliqua, in quacunque parte ſit: cùm autem in hac vita finitus fuerit, in alia vita infinitè viuit. Cùm enim homo bona operatur, bonis angelis ſimilis efficitur: cùm autem magnum honorem, quomodò Deus ipſum formauerit, non cognoſcit, & cùm à recta obedientia fugit, nec in humilitate operatur, ſed à ſeipſo eſſe vult, ſimilis peſſimis angelis effectus, de vita (vt Sathanas) cadit & areſcit. Tu autem ô homo, Deum in his culpabilem habere vis: quapropter tibi reſpõdetur, Num teipſum creâſti? Non. Conuenientius ergò eſt, vt magìs tibi ſeruias, quàm illi qui te creauit? Et quam mercedem tibi parare poteris, cùm teipſum non feciſti? Nullam, ſed pœnam ignis. Sic in duabns partibus iſtis angeli & homines atque reliquæ creaturæ Dei, diuiſæ ſunt, ſicut etiàm ibì factum eſt, cùm Deus hominem in circuncisione ſignauit. Quoniam primus deceptor primum hominẽ fallaciter illuſit, ità quòd inobediens Deo factus, verbis illius conſenſit, & per inobedientiam fecit, vt ei conſiliatus erat. Sed eadem inobedientia per circuncisionem in præcepto Dei ſciſſa eſt, quandò Abraham beneuolus DEO obediuit, ità faciens ſicut ei præcepit. Tunc

Homo. *Bona opera.* ☞ *Cauſa circũciſiõis. Gen, 17.*

idem deceptor cum doloſitate in ſe fremuit, quibuſdam hominibus malum hoc immittens, quòd poſſibile non eſſet, vt illum DEVM confiterentur, quem nec videre, nec audire, nec palpare poſſent. Et ſic in populo, qui per obedientiam ſignatus erat, bacchatus eſt, atque meminit, quia primum hominem deceperat, vbì dixit, Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum: & eis peſſimum ſufflatum immiſit, dicens, quòd nullo modo niſì in aliqua formatione DEVM cognoſcere poſſent: Quia & homo forma eſſet, & ſi DEVS hominem creâſſet, cur ſe ità abſconderet, vt homo illum nec videre, nec audire, nec compræhendere valeret. Sed tota vetus lex & verè ſignatus populus, antiquum hunc deceptorem & errantes homines iſtos opprimere non potuit, nec adhuc poterit, ſed DEVS ante nouiſſimum diem illos opprimet, & coram omni populo vincet: tali modo vetus lex cum omnibus his, videlicet cum illis, qui circunciſionem obſeruabant, & etiàm cum eis qui in prædicto errore erant, vſque ad natiuitatem CHRISTI cucurrit, vbì ipſe verus ſol iuſtitiæ in veritate apparuit. Et idem Sol magnum ſplendorem per doctrinam ſuam dedit, in humanitate ſua viſus & auditus, quoniam Prophetæ ipſum præcucurrerãt, quemadmodùm quidam planetæ ſupra ſolem ſunt, quod DEVS præuiderat, quandò firmamentum cum omnibus ornamentis ſuis conſtituit: Soli verò cum luna & ſtellis, DEVS aquam adiunxit, & nubes cum tempeſtate poſuit, quas fulgura perforant, & quæ per ſonitum tonitrui interdùm ſcinduntur, ità vt moueantur. Sicut enim DEVS creaturam iſtam ad ſeruitutem hominis conſtituit, ità etiàm & filium ſuum per eam præſignauit, quem Prophetæ prædixerunt, & cuius humanitatem cum ſeruitute prophetię tetigerunt, velut planetę ſolem ipſi ſeruiendo ſuſtentant. Prophe-

Gen.3.

tia nanq; quæ dixit, Eccè virgo cõcipiet, humanitatem ipſius tetigit, quia integritas virginis de calore Spiritusſancti, & nõ de calore carnis, concepit: Quemadmodùm ſol rem aliquam radijs ſuis ità transfigit, vt ex ardore ipſius tota caleat, nec tamen cõſumatur, quoniam ſol iuſtitiæ de illibata virgine proceſſit, & totum mundum illuminauit, velut etiàm ſol per firmamentum totum mundum illuminat, quod tamẽ integrum permanet. ſic virgo peperit filiũ, cuius nomen Emanuel, quia in integritate ipſum concepit, qui etiàm in eadem integritate ex ipſa proceſſit, vt ſol per firmamẽtum fulminat neutro diuiſo: & ideò nobiſcum Deus, quoniam in eadem incarnatione, quæ de obumbratione Spiritusſancti in vtero virginis orta eſt, ſancta Diuinitas integra tota fuit, ſicut ſol in firmamẽto, atq; vis Diuinitatis, cælos, abyſſos, & omnes creaturas tranſcendit: & tamen filius Dei per ſanctam humanitatem ſuam tunc nobiſcum erat. Sed & per oblatiõem corporis ſui, & per doctrinam ſuam nunc nobiſcum eſt & erit, donèc ipſum manifeſtè videamus. Eidẽ quoquè ſoli iuſtitiæ cum luna & ſtellis aquæ aſſunt, ſcilicet vt diſcipulos ſuos in vniuerſum orbẽ mitteret prædicare Euangelium omni creaturæ. Nam quæ prophetæ de ipſo prædixerant, in ſemetipſo compleuit, ſicut etiàm in die ſeptima ab creatione mundi, Deus ab omni opere ſuo requieuit. Et vt Deus omnem tunc creaturam ad ſeruiendum homini ſubiecit, ſic & nunc filius Dei poſt aſſcenſionem ſuam opera incarnationis ſuæ diſcipulis commiſit, cùm ex præcepto ipſius Euangelium omni creaturæ prædicabãt. Ipſi nanq; hominibus fidem rectam de filio Dei oſtendebant, quẽadmodùm cum eo manentes miracula eius viderãt & cognouerant, ſicut ſol in firmamento lucet. Hanc itaq; fidem innumerabili turba populorũ ſuſcipiente, Eccleſia ordinata eſt, vt luna cum ſtellis in firmamẽto conſtituta eſt. Sed & ijdem po-

[Margin notes: Eſa.7. — Aptiſſima comparatio incarnationis. — Luc.1. — Marc. vlt. — Gen. 2. — Eccleſia.]

Prælati.

puſi inter ſe diuerſos magiſtros & prælatos, Spirituſancto inſpirante, conſtituebant, velut etiàm firmamentum cum ſole, luna & ſtellis illuſtratum eſt, qui totam Eccleſiam ſuſtentarent. Deindè tonitrua & fulgura per infideles homines & per crudeles tyrannos eleuabantur, qui fideles Domini, (qui in fide ardebant, ſicut ſol in virtute ſua lucet) quaſi lupi inualeſ-runt, & ſanguinem ipſorum effuderunt, ità quòd etiàm non erat qui eos ſepeliret. Tonitrus quoquè, qui in primo caſu Sathanæ, cùm ille in infernum demerſus eſt, ſonuerunt per inimicos Dei, qui in peccatis peccare non ceſſabant, ſurrexerunt, & fulgura in plurimis Chriſtianis, qui fidem in infidelitate diuidebant, apparuerunt, & multos catholicos comburebant: ſicut per Arrium factum eſt, quem Athanaſius omninò conculcauit, de Iohanne Euangeliſta confortatus, qui de pectore Ieſu hoc ſuxit, quòd in altum volauit, cùm in myſtico ſpiramine de Diuinitate Euangelium edidit. Quemadmodùm idem Athanaſius poſteà de vnitate Diuinitatis, Eccleſiam muniendo, ſcripſit, videlicet vt omnis homo qui voluerit ſaluari, teneat fidem integram & inuiolatam, in Deum perfectè credens, nè in gehennam demerſus, gehennalis fiat. Sed fides vera eſt, vt vnus Deus in Trinitate perſonarum, eadem Trinitas in vno DEO, glorioſè honoranda ſit, ſinè vlla confuſione diuiſionis vnitatis, quia vnus Deus in vna ſubſtantia, Diuinitatis inſeparabiliter eſt. Nō enim aliud eſt pater in ſubſtantia, nec aliud filius, nec aliud Spirituſſanctus, nec abinuicèm in ſubſtantia Diuinitatis ſegregati ſunt: ſed in patre & filio & Spirituſancto, vna Diuinitas vnius ſubſtantiæ in gloria maieſtatis eſt. Attamen alia eſt perſona patris, quę nec filij, nec Spirituſſancti eſt: Alia filij, quæ nec patris, nec Spirituſſancti eſt: Alia Spiritusſancti, quæ nec patris nec filij eſt; & perſonarum iſtarum vna eſt Diuinitas inſeparabilis,

Hęc de noſtris S. martyribus, non de ſatanæ martyrib⁹, intelligenda ſunt.

Diuinitas.

Vnitas diuinitatis.

Tres perſonæ Diuinitatis.

æquus

æquus honor & ſtabilis, coæterna potentia & inuincibilis. Nam qualis eſt pater in Diuinitate, & non in perſona, talis eſt filius in Diuinitate, & non in perſona: talis quoquè eſt Spirituſſanctus in Diuinitate, & non in perſona: quoniã alius pater, alius filius, alius Spirituſſanctus in perſonarum diſtinctione eſt: non tamen aliud pater, aliud filius, aliud Spirituſſanctus in Diuinitatis ſubſtantia. Et quomodò perſonæ iſtæ intelligendæ ſunt? Deus vtiquè in verbo ſuo rationalis eſt & viuit. Et Deus creauit mundum, ſcilicet hominem cum omni gloria ſua, quod ità debere eſſe, Deus ſemper in ęternitate habuit. Hoc Deus ſolus fecit, ſinè quo nullus eſt. Et quis eum nõ extantem fieri faceret? Nullus omninò. Deus omnia in verbo ſuo fecit, vt Iohãnes, qui ſupra pectus Chriſti recubuit, affirmat. Sed Deus ignis eſt, & in igne hoc flamma latet, & flamma hæc in vita mobilis eſt. In igne autem iſto nulla diuiſio eſt, niſì diſtinctio perſonarum. Ignis autem materialis & viſibilis, aurei coloris eſt, & in igne iſto flamma coruſcat, quæ in valido vento flagrat. Ignis quidem hic non coruſcaret, niſì flammeus eſſet: & mobilis non eſſet, niſì per ventum: vndè & tria vocabula in igne iſto ſunt. Flamma nanq; de igne eſt, & ignis de flamma coruſcat, & non niſì per validum ventum mobilis eſt. Ignis quoquè cum flamma ardet, & ardor iſte integer ignẽ & flammam æqualiter perfundit & inflat, & ſi ardor in igne non eſſet, ignis non eſſet, nec tonitrum flammæ haberet. Sed & anima ignis eſt, & ignis eius totum corpus in quo eſt, perfundit, venas ſcilicet cum ſanguine, oſſa cum medullis, & carnem cum liuore, & inextinguibilis eſt. Et ignis animæ ardorem in rationalitate habet, qua verbum ſonat. Quòd ſi anima ignea non eſſet, frigidam coagulationem non perureret, nec ſanguineis venis corpus ædificaret. Quia autem anima in rationalitate ventoſa eſt, per omnia loca corporis calorem ſuum

Ioh. 1.
Ioh. 13.
Ignis.
Peruenuſta animæ humanæ deſcriptio

um

um rectè diuidit, nè corpus exurat. Cùm verò anima de corpore ſe extorſerit, corpus deficit: quemadmodùm ligna non ardent, cùm ardore ignis caruerint. Homo nanq; ſecundùm Deum, ratiõalis eſt: & rationalitas hominis cum igne in vento ſonat. Rationalitas enim, magna vis eſt, ignea, & non diuiſa: & ſi non eſſet ignea, non eſſet ventoſa: & ſi ventoſa non eſſet, non ſonaret. DEVS itaque omnia creauit, & præter ipſum ſolum nullus vnquàm aliquod vitale fecit, quanuìs homo arte ſua quæq; fingat, quæ tamen viuere non facit, quoniam homo initium habet. Et hic qui omnia creauit, creatus non eſt, quia nullum initium ante ipſum fuit, ſed ipſe ſinè initio eſt, & omnia in ipſo ſunt, quoniam per ipſum omnia facta ſunt. Per illa autem quæ homo propter timorem fugit, nè eum lædant, fidutiam ad Dominum habet, clamando vt ipſi ſuccurrat, & eum in requie pacis conſeruet. Per hæc verò quę propter hominem ſunt, & quæ in ipſo exiſtunt, & cum quibus ipſe operatur, & quæ ei ex his placidè ac conuenienter adſunt, charitatem ad DEVM habere diſcit. Si enim homo nihil ſciret, niſì quod ſibi lene & ſuaue eſſet, neſciret quid idem eſſet, & quid vocaretur: vndè de pondere duritiæ nociuorum ſummã ſcientiam habet, & quid bonum & malum ſit, cognoſcit, & ea (vt Adam) nominare ſcit. Nam ſi vnum in rebus tantùm ſciret, opus DEI in illo perfectũ non eſſet: & rem quam videret, non cognoſceret, & quam audiret, quæ & qualis eſſet, ſcire nõ poſſet: quapropter vacuus eſſet & extinctus, quẽadmodùm hoc quod per ignem combuſtũ in carbonem conuertitur. Itaq; vt prędictũ eſt, increatus pater eſt, filius etiàm increatus, ſic & Spiritusſanctus increatus, quoniã hę tres perſonę, vnus Deus eſt, & oẽs creaturę per eundem Deum createſ ſunt: ſed ſinè ipſo factum eſt nihil. Initiũ quippe, quod in initio creationis factum eſt, ſimilitudinẽ illius qui ſinè initio eſt, habe-

Ioan. 1.

Hæc admodùm abſtruſa.

Ioan. 1.

habere voluit,quod nullo modo fieri debuit,quia nihilū fuit, quoniam in Deo vita & veritas eſt, in perdito verò angelo & in homine vanitas eſt,quam ſuperbia inflauit,quæ tanq̃ ventus pertranſijt.Et quod per Deum & in Deo factum eſt,vita in ipſo eſt,& Deus caput illius contriuit,qui prædicta mala primùm arripuit,ac eum qui ſinè vita eſt, in infernum proiecit. Superbia.

Immenſus etiàm pater eſt,quia nulla capacitate compræhēdi nec numero finiri poteſt,vt illa poſſunt quæ in principio facta ſunt.Omnia enim Deus in præſcientia ſua habuit, ſed tamen ſubitò illa non creauit,vndè etiàm quoddam interuallū in craturis eſt,ſicut in homine,ꝙ infans, puer, iuuenis, ſenex, ac decrepitus efficitur.quod quidē cōprehendi poteſt.Sed & in filio & ſpiritu ſancto intelligendum eſt, quòd immenſi nec capacitate,nec numero compræhēdi poſſunt. Immenſus Deus.

Aeternus quoquè pater eſt in illa ſcilicet æternitate,quę nunquàm incepit, & in ſimilitudine circumeuntis rotæ,in qua nec principium, nec finis cōſpicitur.Deus enim ſpiritus eſt.Omnis quippe ſpiritus,incompræhenſibilis & indiuiſibilis eſt.Aeternitas nanq; ſinè omni commutatione hac,quod dicitur,fuit & eſt,ęterna manet,nec in ea vllus Deo aſſimilatur.Nā æternitas vnica eſt, omneſq; eius creaturæ per ipſam factę ſunt. Aeternus Deus. Ioan. 4.

Et coæternus patri in Diuinitate filius,à creatura indumentū quod homo eſt, induit:quod indumentum Diuinitas ità declarauit, velut ſoli radius ſuus infixus eſt.Sol autē lumen ſuū in terram emittit, nec tamen propter hoc augetur aut minuitur:nec filius DEI in mundum veniēs,auctus,nec minutus in Diuinitate eſt,qm̄ indumentum ſuum ſic induit,quemadmodùm Deus Adam de fragili creatura veſtiuit, nè nudus videretur. Homo quippe ęternitatem niſi in humanitate nequaq̃ videre poſſet,quia Diuinitas in humanitate latuit,ità ꝙ per indumentum humanitatis,filius cognitus eſt,vt etiàm per arma veſtitus homo cognoſci- Filius Deus. Auguſt.

Spirituſſanctus Deus.

gnoſcitur, quanuis in eis latens non videatur. Sed & æternus eſt Spiritusſanctus, patri & filio coæternus, qui in initio omni creaturæ affuit, & eam inſpirando motabilem fecit. Et nõ tres æternitates in Deo ſunt, ſed vna æternitas in ipſo eſt, & non tres, velut Arrius particulas in illa fecit, quemadmodùm mẽbra hominis in abſciſſione truncantur, ſed æternitas vna Diuinitas eſt, quam rationalitas hominis, propter fortiſſ. opera illius, nomine vno nominare non poteſt. Sed & quoniam homo initium habens, in cinerem vertitur, ideò etiàm hæc, quæ ante principium & poſt finem ſunt, enarrare non valet: Sed in anima ſua vnam fidem tenens, de ſubſtantia Dei, quæ ſpiritalis eſt, loquitur. Anima enim ſpiraculum à DEO eſt, vndè & multa inuiſibilia capit, & vnitatẽ Diuinitatis in recta fide ſentit, quia non tres increati Dij, nec tres immenſi, ſed vnus Deus eſt, videlicet increatus & immenſus, nec in tres modos, nec in tres partes diuiſus. Omnipotens etiàm pater eſt, qui per verbum ſuum, quod omnipotẽs filius eius eſt, omnia creauit, quę omnipotens Spiritusſanctus qui vita eſt, ità pertranſit, vt etiàm calor ignis & flammæ ardet. ſic tamen nõ tres omnipotentes, ſed Deus in tribus perſonis, vnus Deus omnipotẽs eſt.

Pulchra cõparatio vnitatis Diuinitatis.

Et vt inconueniens eſſet, ꝙ homo qui cum rationali anima vnus homo eſt, in tres diuideretur, quoniam tunc integra vita non eſſet, ſed mortale cadauer, quomodò poſſet vnica vita, in qua nulla mortalitas initij & mutatiõis eſt, diuidi? Sed & Deus eſt pater, qui potens eſt: Deus eſt filius, qui potentia patris eſt: Deus eſt Spiritusſanctus, qui vita eſt, per quam omnis vita procedit. Non autem tres dij ſunt, ſed abſq; omni diuiſione vnica deitas eſt, cuius fortiſſima vis ſingulis nominibus nominatur. Ità etiàm dominando Dominus eſt Pater, operando Dominus eſt Filius, viuificando Dominus eſt Spiritusſanctus; & hi ſunt integra Diuinitas trium nominum, ſicut Deus

Potẽtia Diuinitatis.

omne

omne opus ſuum in vna vi Diuinitatis ſignauit. Nec Domini ſunt ſingulariter dominantes, ſed plena integritate vna Diuinitas in tribus viribus trium perſonarum eſt, ſcilicet dominãdo, operando, viuificando quoquè omnes creaturas, & eas ad officium ſuum mouendo: & ſic vnus Dominus eſt. Et Dominus iſte duo opera fecit, angelum videlicet & hominem cum omni creatura. Angelus aũt ſpiritus eſt. Homo autem ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, vt quinq; ſenſibus corporis ſui operetur, per quos etiàm diuiſus non eſt, ſed per eos eſt ſapiens & ſciens & intelligẽs opera ſua adimplere. Has tres vires Deus in homine ſignauit, per hoc ſcilicet, quòd anima hominis rationalis eſt, quę corpus ad operandum mouet, & in qua quinq; ſenſus corporis hominis pleniter perficiuntur. Per viſum enim homo creaturas cognoſcit, per auditum verò rationalitas ei narrat, quid hoc ſit quod audit. Per odoratum autem, quid ſibi conueniens vel inconueniens ad vtẽdum ſit, diſcernit. Per guſtum etiàm, quibus & qualibus paſcatur, cognoſcit, & per tactum bona & mala operatur, & omnia opera ſua cum prædictis quinq; ſenſibus regit. hi quinque ſenſus in homine, ità in vnum coniunguntur, quòd alius alio nequaquàm carere poteſt, & in vno homine ſunt, qui tamen non in duos, nec in tres homines diuiditur: Sed omnia opera ſua cum his quinque ſenſibus perficit, & vnus homo eſt. Sed & per hoc, quòd homo ſapiens, ſciens & intelligens eſt, creaturas cognoſcit. Itemque per creaturas & per magna opera ſua, quæ etiàm quinque ſenſibus ſuis vix compræhendit, DEVM cognoſcit, quem niſì in fide videre non valet. Homo itaque per quinque ſenſus ſuos in creaturis omnia compræhendit & cognoſcit, quia per viſum amat, per guſtum ſapit, per auditum diſcernit, odorando ſibi conueniens eligit, & per tactum id quod ſibi placet, operatur: &

Quinque ſenſus hominis.

Viſus.

Auditus.

Odorat⁹.

Guſtus.

Tactus.

Fide Deus cognoſci poteſt.

in hoc Deum, qui oēs creaturas creauit, exemplatur. Sic quo-
què homo per hoc quòd ſapiens eſt, quid ſibi placidū ſeu no-
ciuum ſit, ſapit: & per hoc quod ſciens eſt, creaturam iubēdo
conſtringit, ꝙ ei miniſtrando ſubiaceat, & quod vult, ſibi at-
trahit: & quod non vult, à ſe fugat: & per hoc quòd intelligēs
exiſtit, quid vnicuique creaturę in officio conueniat, nouit.
Cum his enim tribus viribus & appendicijs earum, homo ra-
tionalis in anima eſt, quæ nequaquàm diuiditur, ità etiàm, vt
ſi per ſuaſiōem Diaboli membrum aliquod hominis abſcindi-
tur, ratiōalis anima proptor hoc nullo modo diuiditur. Cor-
pus verò, ædificium animæ eſt, quod cum illa ſecundùm ſen-
ſibilitatem ſuam operatur, quemadmodùm molendinū aquis
circūfertur. Oēs ergò populi chriſmate vncti, tres perſonas
in vnitate eſſe confiteantur: ſed ꝙ tres perſonæ, vna vera fir-
maq; Diuinitas ſit. Et quoniam tres animę nō ſunt in vna ra-
tionali anima, quę tres vires habet, ſed vna anima eſt: quarè il-
la ſeparabilis diuiſio in vnitate Diuinitatis eſſet, cùm omnia
de Deo creata ſint? Nequaquàm ergò dicendum eſt, tres deos
aut tres dominos eſſe, ſed vnus Deus dicitur, qui omnia crea-
uit, & vnus Dn̄s quem omnes creaturę Dominum inuocant,
& cuius oues propriæ ſunt: & ideò prohibendum eſt, nè vlla
ſingularitas in vnitate Diuinitatis diuiſa habeatur, quia vnus
Deus eſt. Et pater à nullo eſt factus, quoniam ante eum nullus
apparuit, à quo genitus aut creatus eſſe poſſit, ſed ſinè initio
æternus eſt. Filius autem abſq; omni ſeparatione à patre ſolo
eſt, non factus initialis, nec creatus in membris, ſed genitus, vt
lumē in ſole ſinè omni ſeparatione eſt. Hic carnem de virgine
Maria aſſumpſit. Sed tamen claritas Diuinitatis ab eo non re-
ceſſit, quia æternaliter in Diuinitate cum patre fuit, quamuis
ſub tempore indumentum ſuum, videlicet carnē, de matre vir-
gine induerit. Sed ſpiritusſanctus vita eſt, quę oīa ſpiramina

in creaturis monet: & hic per nullum ſpiramentũ vita factus, nec etiàm ab vllo creatus, nec ab alio vllo genitus eſt: ſed patri & filio in Diuinitate coæternus & coęqualis exiſtit. Ipſe enim in prima creatione mundi aderat, quia ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, circulum totius orbis illuſtrans, cùm verbũ Dei dixit, Fiat. Et à patre & filio ſpiritusſanctus in veritate prophetię procedens, prophetas prophetare fecit, qui tamen multotiès profunditatem prophetię occultabant, licèt textum ſcriberent, quoniam velut in vmbra & in viſu noctis, interdũ per ſignificationem loquebantur. In igneis quoq; linguis ſuper Apoſtolos veniens, eos totos replebat, & eos alios homines fecit q̃ antè fuiſſent, ità vt ipſi eaſdem linguas viderent, & tactũ eiuſdem ſpiritusſancti ſentirent, qui ante natiuitatem Chriſti nulli hominum ſic apparuit, nec poſteà apparebit, quoniam Chriſtus vnigenitus Dei eſt. Quòd autem in igneis linguis eis apparuit, hoc ideò factum eſt, quia virgo Maria in igneo calore ipſius, filium Dei concepit, & ſic etiàm ipſe à Patre & à filio procedit. Et quoniã Apoſtoli eũ in igne videbant, cum ſapientia & intelligentia manifeſtè loquebantur. Sed & quia filius Dei in Maria virgine de Spiritusſancto conceptus eſt, ſpiritusſanctus in ipſo manſit, & manet, & ſemper cum ipſo eſt, nec vnq̃ abinuicèm ſeparãtur. ideoq; integra & pura fides eſt, quòd Spiritusſanctus à patre & filio procedit, vt prędictũ eſt. Hoc verò quod filius dixit, Qui à patre procedit, ad honorem patris dicebat, attendens q incarnatio ſua ex tẽpore fuit, cùm paternæ Diuinitati tempus non aſſit. Itaq; vnus pater eſt, & non tres patres, ſed vnus pater: quia ſi pater non eſſet, filium non genuiſſet: & ſi filius genitus non fuiſſet, mundus creatus non eſſet. Vnus quoquè filius, non tres filij: ſed vnus, per quẽ omnia facta ſunt, patri conſubſtantialis: & vnus Spiritusſanctus, & non tres Spiritusſancti, ſed vnus viuificans omnia &

Gene.1.

Luc.1.

Ioan.15.

mouens. Nam vnaquæque radix viriditatem in ſe habet, de qua fructus procedit. Iſtud autem inæqualiter inſpicitur, & tamen in vno ſunt. Quarè ergò creator omnium, in Trinitate perſonarum non eſſet? Perſona enim patris, per radicem: perſona verò filij, per fructum: perſona autem Spiritusſancti, per viriditatem intelligenda eſt: & ab inuicèm non ſeparantur, ſed vnus Deus eſt. Et in iſta Trinitatis vnitate nihil prius antecedendo, nihil poſterius ſubſequendo, nihil maius in maius magnificentia, nihil minus in impotentia: ſed totæ huius Trinitatis perſonæ, ſinè vlla vacuitate in vnum ſe coniungũt, & in æternitate & in æqualitate coæternæ ſibi & coæquales exiſtunt, ità vt in eiſdem perſonis nihil ſit, de quo ſecundùm Diuinitatem dici poſſit Eſt & nõ Fuit, magnum & paruũ, quoniam Deus initio & fine carens, nullum augmentum, nullũ detrimentum recipit, quia immutabilis eſt. Opus autẽ Dei in creatura priùs non formatũ, modò formatum appáret, & per tempora tranſit, ſe in maius dilatando, & in minus ſe contrahendo. Tres ergò perſonæ in vnitate, vnusque Deus in tribus perſonis colendus eſt, quoniam ipſe omnia creauit, & vita eſt, per quam omnia vitalia procedunt, quod quilibet fidelis indubitanter ſic accipiat. Fideli etiàm neceſſarium eſt, nè à fide catholica ſe ſeparet: ſed incarnationem filij Dei veram eſſe credat, & ſeipſum, quomodò creatus ſit, & quomodò operans corpus cum rationali anima, vnum ſit, conſíderet. Deus enim ante tempora formam hominis, in qua carnẽ aſſumeret, præuiderat: & quicunq; in hoc dubitat, ſeipſum abnegat: nec credit, quòd in duabus naturis animę & corporis, per tres modos vnus homo eſt: quia ſi vnum de tribus iſtis, ſcilicet anima, corpore, & rationalitate, (de quibus homo conſtat) deeſſet, homo non eſſet. Nam homo rationalis in anima eſt, quæ in corpore quęlibet cum ſono verborum perficit, quoniam creatu-

Perpulchra Trinitatis cõparatio.

Fides Catholica.

ræ

ræ homini aſſunt, quemadmodùm rami arbori, quia homo non ſinè reliqua creatura, ſicut nec arbor abſq; ramis creatus eſt. In veritate ergò recta fides eſt, ꝙ Chr̃s Dei filius, ante tẽpora natus, Deus eſt, & etiàm ꝑ indumentũ carnis verus homo eſt. Deus itaq; eſt ex ſubſtantia patris, quoniam illi ſinè tempore coæternus & coæqualis eſt, ante ſecula genitus, quia omnia per ipſum facta ſunt: ſed per humanitatẽ, quę tempus habet, ex ſubſtãtia matris homo eſt. Ipſe etenim plenus Deꝰ eſt in integritate æternitatis, plenusq; homo cũ rationali aĩa & carne munda, & abſq; vlla virili cõmixtione humanæ naturæ, atq; coęqualis patri in ęternitate Diuinitatis eſt, minor autẽ eo in humanitate, q̃ tempus habet. Et ipſe Deus & homo exiſtẽs, nõ in duos diuiſus eſt, ſed vnus eſt Chriſtus, non tñ per commutationẽ Diuinitatis in carnẽ, ſed per aſſumptionẽ carnis, quã Diuinitas ſibi adiunxit, & quam claritate ſua ſic perfundit, vt radius ſolis in ſole lucet: nec ob hoc vlla confuſione ſubſtantia Diuinitatis, ſeu ſubſtãtia carnis, in inuicèm confuſæ ſunt: ſed in vera vnitate perſonę, vnus eſt Chriſtus, verus Dei filius. Sicut enim in rationali anima nulla cõmutatio per carnẽ hominis eſt, quin ipſa rationalis ſpiratio ſit à Deo, quę totũ corpus hoĩs perfundit, & quæ cuncta opera operantis hominis mouet: & vt ſic aĩa & caro vnus eſt homo, ità etiàm abſq; omĩ dubio Dei filius ante ſecula natus, carne ex virgine aſſumpta pleniter (vt prædictũ eſt) indutus, Deus & homo exiſtẽs, vnus eſt Chr̃s, ꝑ vnctionẽ vtiq; gratię Dei Chr̃s dictus. Qui in S. humanitate ſua, ꝑ fixurã clauorũ & lanceę, vulneratꝰ eſt propter vulnus vnũ primi hoĩs, quod cũcto generi ſuo ille inflixerat, quatenꝰ liuore ſanguinis ſui illud ſanaret, & vnctiõe olei gratię illud ꝓfunderet, ac ꝑ pœnitẽtiã illud ligaret, cũ homo ſe peccaſſe doleret: Vulneratus aũt, deſcẽdit ſpiritaliter in puteũ infernalis ꝓfundi, illicq; ꝑplurimos ſibi attraxit, ſ. eidẽ inferno primũ.

Ioan. 1.

Alta myſteria.

Ioan. 19. Eſa. 53.

Peccatum originale per meritum Chriſti ſanatur in pœnitẽtia.

primum hominem abſtulit, & omnes qui Deum in moribus humanæ honorificentiæ vnquàm tetigerant, & eos in locum deliciarum & gaudiorum, quem in primo parente perdiderãt, locauit. Sed quòd die tertia ſurrexit à morte dormiẽtis corporis, in hoc tres perſonas deitatis deſignauit, atque eodem corpore aſſcendens, ad cælos iuit, ibiq; dominando ſedet ad dexteram patris, quę ſaluatio credentis populi eſt, illis vitã tribuens, quos ſanguine ſuo redemit. Et hi omnes ante tempora
Ioan. 1. omnium principiorum prę ſciti ſunt, quoniã verbum patris, per quod omnia facta ſunt, carnem induit, vt hominem quem formauerat, redimeret. Idem autem filius Dei, in fine ſeculi iuſtus iudex veniet iudicare viuos & mortuos, viuos ſcilicet, qui opus fidei operantes, in eodem opere bono inuenti ſunt: mortuos autem, qui opera mortis per infidelitatem operati ſunt, cùm in voce vocationis canentis tubæ, homo eidem filio Dei per iudicium vt ſcabellum ſubiacebit, quoniam tunc eum videndo, qui dignus eſt, cognoſcit. Nam in aduentu iudicis huius, per prę fatam vocationem, mortui cum corporibus ſuis reſurgent: quemadmodùm etiàm per ſonum verbi Dei, oĩs creatura proceſſit: & omnes de proprijs operib' ſuis, quæ in morituro corpore operati ſunt, iudici ſuo reſpondebunt, nec vllus ſe excuſare poterit, quia vnuſquiſque opera ſua, quę priùs ſe feciſſe tantùm ſciebat, tunc cognoſcendo palàm videbit, quoniam in ipſis velut in indumento eſt, vndè & illa eũ vbiq; ſequentur. Et qui iuſta & recta opera fecerunt, ibunt in maiorem claritatem vitę, quàm mũdo huic ſol luceat, animabus eorum gratia illuſtratis, vndè & angeli DEVM laudant, quia iſti tam magna opera operati ſunt, quòd eis glorioſè circundantur, velut homo precioſa veſte qua induitur. Innumerabilem quoq; multitudinem hominum illorum, qui ante finem ſuum vel etiàm in fine ſuo pœnitentiam perfectè egerũt,

ac Deum in peccatis ſuis confeſſi ſunt, filius hominis in ſanguine ſuo ad ſe eleuabit, & vnicuiq; ſecũdùm opera ſua mercedem in vita retribuet. Sed mali de iniuſtis operibus ſuis nullam excuſationem habentes, & quid dicere poſſint, neſciẽtes, & qui per artes Diaboli ſimulacra adorauerũt, & cum diabolica turba mala opera infinitè operati ſunt, confuſione operũ ſuorum veſtientur, & in puteum inferni cum Diabolo deſcẽdent, quem occupauit, cùm Deo ſimilis eſſe voluit. In veritate igitur & fidutialiter credendũ eſt, quia vna Diuinitas in tribus perſonis, & tres perſonæ in vna Diuinitate, vita vna ęternitatis ſunt: & qui ſic non crediderit, de die ſaluationis eradicabitur. Vos autem ô magiſtri & doctores populi, quarè cęci & muti eſtis in interiori ſcientia literarum, quã Deus vobis propoſuit, quemadmodùm ſolem, lunã & ſtellas inſtituit, vt rationalis homo tẽpora temporũ per eas cognoſcat & diſcernat. Scientia ſcripturarum vobis propoſita eſt, vt in illa velut in ſolari radio vnumquodq; periculũ cognoſcatis, & vt per doctrinam veſtram in infidelitatẽ errantium hominũ vt luna in tenebras noctis luceatis, qui ſunt vt Saducæi & hæretici, & vt alij multi in fide errãtes, qui inter vos incluſi ſunt, & quos etiàm multi ex vobis ſciunt, prona facie pecoribus & beſtijs ſimiles exiſtentes. Nam nec vident, nec ſcire volunt, ꝙ per ſpiraculum vitæ rationales ſunt, nec capita ſua ad illum eleuãt, qui eos creauit, & per quinq; ſenſus regit, quos ipſis donauit. Quarè ergò in ratiõali homine ſimilitudo proni animalis eſt, quod per flatum aëris ſuſcitatur, quem iterùm exhalat, & ſic finitur, & quod aliam ſcientiã non habet, quàm quòd ſentit & ferientem timet, & quod per ſe nihil operatur, niſi ad hoc impellatur? Et quomodò decet vt homo in ſocietate pecoris ſit, quod ipſi per miniſterium ſubiacet, & per quod paſcitur, ac cui imperat & dominatur, quoniã rationale non eſt? Vndè

Malorum punitio.

Doctores & concionatores al loquitur.

Hæretici.

Deſcriptio pecoris.

ſummus pater ad filium loquitur, ſicut per ſpiritumſanctum
Pſal. 2. ſcriptum eſt: Reges eos in virga ferrea, tanquàm vas figuli cõ-
Explicatio eiuſdẽ loci. fringes eos. Quod dicitur: Qui tibi reſiſtunt, reges eos in virga ferrea, quæ dura eſt, caſtigans: & tanquàm vas figuli, quod de luto factum eſt, cõfringes eos, quia & ipſi de terra ſunt. Oſtiũ enim rectitudinis per fidem non ingrediuntur, nec per famam bonorum operum egrediuntur, quoniã fures ſunt, & per proprietatem voluntatis ſuę, mactant & perdunt, quod volunt, quia hypocritæ ſunt, legẽ ſibi in perditionẽ euertentes. Vos aũt qui in magiſtrali doctrina velut luna & ſtellæ audiẽtibus eſtis, quibus tamen magìs propter honorem & diuitias ſeculi, quàm propter Deũ, ſcripturam ruminatis, audite & intelligite, ꝙ multò plùs neceſſarium eſſet, vt nocturnas tenebras errantium & infidelium hominum ſcinderetis, qui ignorant in qua via ambulent, quatenùs illos per fidem ad nos traheretis. Nunc ergò regite eos, per veram admonitionẽ ipſis oſtendentes, ꝙ Deus in principio propter hominem cęlum & terram & reliquas creaturas creauit, & hominẽ in voluptuoſum locum paradiſi poſuit, eiq; præceptum quod præuaricatus eſt, dedit:
Gene. 3. quapropter & in tenebras exilij huius expulſus eſt. In eadem verò præuaricatione demõſtratum eſt, quàm magnum piaculum fuit quod homo non creatori, ſed illi qui eum ſeduxit, obediuit: quoniam iuſtius eſt obedire Dño, quàm fallaci ſeruo, qui ſe Dño ſuo aſſimilauit. Cum his etenim verbis implete corda illorum in virga ferrea, quatenùs cognoſcant, nè ſe à creatore ſuo auertãt, vel ſi per infidelitatem ab eo declinauerint, quòd in ſepulcrum inferni cum illo, quem imitati ſunt, cadant. Nam qui in infidelitate perſeuerauerint, tãquàm vas figuli, quod figulo indignum incongruumq; videtur, cõfringentur: & quia opera fidei non fecerunt, in æternam vitã introire non poterunt, ſicut nec malè factũ vas figuli reparatur,

ſed

ſed confringetur. Hæc vos qui populum regitis, intelligite, & ad inuiſibilem Deum, quem nemo expugnare, nec carnalibus oculis videre poteſt, adſpicite, ac quomodò villicationẽ veſtrã regatis, quam ab illo accepiſtis, attendite, quoniã in nomine illius magno honore glorificati eſtis, & ſic populũ regite, nè in die iudicij coram illo de regimine veſtro erubeſcatis. Caueteque quoq; nè per voluptatem carnis & delicias ſeculi ità tædio afficiamini, vt vix oculum vnum ad cęleſtem doctrinã aperire poſſitis. Hæc autẽ dura ſunt vobis, quia qui diligẽter cæleſtia attendit, in his quę regit, totum corpus ſuum vulnerat, quoniam deſideria carnis ſibi abſtrahit. Igitur propter timorem Dei, qui vita & veritas eſt, hominẽ in fœminea forma hęc ſcribentem, nè deſpiciatis, quę doctrina literarum indocta eſt, & quæ ab infantia ſua vſq; in ſeptuageſimũ ætatis ſuæ annum imbecillis erat, & quę ſcripturam hanc oculis & auribus exterioris hominis non vidit, nec audiuit, ſed quæ tantùm in interiori ſcientia animę ſuę eam vidit & audiuit. Nolite ergò mentem veſtram in altum extollere, eam ſpernẽdo, quoniam Deus irrationale animal loqui fecit, ſicut voluit. Viſio autem hæc, in qua ego paupercula forma iſta vidi, ab infantia mea vſq; in prędictam ætatem ab anima mea non receſſit: & hæc quę prędicta ſunt, in loco iſto ſcripſi, qui à quibuſdam tyrannis deſtructus, per plurima curricula annorũ deſolatus manſit, in quo reliquiæ S. Roberti requieſcunt, qui nobilis ſecundùm dignitatem pręſentis ſeculi fuit, & quem Deus in viceſimo ætatis ſuæ anno ad ſe glorioſè collegit, qui locus nunc tandèm poſt eoſdem deſolationis annos, per gratiam Dei in mirabilibus ipſius reſtauratus exiſtit. Dominus enim in hoc ſancto ſuo verborũ illorũ memor fuit, quę ad diſcipulos ſuos loquens, ait: Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, nec omittere voluit, quin eum reuelaret. De meritis etenim ſan-

Continua infirmitas authricis.

Nume. 22.

S. Robertus.

Locus ſanctus.

Matt. 10.

Merita ſanctorum.

ctorum ſcribendũ eſt, quatenùs bona & recta fama in aures fideliũ ſonet, quẽadmodùm etiàm creatura Deo laudes ſonat, quia ab ipſo creata eſt. Deus quippe æternus eſt, & opus ſuum ad laudẽ nominis eius factum eſt, quoniam ſi anima in corpore hominis non eſſet, homo non viueret, nec anima ſinè carne operaretur. Sic angelus in Deo laus eſt, & homo opus in Deo eſt. Itaq; laus illi ſit in omnibus mirabilibus ſuis, & in meritis

Merita ſanctorũ.

ſanctorum, qui vera æternitas eſt, omnia creãdo, & in nouiſſimo die cælum & terram renouando, cuius altitudinem & profunditatem nullus alius tetigit, & cuius ſcientiæ latitudinem nullus comprehendere poterit. Hæc itaq; ſcriptura, à fidelibus audienda & intelligenda eſt: O quàm glorioſa Diuinitas eſt, quę creando & operando, per creaturam ſuã ſeipſam oſtendit, quemadmodùm in tribus pueris fecit, quos ità infu-

Dan.3.

dit, quòd ſinè omni viſione ſcripturarũ & abſq; doctrina hominũ, in camino ignis ipſum laudabant. Sicut enim felix anima exuta carne, nihil aliud quàm Deum ſapere & cognoſcere deſiderat, ità iſti beati tres pueri adhuc in carne viuentes, Deũ ardenter deſiderando, naturã animę imitati ſunt. Deus etiàm pater filium ſuum per incredulitatem ignorantiæ nominari voluit in Nabuchodonoſor, velut etiàm maligni Spiritus ipſum ſciunt, nec tamen eum confitentur, quibus omnibus mirabilia ſua Deus ſæpè oſtendit. Omnipotentiam quoquè

Iudic. 14.

ſuam in Samſon fortiſſimo manifeſtauit, qui fortitudine ſua leones & feroces beſtias ſuperans, ab vxore ſua (ſicut Adam

Geneſ.3. Iudic. 16.

ab Eua) deceptus eſt, qui tamen deindè vires ſuas recipiens, ipſam mulierem & reliquos inimicos ſuos vicit, ſicut & CHRISTVS infernum deſpolians, vim inimicorum ſuorũ deuaſtauit. In duriſſimo autem prælio Dauid contra Goli-

1. Reg. 17.

ath præfigurauit, quòd per humanitatem filij ſui antiquum ſerpentem ligaturus eſſet. Sed & in mollem muliebrem

ſen-

ſenſum tantam vim miſit, vt mulier Holofernem in nocte interficiens, Iſraeliticum populum liberauit, & in hoc genitricē filij ſui præſignauit, per quam fidelis populus liberandus erat. In antiquis enim ſanctis per prophetiam prophetarum & holocauſta arietum & taurorum, pactum fœderis figurare fecit, quia eccleſiam per copulationem deſponſationis filio ſuo adiungendam prænotauit. Per indumentum enim humanitatis filij Dei, Eccleſia eidem filio Dei adhæret, qui in ſanguine ſuo illam in hæreditatem ſibi dotauit, ità quòd ipſa per baptiſmū ad vitam ſobolem regenerat, quam Eua ad mortē generauit. Nam Chriſtus in ſanguine ſuo eccleſiā ſibi deſponſauit, ſicut per iuramētum, quod ſeruus Abrahæ ſub femore domini ſui ſpopondit, pręfiguratū eſt, videlicet eccleſia Chriſto deſponſandam eſſe. Sed cùm lucifer cum omnibus ſe comitantibus ſēſit, quòd Deus pater filio ſuo nuptias palàm fecit, in ſe fremuit, & quemadmodùm Cain ad ſanguinem Abel concuſſit, ſic corda incredulorum & tyrannorum inuaſit, quatenùs iuſtos, bonos & electos Dei caperent, vulnerarent, & occiderēt. Hinc eſt quòd Chriſtus diſcipulis ſuis parabolam de homine rege dicebat, qui ſeruos pro inuitatis ad nuptias miſit: ſed illis venire nolentibus, alios ſeruos miſit ad illos vt venirent, quoniam prandium ſuum paratum eſſet. Quod cùm neglexiſſent, tenuerunt ſeruos eius, & cōtumelia affectos occiderunt, quoniam antiquos ſanctos quos Deus primùm miſit, & apoſtolos qui poſteà miſſi ſunt, Iudæi & cæteri increduli homines, in magna lætitia ſæpè conuenientes, de terra deleuerunt. Deus autem per arcum in nubibus cæli poſitum, iuramenti ſui memor fuit, quandò filium ſuum, quem idem arcus ſignificat, ex integra virginea natura naſci voluit, qui om̄es inimicos ſuos potenter expugnando ſuperauit, quemadmodùm etiàm per aquam diluuij homines deleti ſunt, nouo tamē ſeculo homi-

Iudit. 13.
Eccleſia.
Gen. 24.
Gen. 4.
Matt. 22.
Gen. 9.
Gen. 7.

num per aquam baptiſmatis recuperato, in Eccleſia Chriſto regnante,velut arcu in nubibus apparente.Filio quippe DEI Eccleſia iuncta eſt.ſicut circunciſio legi,quæ ſeruiẽdo eccleſiam per ſignificationem præcucurrit. Sed nouum ſeculum, quod per ornamentum Eccleſię deauratum eſt,nunquàm in defectu ex toto deridebitur.Sicut etiàm arcus in cęlo non deficiet,ſed cum timore ità cõprimetur,vt vix vno oculo videat, iterùm in filio Dei recuperabitur.In varijs quoquè coloribus prędicti arcûs, vires virtutum millenarij numeri ſanctorum ſignificantur,in igneo ſcilicet calore caſtitas & cõtinentia,in purpureo martyria martyrum,in hyacinthino doctrina maiorum,in viridi autem virtutes bonorum operum ſanctorum accipiuntur,quę per filium Dei expiratę radiando, vt radijà ſole procedũt.Præfatus autem rex miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos,& ciuitatem illorum ſuccendit, quia cũ dolores,videlicet veteres & noui,præcurrendo præteriêrant, omnipotens Deus iratus ſuper inimicos ſuos,quãdò Romani principes Ieruſalem,quę ſanguine veri agni & ſanguine aliorum ſanctorum perfuſa erat,ſuffodiendo totam euerterunt, & omnia legitima eorum,qui in ea habitabant,illos occidendo & vendendo,deſtruxerunt. Tunc Eccleſia iterùm reædificata eſt,quemadmodùm ciuitas ſancta Ieruſalem noua deſcẽdit de cælo,à Deo parata ſicut ſponſa ornata viro ſuo, quoniã agnus Dei ad ſe collegit lactentis,puerilis, iuuenilis,maturæ ac decrepitę ętatis homines,quibus Eccleſiam in nouitate bonorum operum & in humilitate deſcendentium de cælo virtutum ornauit,velut vnuſquiſq; eorum bona & ſancta opera perfecit,à ſpirituſancto parata,quemadmodùm ſponſa ornatur viro ſuo, cùm in dilectione eius ardet, vt etiàm Eccleſia Chriſto coniuncta eſt,ſic & in electo ſuo,ſcilicet b.Roberto, Deus fecit,quem in infantia ſua totum perfudit, & quem ad bonum

Eccleſiæ ſtablitas.

Colores arcûs,merita ſanctorum.

Caſtitas martyrum doctrina.

Apo.21.

bonum finē perduxit,qui clarus genere & diuitijs ſeculi,per libertatem benedictionis Dei charus Deo extitit. Nā vt in vera viſione video,beatus patronus noſter Robertus, patre ſuo orbatus,cum matre ſua vidua in hoc loco viuens, & operibus bonis inſudans,ac Deo in caſtitate, humilitate & ſanctitate ſeruiens,cum caducis & temporalibus æterna pręmia mercatus eſt.Sicut enim viuens lumen in vera viſione mihi oſtendit, & me docuit,ſic de ipſo loquar. Vbicunquè opinio veræ ſanctitatis fuit,ibì ſanctitas ſtare & permanere diù potuit:vbicūquè vera ſanctitas non fuit,ibì mendacium durare diù nō potuit,quemadmodùm Diuina maieſtas apertè oſtendit, cùm me & quaſdam ſorores mecum ad locum reliquiarum eius per magnum miraculum magnarū viſionum tranſtulit,vt omnibus cernētibus apertè appáret.Pater ergò matris B.Roberti de Lotharingia oriundus, ibidèm princeps extitit, & magnam latitudinem prędiorum ac diuitiarum in regione natiuitatis ſuæ & in alijs circunquaquè poſitis regionibus & circa fluēta Rheni in * Pinguis habēs,magnus & nominatus inter principes ſeculi habebatur. Qui verè catholicus exiſtens, in temporibus imperatoris Magni Caroli claruit, puellamq́; matrem videlicet B.Berthæ,ex longinquis regionibus in magnis diuitijs ortam,ſibi in matrimonium coniunxit.Ex qua dum filiā, matrem ſcilicet B.Roberti habuiſſet, ipſam adultam pagano & tyranno cuidam, nobili tamē & duci ſecundùm ſeculi dignitatē,Robolao dicto,cum adhuc pagani & Chriſtiani propter rudimentum veræ fidei ſimul habitarent, gloria cōiugij ſolenniter aſſociauit,& prędia ſua quę circa Rhenum in Pinguis habebat,eadem filiæ ſuæ in dotem cōtulit, quatenùs ob elegantiam generis ſui, & ob amplitudinem prędiorum ſuorum, idem Robolaus ad Chriſtianū nomen cogi poſſet, quod tū nihil profuit.Qui poſtq̄ cùm ea per aliquod tēpus laudabiliter

Vita S.Roberti.

Sāctitatis ſtabilitas.

Mendacij inconſtantia.

B.Bertha.

liter vixiſſet, poſteà honeſtos mores ipſius videns, grauiter tulit, ac ſe alienis mulieribus coniungens, non illam tamẽ more coniugij deſeruit, ſed tyrannidem incredulæ mentis gerens, baptiſmum non amauit. Vndè beata mulier hæc valdè cruciabatur, in corde ſuo Deo vouens, vt ſi ab illo liberaretur, thalamo alterius viri non aſſociaretur, & ob hoc etiàm ſuſpirijs, lachrymis, orationibus ac eleemoſynis ſacrificiũ laudis Deo offerens, dicebat: O o, quandò liberabor de occupatione ſeculi huius, quæ animę meę & corpori meo amarus carcer eſt? De beneuolentia autem B. Berthæ magìs quàm de ſanctitate eius loquamur, vt gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis ſit. Nam ipſa tandèm filium concepit & peperit, & ſi dicere liceret, pannis illũ vt B. Dei genitrix Maria filium ſuum. Cuius pater plurima gloria ſeculi, vt præfatum eſt, pollens, in monte illo qui * Lubim dicitur, caſtrum valdè munitum habuit, & per totam prouinciam illam, ferè vſq; ad Moguntiam ciuitatem, ducatum tenuit. Cumq; B. infans Robertus trium annorum eſſet, pater eius in magnis prælijs contra Chriſtianos dimicans, occiſus, coram Deo & hominibus interijt, & beata Bertha vxor ipſius vidua remanſit.

Vouit caſtitatem b. Bertha.

Luc. 2.

* Lubun

Mors patris Roberti.

Reliqua huc ſpectantia, ſcriptor præfeſtinatione quædam importuna, ex Originali archetypo excerpere non potuit.

VITA S. HILDEGARDIS ABBATISSAE IN MONTE S. ROBERTI PROPE BINGAM, TRIBVS LIBRIS compræhenſa.

PROLOGVS IN VITAM S. HILdegardis Virginis.

DOminis venerabilibus Ludouico & Godefrido Abbatibus, Theodoricus humilis ſeruorũ DEI ſeruus, Salutem cum deuotis orationibus.

Authoritatis veſtræ præceptum accepi, vt poſt Godefridum virum ingenio clarum, vitam S. ac Deo dilectæ Hildegardis virginis, (quam ille honeſto ſtylo inchoauit, ſed non perfecit) in ordine redigerem, & quaſi odoriferis floribus ſerta contexens, viſiones eius, geſtis ſuis inſertas, ſub diuiſiõe librorum, in vnius corporis formam redigerem. Viſum eſt mihi hoc opus viribus meis nimìs arduum, quin etiàm & verecundum, vt ſcilicet quaſi quidam arbiter ſederem, & de alieno opere ſententiam tenerem, cùm eccè dubio & anxio influxit animo, quòd vires quas imperitia denegat, charitas miniſtrat: & melius eſſe, cum pudore hominum ferre ridiculum, quàm inobedientiæ ſubire periculũ.

Itaq; parui eo modo, vt præfati viri liber, primę poſitionis locum obtinens, nullam ſuæ diſpoſitionis patiatur iacturam: Deindè ſecundus liber, viſionum pulcherrimum & admirabilem textum: Tertius, miraculorum quæ mirabilis DEVS per eam operari dignatus eſt, à nobis digeſtam, diuiſam & ordinatam contineret ſcripturam. Ità præcedentis Scriptoris non minuetur gloria, & ad veram ſapientiam, cæleſtemque viſionem & diuinam virtutem legentium incitabitur memoria. Quis enim bonus non magis incitabitur magnis affectibus ad vitam perennem, ſanctè & piè & iuſtè viuendo, anhelare, cùm viderit gemmam præclaram, tot ornamentis virtutum, videlicet virginitatis, patitẽię ſimul & doctrinæ, tam inſigniter radiare? Idcircò dedimus operam, nè in abſconſo vel ſub modio accenſa lucerna CHRISTI poneretur, (Matth. 5.) quaſi occultanda, ſed ſuper candelabrum poſita, luceret omnibus qui in domo DEI ſunt, vitæ, verborum & morum ſplendifluis exemplis imitanda. Quòd ſi quid in hac re indocta obſequentis peccauit temeritas, benigna iubentium Dominorum indulgeat charitas: totumque ſuo delictum aſcribat ſtudio, quæ tam graui nos imbecillos voluit onerare operis negocio. Igitur vt qualitas eiuſdem operis clariùs eluceſcat, hæc epiſtola ei cum ſubiectis capitulis præſcribatur, vt quid vbì lector inuenire debeat, citiùs agnoſcatur.

INCIPIVNT CAPITVLA primi libri.

1 De natiuitate, oblatione & educatiõe S. virginis, & quomodò ad ſcribendum illuſtrata ſit claritate Diuini luminis.

2 Quomodò in monaſtica profeſſione ſub ſacro velamine pro-

fecerit, quanuìs continuos languorum dolores ſæpè ſuſtinuerit.

3 Quòd cùm ſcribere reuelata ſibi in ſpiritu dubitaret, infirmabatur: cùm verò ab abbate ſuo adhortata ſcriberet, rurſùm ſanabatur.

4 Quòd Papa Eugenius à Treberi nũcijs & literis ſuis eam viſitauit, & ad ſcribendum ea quæ in ſpiritu videbat, eum animauit.

5 Quòd infirmitate languit, cùm locum cęlitùs oſtẽſum, cum puellis ſuis adire demorata fuit.

6 Quòd totiès inualitudine laborauit, quotiès ſupernæ viſionis iuſſa perficere tardauit.

7 Quòd locum ſuum precio & concambio à proprietarijs abſoluens, Moguntinum Epiſcopum defenſorem elegit: iterumq́; correpta, iuit, & eum ab Eccleſia ſancti Dyſibodi abſoluit.

8 Quòd actiuæ vitæ ſeruans laborem, contemplatiuæ partem præelegit meliorem: & quòd de ſpeculatione ſua ſcripſit ad monachum Guibertum Gemblacenſem.

9 Quòd ſpeculationis modum mirum habuit & valdè rarum, & quòd modò in actiua, modò deſudabat in contemplatiua.

LIBER PRIMVS VITAE S. HILDEGARDIS

DEO DILECTAE VIRGINIS.

1. IN Romana republica regnãte Henrico, fuit in Galliæ citerioris partibus virgo, tã generis quàm ſanctitatis ingenuitate illuſtris, nomine Hildegardis, patre Hideberto, matre Mechtilde progenita. Qui licèt mundanis impliciti curis & opulentia conſpicui, creatoris tamen donis non ingrati, filiam prænominatam Diuino famulatui mancipârũt, eô quòd iam ineuntis ętatis eius pręmatura ſinceritas, ab omĩ carnalium habitudine multùm diſſentire videretur. Mox nãque vt poterat primam tentare loquelam, tam verbis quàm nutibus ſignificabat his qui circa ſe erant, ſecretarum viſionum ſpecies, quas præter communem cæteris adſpectum, ſpeculatiõe prorsùs inſolita intuebatur. Cùm iam ferè eſſet octo annorum, conſepelienda Chriſto, vt cum ipſo ad immortalitatis gloriam reſurgeret, recluditur in mõte ſancti Dyſibodi, cum pia Deoq; deuota fœmina Iutta, quæ illum ſub humilitatis & innocentiæ veſte diligenter inſtituebat, & carminibus tantùm Dauidicis inſtruens, in pſalterio decachordo iubilare præmonſtrabat. Cæterùm præter ſimplicem pſalmorum notitiam, nullam literatoriæ vel muſicæ artis ab homine percepit doctrinam, quanuis eius extent ſcripta non pauca, & quę-

dam

dam non exigua volumina. Verùm hoc ex ipſius potiùs dictis in promptu eſt declarare. Ait enim ſic in lib. ſuo, qui Sciuias prenotatur: Cùm XL. duorum annorum, vij. q; menſiũ eſſem, maxime coruſcationis igneum lumen aperto cælo veniẽs, totum cerebrum meum tranſfudit, & totum cor, totumque pectus meum, velut flamma, non tamen ardens, ſed calens, ità inflammauit, vt ſol rem aliquam calefacit, ſuper quam radios ſuos ponit. Et repentè intellectum expoſitionis librorum, videlicet Pſalterij, Euangelij & aliorum Catholicorum, tam veteris quàm noui Teſtamenti voluminum ſapiebam, nõ autem interpretationem verborum textûs eorum, nec diuiſionẽ ſyllabarum, nec cognitiõem caſuum aut temporum habebã.

SEd vt ad propoſitum redeam, virgo Chriſti voto monaſticẽ profeſſiõis & ſacri velaminis benedictiõe prouecta creſcebat, & ibat de virtute in virtutẽ, annitente & congaudente prouectib⁹ eius ſuprà prenominata matre venerab. quę iam ex diſcipula magiſtrã ac præuiam ſemitarum excellentiam, eam fieri cum admiratione cernebat. Flagrabat ſiquidem in eius pectore charitatis benignitas, quę nullum à ſua latitudine excluderet. Turrim quoquè virginitatis, murus tuebatur humilitatis: hinc cibi potuſque parſimonia, veſtium vilitate fouebatur: indè tranquillitas cordis pudibunda, ſilentio ac verborum parcitate mõſtrabatur: quæ omnia ſanctarũ monilia virtutũ, ſummi fabricata manu artificis, patientia cuſtos in ſpõſa Chriſti exornanda ſeruabat. Sed quoniam vaſa figuli probat fornax, & virtus in infirmitate perficit: non defuerunt ei ab ipſa ferè infantia crebri & penè continui languorum dolores, ità vt & pedũ inceſſu perraró vteretur: & cùm tota carnis materia fluitaret, vita illius eſſet quædam precioſæ mortis imago. Quantum verò exterioris hominis viribus deerat, tan- 2.

Virginitas Humilitas

Eccĩ 27. 2. Cor. 12.

tum interiori per ſpiritum ſcientiæ ac fortitudinis accedebat: & corpore tabeſcente, mirum in modum feruor ſpiritûs inæſtuabat.

3. CVmq́ue in ſancto propoſito multis annis ſuccreſcens, ſoli Deo complacere ſatageret, iamq́; tempus inſtaret, q̄ ad multorum prouectum vita eius ac doctrina pateſceret, cōmonetur diuinitùs, voce ad eam facta, vt decætero quæ videret & audiret, ſcribere non cunctaretur. Illa verò per fœmineā verecundiam & vulgi vaniloquia, & temeraria hominū iudicia trepidante, quę oſtenſa ſunt cælitùs ſecreta, reuelare ſtimulo acriori coarctaretur, non hæſitare, tandemq́; dum longa ægritudine tabefacta decubuiſſet, primò cuidā monacho, quem ſibi magiſtrum propoſuerat, & per eum Abbati ſuo, cū metu & humilitate cauſam huius flagelli aperuit. Ille rei nouitatem inſolitam mente pertractās, quanquàm Deo nihil impoſſibile eſſe cognoſceret, adhibitis de collegio prudentioribus, experiendum iudicauit quod audiebat, ac de ſcripturis & viſiōibus eius quędam ſciſcitatus, ea quæ Deus daret, monuit declarare. Mox vt illa ſcribendi opus, quod non didicerat, attentauit, redeunte virium ſibi ſolita poſſibilitate, de lecto languoris erigitur. Tunc Abbas, accepta inuſitati miraculi certitudine, non ſuo contentus iudicio, rem ad publicam notitiā vidit eſſe proferendam: veniensq́; ad matricem ſedem Mogūtinam, coram venerabili archipręſule Henrico & capitaneis Eccleſiæ, quod cognouerat, expoſuit. Scripta quoquè quæ virgo beata nupèr ediderat, oſtendit.

PEr idem tempus S. Romanæ ſedis antiſtes felicis memorię
4. Eugenius, celebrato Remis vniuerſali concilio, per Adel-
beronem Treuirorum archiepiſcopum deuocatus, Treueri

mora-

morabatur. Viſum eſt pontifici Mogũtinæ ciuitatis & maioribus cleri, ad Apoſtolici cognitionẽ eſſe veniendũ, quatenus ipſius authoritate noſceretur, quid de compertis recipiẽdum ex aut refutandũ foret. At Papa ſummæ diſcretiõis auditu tãtæ nouitatis attonitus, cùm Deo ſciret cuncta eſſe poſſibilia, rem diligentiùs inueſtigare geſtiẽns, venerabilẽ Virduni præſulem, & cum eo Adelbertum primicerium, aliasque perſonas idoneas dirigit ad cœnobium, ſub quo eadem virgo tot annis degebat incluſa, vt ſinè ſtrepitu vel curioſitatis acumine, quid rerum eſſet, ab ipſa ſciſcitarentur. Quibus humiliter inquirẽtibus, cùm illa ſimpliciter quæ de ſe erant, aperuiſſet, ad Apoſtolicum rediẽrunt, & magna ipſius magna cunctorum adſtãtium expectatione, quæ audiẽrant, retulerunt. His Papa recognitis, iubet repræſentari ſcripta beati Hildegardis, quæ ſibi de prefato cœnobio perlata ſuſceperat, & ea manibꝰ proprijs tenens, ipſeq; recitatoris vice functus, Archiepiſcopo & Cardinalibus, omnibus qui de clero aderant, publicè legit, ac reſponſa virorum, quos ad hęc indaganda miſerat, pronunciãs, omnium mentes & voces in laudem conditoris & congratulationem excitauit. Aderat etiàm ibidèm ſanctę recordationis Bernardus Abbas Claræuallis, quo mediante, cæteriſque annitentibus, monebatur ſummus pontifex, nè tam inſignẽ lucernam ſilentio tegi pateretur, ſed gratiam tantam, quam tẽpore ipſius Dominus manifeſtare vellet, ſua authoritate confirmaret. Ad hęc reuerendus pater patrum, tam benignè quàm & ſagaciter aſſenſum prębens, literis ſalutatorijs beatam virginem viſitauit, in quibus conceſſa ſub Chriſti & beati Petri nomine licentia proferendi, quęcunque per ſpiritumſanctũ cognouiſſet, eam ad ſcribendum animauit. Sed & locum, quo illa fouebatur, honorauit, datis ad Abbatem & fratres cœnobij gratulatorijs ex ſuo nomine literarum apicibus.

S. Bernardus.

Igi-

5. IGitur b. H. cùm fidutia humilima verbis quæ non ab homine,neque per hominem acceperat, aperuit & perfudit tam S.opinionis odorem bonum longè lateque fragrantem, tunc confluebant ad eam filiæ nobilium non paucæ,ſub habitu religionis,regularibus ſemitis inſtituendæ.Cumq; om̃es vnum recluſionis habitaculum vix caperet,iamq; de tranſferendis & ampliandis earum manſionibus conſilium verſaretur:demonſtratur illi per Spiritũ locus vbi Naha fluuiꝰ Rheno confluit,videlicet collis à priſcis diebus S. Ruperto confeſſori ex nomine attitulatus,quem ille olim patrimonij iure poſſederat, ibique cum B. genitrice ſua, Bertha nomine,&S. Vuiberto confeſſore,vitam feliciter in Dei opere ac famulatu conſummauit,ac de ſepultura eius ac reliquijs, loco nomen inhęſerat.Itaque dum virgo Dei locum trãſmigrationis, quẽ non corporalibus, verùm intima viſione cognouerat,abbati ſuo & fratribus deſignaret: ſed illis hæſitantibus, eô quòd diſceſſum eius moleſtè ferrent, nè iuſſum Dei peragere impediretur:decidit,vt pridèm, in lectum prolixi languoris, de quo non anteà ſurrexit,quàm Abbas & cæteri Diuino ſe nutu vrgeri conſpicerent ad conſentiendum,nec obſtarent, ſed pro poſſe anniterentur.Ex quibus Arnoldus ex laico monachus, qui forti obſtinatione renitendo,cæteros ad obſiſtendum videbatur animare,dum eſſet in prędio Eccleſiæ villa Vuilara, tanta vexatione ſubitò percuſſus eſt corporis,vt de vita quoq; deſperaret,linguamq; in immenſum turgentem,ore contine re non poſſet.Poſtulauit ergò nutibus quibus poterat, vt ad ſancti Roberti Eccleſiam deferretur: moxque vt illic vouit ꝙ vlteriùs nõ obſtaret, ſed pro poſſe anniteret̃,protinùs recepta incolumitate cœpit adiutor eſſe pręparantium manſiones, & proprijs manibus diſſipare vineta, vbi domus ædificarentur, ſanctimonialiũ receptaculis aptæ.Ipſa verò,cuius migratiõi

Votum liberat.

hæc

hæc habitacula præparabantur, dum propter moras Diuinæ viſionis exequendæ, iaceret greſſuum penitùs officio deſtituta, & tanquàm ſaxea rupes, de lecto in quem deciderat, nullatenùs moueri poſſet, non ſatìs credulus Abbas referentibus, intrauit vt videret. Cumque totis viribus per ſe conaretur, vel de capite illā ſuſtollere, vel de latere in latus reclinare, nihilq́; conando penitùs efficeret, tam inſolito ſtupefactus miraculo, cognouit non paſſionis humanæ, ſed Diuinæ correptionis eſſe quod gerebatur: nec vlteriùs contraeundum fore cæleſti edicto, nè deterius quippiam & ipſe pateretur. Quoniam verò locus prenominatus, partìm ad Moguntinę Eccleſię canonicos pertinebat, & fundus cum oratorio S. Roberti, poſſeſſio erat comitis Bernhardi de Hildensheim, facta per interuentum fidelium legatione, virgo Dei preſcia, licentiam ſibi & ſororibus ſuis obtinuit illic inhabitandi.

Facta immobilis.

Cauſa differētię inter Palatinū & Moguntinū.

IGitur poſt longam gradiēdi defectionē, dum iam vtrinquè deliberatum eſſet, vt cum conſororibus dimitteretur ad locum, quem in ſpiritu preuiderat, ingreſſus Abbas ad iacentem & afflictam, dixit, vt in nomine Domini ſurgeret, abitura ad manſionem ſibi cęlitùs prędeſtinatam. Tunc illa dicto citiùs ſurgente, tanquàm nihil tam prolixo tempore debilitatis ſenſiſſet, ſtupor & admiratio cunctos qui aderant, apprehendit. Nec immeritò, cùm & ea quę circa decumbentem geri viſa erant, non minùs eſſent ſtupenda, quia ex quo locum mutādi cęlitùs accepit mandatum, quotiès res ad effectum tendere videbatur, totiès illa leuamē paſſiōis in ſuo corpore ſentiebat: ac vice mutata, quotiès obnitentium contradictione caſſari negocium cernebatur, totiès iſta, licèt abſens, intenſiore grauamine laborabat. Aliquandò de ſtratu repentè conſurgens, cunctosq́; recluſiōis angulos & habitacula perambulans, lo- 6.

qui omninò non poterat:rurſumq; ad lectum rediens, deficiente greſſu,loquebatur vt priùs. Quo languoris genere non tunc ſolùm laborauit,ſed & quotieſcunque fœminea trepidatione tardâſſet, vel dubitâſſet ſupernæ voluntatis peragere negocia,hoc certitudinis in ſe capiebat argumentum.

7. TAndèm ergò Dei famula cum decem & octo puellis Deo ſanctis,priſtinę habitationis loco decedente,quantũ his quos deſerebat,doloris & luctûs dereIinquebat,tantum regioni ad quam accedebat,gaudij & exultationis afferebat.Fuerunt nanq; illi de Bingenſi oppido & contiguis villis multi honoratorum,& de plebe non exigua multitudo,qui eam cũ grandi tripudio & Diuinis, laudibus exceperunt. At ipſa cũ ſuo (immò Chriſti) grege puſillo,paratum ſibi locum ingreſſa,Diuinam quę cuncta diſpenſat, ſapientiam deuota cordis alacritate magnificabat,& commiſſas tutelę ſuę ſanctimoniales virgines,materno affectu fouebat,& regularibus inſtitutis prudenter imbuere non ceſſabat.Et nè alieni iuris poſſeſſionem videretur inuaſiſſe vel occupare,de donarijs fidelium, quę fama nominis eius adducti deferebant,locum ſuę habitationis,partìm dato precio,partìm facto concambio, à proprietarijs prædictis obtinuit.Quem quia liberum ſuſcepit, liberũ manere perpetuò conſtituit,ità vt patrocinio tantùm Moguntinæ Eccleſiæ ſubiectus,non alium, quàm ſedis ipſius archiepiſcopum haberet defenſorem,nè, ſi laicum aduocatum ☞ aſſumeret,ouili lupum videretur inducere:quo ferè generali morbo per orbem plurimę vexantur ac vaſtantur Eccleſiæ. Ergò prętatos cœnobij de quo migrauerat,hoc tantùm ſubiectionis ſibi ſuisque filiabus retinuit,vt quę de ſpiritualibus, hoc eſt,de ordinis tenore & de monachatûs profeſſione quærenda eſſent,ab eis potiùs quàm aliundè ſuſciperent:& prout

res &

res & tempus poſceret, ſacerdotes de ipſo cœnobio ſuſciperēt, quos propria & libera electiōe nominatìm expetiuiſſent: qui eas tam in cura animarum ac Diuinis exequendis officijs, q̃ in temporalium procuratione ſuſtentarent. Quę omnia non ſolùm permiſſu, ſed & conſulto venerab. Henrici atq; Arnoldi Moguntinę metropolis archipręſulum, ſed & ſcriptis eorundem cum conſenſu Abbatū, decreta & confirmata ſunt: & nè quid poteſtatis in prędia S. Ruperti ſibi vſurparet Eccleſia S. Dyſibodi, priuilegiorū authoritate, immò vt preſſiùs dicam, ſuperni numinis interdicto vetitū eſt: ſiquidē hæc ipſa virgo, dum reuelatione intima cognoſceret, pro tali negocio eūdum ſibi eſſe ad idem cœnobium, & inſtàr Ionæ prophetę trepida- Ion.1.
tione quadam detineretur, Diuinæ caſtigatiōis flagello tacta, penè languit vſq; ad mortem. Quo verbere commonita, ſe fecit in oratorium deportari, ibiq; ſe, quò DEVS iubebat, ituram, ſi correptio ceſſaret, deuouit. Deindè petijt, vt æquo impoſita, & manibus ſuſtentata deduceretur: moxque vt viæ pauxillū deducta eſt, receptis viribus lætabunda procedebat. Perueniensq; ad montem pręnominati confeſſoris, cur venire compulſa eſſet, expoſuit, atq; locum ſuę habitationis cū allodijs ad ſe pertinentibus, ab illius cœnobij fratribus abſoluit, relicta illis plurima portione poſſeſſionum, quę illi cum ſororibus ſuſceptis, traditę fuerāt, & inſupèr pecuniarum nō modica quantitate, nè quid vſquā iuſtę querelę relinquerēt.

VErùm vt ea quę ſeries narratiōis exigit, repetam, B. Hil 8.
degardis quanuìs in ſe Lię parturientis crebros dolores ſuſtineret, nihilominùs ſpecioſæ Rachelis oculos claros, lumine ſpeculatiōis internę paſcebat: & quęcunq; interiùs adſpexiſſet, dictis & ſcriptis, prout nouerat expedire, pandebat. De quo genere ſpeculandi ſeu videndi modo, (qui perrarus ac pluribus etiā excellentiū ſanctorū noſcitur in has mortali-

tatis vmbra incompertus fuiſſe) res poſcit vt aliqũa dicantur:
quod ipſius verbis potiſſimùm, quantùm vel ipſa pandere po-
tuit, cognoſcatur. Sic enim dicit in epiſtola, qua ad Vuibertũ
Gemblacenſem monachum, de his quæ de ea relatu famę au-
dierat, ſciſcitantẽ, reſcripſit: Deus (inquit) vbì vult, ad gloriã
nominis ſui, & non terreni hominis, operatur. Ego quidem
trementem timorem habeo, quoniam nullam ſecuritatem vl-
lius poſſibilitatis in me ſcio. Sed manus meaſ ad Deũ porrigo,
quatenùs velut penna, quę omni grauedine virium caret, &
quę per ventum volat, ab ipſo ſuſtinear: nec ea quę video, per-
fectè ſcire poſſum, quàm diù in corporali officio ſum, & in
anima inuiſibilis, quoniã in his duobus homini defectus eſt.
Ab infantia autem mea, oſſibus & neruis ac venis meis nondũ
confortatis, viſionem hanc in anima mea vſq; ad pręſens tem-
pus ſemper video, cùm iam pluſquàm LXX. annorũ ſim: ani-
maque mea, prout Deus vult, in hac viſione ſursùm in altitu-
dinẽ firmamenti, & in viciſſitudinem diuerſi aëris aſſcendit,
Modꝰ quo omnia vidit, admirabilis. atq; inter diuerſos populos ſe dilatat, quanuis in longinquis
regionibus & locis à me remoti ſint. Et quoniam hęc tali mo-
do in anima mea video, idcircò etiàm ſecundùm viciſſitudinẽ
nubium & aliarum creaturarum ea conſpicio. Iſta autem nec
☞ exterioribus oculis video, nec exterioribus auribus audio,
nec cogitatiõibus cordis mei, nec vlla collatione quinq; ſen-
ſuum meorum percipio: ſed tantùm in anima mea, apertis
exterioribus oculis, ità quòd nunquàm in eis defectum ecſta-
ſis paſſa ſum, ſed vigilanter die ac nocte ea video.

9. ITaq; ſicut ex verbis præcedentibus colligimus, verè mirus
& perrarus huic S. virgini ſpeculationis adfuit modus. Né-
pe ad ſimilitudinem ſanctorum animalium, quæ vidit Eze-
Ezech. 1. chiel, ipſa certum pennatum animal ibat, & nõ reuertebatur:
&

& iterùm ibat,& reuertebatur:quia ab actiua vita quam appræhenderat,ad quælibet infima non reuertebatur:& à contemplatiua,quam carne obſita, iugiter tenere non poterat, in actiuam vitam reuertebatur. Quaſi enim ei de actiuæ vitæ modo diceret DEVS, Non te deſeram neque derelinquam,à Ioſ.1.
bono propoſito non permiſit eam redire: & iterùm, quaſi de Can.6.
contemplatiuæ vitæ modo ei diceret, Auerte oculos tuos, quia ipſi me auolare fecerunt: de ſpeculatione ſuæ incompræhenſibilis maieſtatis, ad actualis vitæ laborem eam permiſit redire. Auerte(inquit)oculos tuos à mea contemplatione, quia ipſi me auolare faciunt,dum me in hac vita ad perfectum comprӕhendere non ſufficiunt. Vndè & Pſalmiſta Pſal.63.
ait:Accedit homo ad cor altum,& exaltabitur DEVS: quia quo altiùs puro corde quæritur,eo ſublimiùs, quàm ſit incõpręhẽſibilis,cõpręhenditur.Eo modo beata virgo in carne adhuc poſita, & per actiuam laborabat,& per contemplatiuam in ipſam Diuinitatis lucem totis deſiderijs inhiabat. Sed hîc primo libro ponentes terminum,benedicamus Dominum,qui ancillam ſuam,ab ipſo ortûs ſui principio electam reſpexit, & eam dilectam vſque ad claritatem viſionis ſuæ prouexit.

Explicit liber primus vitę S.Hild. virginis.

PROLOGVS IN LIBRVM SECVNDVM VITAE S. HILDEGARDIS.

GRandem quidem materiã, ingenia parua nõ
ſufferũt:ſed charitas & obediẽtia, quibus me
totum ſemper vobis debere profiteor, Lu-
dovuice & Godefride abbates optimi, men-
tem meam etiàm de impoſſibilibus ad poſſibi-
lem facultatem efferunt. Vndè quanuìs nul-
lo fretus ingenio, tamen præceptis veſtris in charitate Chriſti
obtemperaui, et libellum ſecundum de vita B. Hildegardis vir-
ginis, ſecretis & arcanis viſionibus quaſi quibuſdam amœnis
floribus reſperſum, ab eo loco quo præcedentem librum Go-
defridꝰ bonæ memorię terminauit, ordinare & perficere, Deo
fauente, curaui. In quo ex verbis ipſius Deo dilectæ virginis
tanta elucet claritas prophetiæ, vt nihil minus ab antiquis
patribus videatur percepiſſe gratia. Nempe ſicut legitur de
Moyſe, quòd indeſinenter fuerit in tabernaculo: ſic & ipſa in
viſionum cæleſtium morabatur vmbraculo: videlicet vt ſicut
ille, ſic iſta à Deo, vt aliquid diſceret, aut auditores ſuos aliquid
☞ doceret. An nõ morabatur in cæleſti tabernaculo, & tranſcẽ-
derat nebulã totius carnalitatis, cùm dictatum & verba Euã-
Ioan. 1. gelij Iohannis, In principio erat verbum, & cætera, eam do-
cuit ſpiritus veritatis? Ipſe enim ſpiritusſanctus, qui in cor Io-
hannis profluxit, quandò hanc profundiſſ. reuelationem de
Ioan. 13. pectore Ieſu ſuxit, per diuiſiuam ſuæ dignatiõis gratiam hoc
iſtam voluit diſcere, quod ille dignus fuit dicere. Sed de his in-
terìm loqui differamus, & propoſita, adſpirante ipſo ſpiritu,
diſſeramus. Nec moueat lectorem, quòd quædam quę in prę-
cedenti libro vitæ eius præſcripta ſunt, eadem in ſubſequenti
eius

eius opere viſionum eius, nihilominùs deſcripta ſunt, quia dignum iudicauimus, vt & qualitas ordinis in recitatiõe hiſtorię eius ſeruaretur, & authoritas vel integritas verborum, quę per ſpiritum ſanctum prolata ſunt, in deſcriptione viſionum eius nullatenùs mutilaretur. Inprimìs autem & huic libello capitula præfigantur, vt locis ſuis ea quæ ſequuntur, faciliùs inueniantur.

CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

1 De his, quę ſcripto, cãtu, literis & lingua inſolita expreſſit, & quis ea grammaticè diſpoſuit.

2 Quòd in prima viſione, de ſuo ſcribit timore, & de Papæ benedictione, & ſcribendi permiſſione.

3 De ſententia libri, Cantica Canticorum, quòd frequenter tangebatur per Spiritum.

4 Quòd ad ſe venientes exhortans, abdita mentium humiliter propalauit meritorum.

5 De ſecunda viſione, pro qua cæcitatem incurrit, quia eã celauit, & quòd multa aduerſa pertulit.

6 Quòd ipſa cum loco quem ſibi Dominus elegit, Deborę quondàm prophetiſſæ & loco ſuo comparata ſit.

7 De tertia viſione & loci ſui mancipatione, & quòd Deus eam liberauit de inſtanti tribulatione.

8 Quòd Deus eam ſæpè confortabat, quãdò eam vel Diabolus, vel homo vexabat.

9 De quarta viſione, in qua bonos & malos angelos vidit.

10 Quòd languens per triennium, Cherubim prauos à ſe propellentem angelos igneo gladio, adſpexit.

11 Quòd languore & dæmonum terrore non ſolùm non eſt ſuperata, ſed & defenſione angelica eſt glorificata.

12 Quòd philoſophus conuerſus, Deum in ea laudauit: & quòd ſuas puellas à dæmonum vanitatibus caſtigauit.

13 Quòd nec proſperis eleuabatur, nec aduerſis deprimebatur.

14 De quinta viſione, vbi agit de carnis & ſpiritûs colluctatione, & S. patrum laudabili exemplificatione.

15 De ſexta viſione, in qua turres & diuerſa habitacula vidit.

16 De ſeptima, in qua dicit, quomodò Iohannis Euangelium didicit.

17 Quòd ſpiritus ſpecialis gratiæ, fonte eam potauit ſapientiæ.

LIBER SECVNDVS, IN QVO INSERTAE SVNT VISIONES S. VIRGINIS Hildegardis.



IGitur beata virgo in loco ad quem viſu Diuino migrauerat, librum viſionum ſuarum, quem apud montem S. Dyſibodi inchoauerat, cõſummauit, & quædam de natura hominis & elementorum, diuerſarumq; creaturarũ, & quomodò homini ex his ſuccurrendum ſit, aliaq; multa ſecreta prophetico ſpiritu manifeſtauit. Patet etiàm, quàm eleganter epiſtolis de diuerſis prouincijs ad ſe directis, reſponderit

derit,ſi quis tenorem verborũ eius ex reuelatione Diuina prolatorum altiùs conſiderare voluerit. Sunt tamen in vnum volumen compilatæ, & ſuæ, & illæ, quæ ad ſe fuerant deſtinatæ. Quis verò non miretur, quòd cantum dulciſſ. melodiæ mirabili protulit ſymphonia, & literas non priùs viſus, cum lingua edidit anteà inaudita? Præter hæc Euangelia quædam expoſuit, aliasq́; typicas expoſitiones compoſuit, quæ om̃ia, quia ei clauis Dauid aperuit, gratulari meritò & cantare animę ſuæ licuit, quòd eã rex in cellaria ſua introduxerit, vt inebriaretur, ab vbertate domûs ſuæ, & potaretur torrente voluptatis ſuæ: vndè & ipſa, ſicut ſcriptum eſt, à timore Domini concipiens, pareret, & ſpiritum ſalutis ſuper terram faceret. Magnum eſt etiàm illud & admiratione dignum, quòd ea quę in ſpiritu audiuit vel vidit, eodem ſenſu & eiſdem verbis circunſpecta & pura mente manu propria ſcripſit & ore edidit, vno ſolo fideli viro ſymmyſta contenta, qui ad euidentiam grammaticæ artis, quam ipſa neſciebat, caſus, tempora & genera quidem diſponere, ſed ad ſenſum vel intellectum eorum nihil om̃inò addere præſumebat vel demere. De hoc certè etiàm ad Adrianum papam ſcripſit, quòd ſic in cæleſti viſione ſibi dictum audiuit: Cùm deſupèr tibi oſtenſa ad formam humanę conſuetudinis nõ protuleris in Latina lingua, quia hęc conſuetudo tibi non eſt data, ille qui limã habet, ad aptum ſonum hominum explere non negligat. Cõgruum autem videtur, vt hoc in loco ſcripta viſionum eius aliqua inſeramus: & ex his, quàm conuenienter ſententia illa de canticis, Dilectus meus miſit manus ſuas per foramen, & venter meuș intremuit ad tactum eius, ſibi ad aptari queat, videamus. Hæc ſcripta ità ſe habent:

Apo.3. Can.1. Pſal.35. Eſa,26. Can.5.

In myſtica (inquit) viſione & in lumine charitatis de ſapientia, quæ nunquàm deficiet, verba hæc ſic audiui & vidi: 1. Viſio.

Quinque toni iuſtitiæ humano generi à Deo miſſi intonant, in quibus ſalus & redemptio credentium cõſtat. Et hi quinq; toni excellentiores omnibus operibus hominum ſunt, quia omnia opera hominum de his nutriũtur, qui ſunt qui in ſonis non eunt, ſed cum quibus omnia opera hominis, in quinque ſenſibus corporis eius perficiũtur. Et de illis talis ratio eſt: Primus ton⁹ per fidele Abel ſacrificiũ, quod Deo immolauit, opere completus eſt. Secundus aũt, quandò Noe per pręceptũ Dei arcam ædificauit. Tertius verò per Moyſen, quãdò ei lex data eſt, quę punctũ circuncifionis Abrahę fuit. Sed in quarto tono verbum ſummi patris in virginis vterũ deſcendit, & carnẽ induit, quia idem verbum cum aqua limum coagulauerat, & ſic hominem formauerat: vndè & omnis creatura per hominẽ ad ipſum clamauit, qui eam fecerat, ſicq; propter hominem Deus omnia in ſe portauit. Alio enim tempore hominem creauit, alio autem ipſum portauit: vt oẽs quos conſiliũ ſerpentis perdiderat, ſibi attraheret. Quintus aũt tonus perficietur, cùm omnis error & irriſio finietur: & tunc homines videbũt & cognoſcent, ꝙ nullus citra Dominum quicquam facere poſſit. Hoc verò in quinq; tonis à Deo miſſis vetus & nouum teſtamentum perficietur, ac mirificus numerus hominũ complebitur. Et poſt hos quinq; tonos filio Dei quoddam lucidũ tempus dabitur, ità quòd ab oñi carne palàm cognoſcetur. Poſteà Diuinitas in ſemetipſa operabitur, quandiù vult. Sapientia quoquè in lumine charitatis docet, & iubet me dicere, quomodò in hac viſione conſtituta ſum. Et ego verba hęc nõ dico de me, ſed vera ſapientia iſta dicit de me, & ſic loquitur ad me: Audi ô homo verba hęc, & dic ea non ſecundùm te, ſęd ſecundùm me: & docta per me, hoc modo dic de te: In prima formatione mea, cùm Deus in vtero matris meæ ſpiraculo vitę ſuſcitauit me, viſionem iſtam infixit animæ meæ. Nam poſt incarnatio-

Margin notes: Gene,4. — Gene.6. — Exo.20. — Ge.1. & 2. — Iudicium extremũ.

nationem Chriſti anno M.C. doctrina Apoſtolorum & ardens iuſtitia, quam in Chriſtianis & ſpiritualibus cõſtituerat, 1100.
tardare cœpit, & in hæſitationem vertebatur. Illis temporibus nata ſum, & parentes mei cum ſuſpirio Deo me vouebant, ac tertio ætatis meæ anno tantum lumen vidi, quòd anima mea cõtremuit: ſed prę infantia de his nihil proferre potui. In octauo aũt anno ętatis meę in ſpiritualem conuerſationẽ Deo oblata ſum, & vſq; in quintũdecimum annũ, fui multa videns & plura ſimpliciter loquens, ità quòd & admirabantur, qui hæc audiêrunt, vndè venirent, & à quo eſſent. Tunc & ego in me ipſa admirata ſum, quòd cùm infrà in anima vidi, exteriorem etiàm viſum habui: & quòd hoc de nullo homine audiui, atque viſionem quam in anima vidi, quantùm potui, celaui: multaque exteriora ignoraui, de frequenti ægritudine quã à lacte matris meæ hucuſquè paſſa ſum, quę carnẽ meam macerauit, & ex qua vires meæ defecerunt. His valdè fatigata, à quadam nutrice mea quæſiui, ſi aliqua exceptis exterioribus videret, & nihil mihi indè reſpondit, quoniam nihil videbat. Tunc magno timore correpta, non audebam hæc cuiquam manifeſtare, ſed tamen plura loquendo, dictando, de futuris ſolebam enarrarę. Et quandò hac viſione pleniter perfundebar, multa quæ audientibus aliena erant, loquebar. Sed cùm vis viſionis aliquantulùm ceſſit, in qua me plùs ſecundùm mores infantis, quàm ſecundùm annos ætatis meæ exhibui, valdè erubui, & ſæpè fleui: & multotiès libenter tacuiſſem, ſi mihi licuiſſet. Præ timore autem, quem ad homines habebam, quomodò viderem, nulli dicere audebam. Sed quædam nobilis fœmina, cui in diſciplina eram ſubdita, hæc notauit, & cuidam ſibi notæ monachæ aperuit. Eidem fœminæ DEVS per gratiam ſuam quaſi riuulum ex multis aquis infudit, ità quòd bonis

operibus quietem non tribuit, quouſquè bono fine præſentem vitam finiuit, cuius etiàm merita Deus per quędam pulchra oſtendit ſigna. Poſt cuius finem ità permanſi videns in XL. ætatis meæ annum. Tunc in eadem viſione magna preſſura coacta ſum palàm manifeſtare, quæ videram & audiêram. Sed valdè timui & erubui proferre quę tam diù ſilueram. Venæ autem medullæ meæ tunc plenæ virium erant, in quibus ab infantia & iuuentute mea defectum habebam. Iſta cuidam monacho magiſtro meo intimaui, qui bonæ conuerſationis & diligentis intentionis ac velutì peregrinus à ſciſcitationibus morum multorum hominum erat. Vndè & eadem miracula libenter audiebat, qui admirans mihi iniunxit, vt ea abſconſa ſcriberem, donèc videret, quæ & vndè eſſent. Intelligens autem quòd à DEO eſſent, abbati ſuo intimauit, magnoq; deſiderio deincèps mecum in his laborauit. In eadem viſione ſcripta prophetarum, Euangeliorum, & aliorum ſanctorum quorundam philoſophorum, ſinè vlla humana doctrina intellexi, ac quędam ex illis expoſui, cùm vix notitiam literarum haberem, ſicut indocta mulier me docuerat. Sed & cantum cum melodia in laudem DEI & ſanctorũ abſq; doctrina vllius hominis protuli & cantaui, cum nunquàm vel neumam, vel cantum aliquem didiciſſem. Hæc ad audientiam Moguntinæ Eccleſiæ allata cùm eſſent & diſcuſſa, omnes ex DEO eſſe dixerunt, & ex prophetia quam olìm prophetæ prophetauerant. Deindè ſcripta mea Eugenio Papæ, cùm Treberi eſſet, allata ſunt, qui ea gratãter coram plurimis legi fecit, ac per ſeipſum legit, multumq; de gratia DEI confidens, benedictionemq; ſuam cum literis mihi mittens, pręcepit vt ea quę in viſione viderem vel audirem, ſcriptis attentiùs commendarem.

3. Itaque B. virginis pulcherrima viſione & ſui timoris, quę ad

ad acceſſum Spirituſſancti capiebat, recitatione, de Apoſtoli-
ci quoquè benedictione, & de percepta ab eo ſcribẽdi permiſ-
ſione, patenter colligimus, quòd ille dilectus ſuus ſponſus cę- Cant.5.
leſtis Ieſus Chriſtꝰ verè miſit manũ ſuũ, i. operationẽ & inſpi-
rationẽ ſpirituſſancti per foramen, hoc eſt, per occultã gratiã
ſuam, & venter eius, ſcilicet mens ſua, ad tactum eius, hoc eſt,
ad infuſionem gratiæ ſuæ intremuit, ob inſolitum vigorem
ſpiritûs, & pondus quod interiùs ſenſit. Quid aptiùs? quid
conuenientius? Certè ſicut per illum in Helia ſibilum auræ 3. Reg. 19.
tenuem frequentior viſitatio ſignatur, ità Diuini Spiritûs ſa-
porem totiès deguſtabat mens eius, quotiès in contemplatio-
nis ſublimitate ſuſpendebatur. Et quid fecit? Surrexi, inquit, Cant.5.
vt aperirem dilecto meo. O verè beata virgo, quę ſicut ſcriptũ Prou.22.
eſt, quia dilexit cordis munditiam, propter gratiam labiorum
ſuorum habet amicum regem, id eſt, Chriſtum à quo tale per- Ioan.3.
cepit donum. Secundùm menſuram enim, quam ſibi dare
Spirituſſanctus voluit, (nam ſicut ſpirat vbì vult, ſic etiàm Can. 5.
diuidit ſingulis prout vult) quin ſurgeret & dilecto aperiret,
recuſare non poterat: & nunc voce, nunc literis, peſſulum
oſtij ſui aperiens dilecto, foris exequebatur, quod intùs audi-
uit. Quid intùs audiuit? Deriuẽtur foràs fontes tui, & in pla- Prou.5.
teis aquas tuas diuide.

Igitur dum ad hunc modum bonorum operum riuis af- 4.
fluentibus quaſi paradiſi fluminibus irrigaretur, non modò
tota vicinia, verùm etiàm omnis tripartita Gallia atque Ger-
mania cõfluebant ad eam vndiquè vtriuſque ſexûs populo-
rum examina, quibus per Gratiam Dei vtriuſq; vitæ affatìm
accõmoda impendebat exhortamina. Ad ſalutem enim ani-
marum ſuarum proponebat eis & ſoluebat quęſtiões ſancta-
rum ſcripturarum. Plurimi conſilium ab ea percipiebãt neceſ-
ſitatum corporalium, quas patiebantur: nõnulli quoquè be-

nedictionibus ſuis à languoribus alleuiabantur. Quia verò prophetico ſpiritu cogitationes & intentiones hominum cognoſcebat, quoſdam peruerſa & friuola mente ad ſe, quaſi ad explorandum, accedentes redarguebat: qui dum ſpiritui qui
Acto. 6. loquebatur, non valerent reſiſtere, correpti & emẽdati, cogebantur à prauo incepto deſiſtere. Sed & Iudæos dum ad ſe venirent cauſa interrogationis, conuictos de lege ſua, ad Chriſti fidem exhortabatur verbis piæ admonitionis. Omnibus
1. Cor. 9. enim, iuxta Apoſtolũ, omnia facta, extraneis quidẽ aduẽtantibus, quanuìs reprę henſibilibus, blandè & leniter, prout eis videbat competere, loquebatur. Secum autem commorantes puellas, cum multo dilectionis ac maternę dulcedinis affectu caſtigabat, quotiès vel rancor cuiuſlibet cõtrouerſiæ, vel dolor ſecularis triſtitiæ, ſiue deſidia, aut negligentia in eis oriebatur. Deniquè voluntates, intentiones & cogitationes earũ intantùm perſpiciebat, quòd in officijs etiàm Diuinis, ſecundùm qualitatem cordis ſui, proprijs benedictionibus eis reſpondebat. Præuidebat enim in ſpiritu vitam hominũ & conuerſationẽ, necnon & vitæ prę ſentis quorundam conſummationẽ, ac ſecundùm qualitatẽ morum & meritorũ, gloriã & pœnas animarum eorũ: quę tamẽ tanta myſteria nulli prę terq̃ illi ſoli homini reuelabat, cui (vt prędiximus) om̃ia ſecreta ſua manifeſtabat. Sicut deniq; tempus tacendi, ità noue-
Eccés 3. rat, quid & vbì, & cui, & cur, & quomodò, & quandò tempus eſſet loquendi. In his autem omnibus ſummã omnium virtu-
Iaco. 4. tum ſeruabat humilitatem. Et ſciens quia Deus ſuperbis reſi-
1. Pet. 5. ſtit, humilibus autem dat gratiam, ſemper gratię Diuinæ om̃ipotentem laudabat benignitatem.

Tantis ac talibus gratiarum adornatam dotalibus ſponſus cęleſtis, ſponſam ſuam dilectam, licèt crebris inuiſeret viſita-
Ecci 3. tionibus, tamen vt ſcriptũ eſt, quantò magna erat, humiliaret

ſe

ſe in oĩbus, permiſit eam ſæpè varijs ęgritudinũ vexari paſſionibus. Quod vt euidentiùs pateat, textus viſionũ eius producatur in mediũ, vt & virtus in infirmitate perfecta non lateat, & lectoris etiàm, dum alternis vti delectatur, alleuietur tædium. Vis ſcire quid perpeſſa fuerit pro eo, quòd non manifeſtauerit oſtenſam ſibi cælitùs viſionẽ, propter ſuam de loco, in quo tũc erat, in alium tranſmigrationem? Audi ipſam ità ſcribentem: Quodam (inquit) tempore ex caligine oculorũ nullum lumen videbã, tantoq; pondere corporis deprimebar, ꝙ ſubleuiari non valens, in doloribus maximis occupata iacebam: q̃ ideò paſſa ſum, quia non manifeſtaui viſionẽ, quæ mihi oſtenſa fuit, ꝙ de loco in quo DEO oblata fuerã, in alium cum puellis meis moueri deberẽ. Hæc tam diù ſuſtinui, donèc locum in quo nunc ſum, nominaui: & ilicò viſu recepto, leuiùs quidẽ habui, ſed tamen infirmitate nondùm ad plenum carui. Abbas aũt meus, & fratres & popul⁹ eiuſdẽ prouincię, cùm percepiſſent de hac mutatione, quid hoc eſſet, quod de pinguedine agrorũ & vinearũ & de amœnitate loci illius, ad inaquoſa, vbì nulla eſſent cõmoda, ire vellemus, mirũ habuerunt: & nè hoc fieret, ſed vt nobis reſiſterent, in inuicèm conſpirauerunt. Me quoq; quadam vanitate deceptã eſſe dicebãt. Cumq́; hæc audiſſem, cor meũ contritum eſt, & caro mea & venæ aruerunt: & per dies plurimos lecto decumbens, vocem magnam audiui, me prohibentem, nè quicquã ampliùs in loco illo de viſione hac proferrẽ vel ſcriberem. Tunc quædã nobilis Marchioniſſa nobis nota, archiepiſcopum Moguntinũ adijt, & ei hæc omnia, alijsq́; ſapientibus manifeſtauit. Qui dixerunt, quòd nullus locus, niſi per bona opera ſanctificaretur: vndè & hoc, vt fieret, conueniens videtur. Tunc antiquus deceptor per multas irriſiones me excribrauit, ità quòd multi dixerunt: Quid eſt hoc quòd huic ſtultæ & indoctæ fœmi-

Humilitas ſumma virtus.

2. Mac, 15.

Pſal. 72.

fœminę tot myſteria reuelantur, cùm multi fortes & ſapientes viri ſint? In diſperſionem itaque vertetur. Multi enim de reuelatione admirabantur, vtrùm à Deo eſſet, an de inaquoſitate aëriorum ſpirituum, qui multos ſeducunt. Et ità in iſto loco cum XX. puellis nobilibus & de diuitibus parentibus natis, manſi, nullam habitationem ſeu habitatorem hìc inueniens, excepto veterano quodam & vxore eius ac filijs. Tanta quoquè aduerſitas tribulationum & preſſura laborum ſuper me cecidit, velut cùm tempeſtuoſa nubes ſolem obtegit, ità ꝙ valdè ſuſpirans & lachrymas fundẽs dixi: O o, Deus nullũ cõfundit, qui in ipſum confidit. Sed iterùm Deus gratiam ſuam mihi adhibuit, quemadmodùm cùm ſol recedẽtibus nubibus appáret, & velut cùm mater flenti infanti lac prębet, vndè ipſe poſt fletum gaudet. Tunc in vera viſione vidi, quòd tribulationes iſtæ in exemplo Moyſis ſuper me veniſſent, quia cùm ille filios Iſrael de Aegypto trans mare rubrum duceret in *de-*
Exo. 16. ſertum, ipſi contra DEVM murmurantes, Moyſen quoquè valdè afflixerunt, quanuìs eos Deus mirificis ſignis illuſtrâſſet. Ità Deus aliqua parte me affligi permiſit à communi populo, à propinquis meis, & ab aliquantis qui mecum manſerũt, cùm eis neceſſaria defuerunt, niſì quantum nobis per gratiã Dei in eleemoſynis dabatur: quia ſicut filij Iſrael Moyſen afflixerũt, ità & iſti ſuper me caput mouẽtes, dixerũt: Quid prodeſt, quòd nobiles & diuites puellæ, de loco in quo eis nihil defuit, in tantam penuriam deuenerunt? Nos verò gratiam Dei nobis ſuccurrere expectabamus, qui hunc locum nobis oſtenderat.

Poſt preſſuram doloris huius gratiam ſuã Deus ſuper nos pluit. Nam multi qui nos priùs contemnentes, inaquoſam inutilitatem nominauerant, venerunt ad nos vndiquè, adiuuãtes & benedictionibus nos replẽtes. Multi etiàm diuites, mortuos

tuos

tuos ſuos in honore apud nos ſepelièrunt. Plurimi quoq; viſionem hanc in fide cognoſcentes, magno deſiderio ad nos venerunt, ſicut per prophetam dictum eſt: Venient ad te qui detrahebant tibi. Tunc ſpiritus meus reuixit, & quę priùs in dolore fleueram, nunc quia Deus in obliuionem me non duxiſſet, præ gaudio fleui, cùm locum iſtum extollendo, & multis vtilibus rebus & ędificijs multiplicando confirmauit. Sed tamen Deus noluit, quòd in plena ſecuritate conſtanter perſeuerarem, ſicut ab infantia mea in omnibus cauſis meis fecerat, cùm nullam ſecuritatem gaudij vitæ iſtius mihi dimiſit, per quod mens mea eleuari poſſet. Nam cùm librum Sciuias ſcriberem, quandam nobilem puellam ſupradictæ Marchioniſſæ filiam, in plena charitate habebam, ſicut Paulus Timotheum, quę in diligenti amicitia in omnibus ſe mihi coniunxerat, & in paſſionibus meis mihi condoluit, donèc ipſum librum cōpleui. Sed poſt hæc propter elegantiam generis ſui, ad dignitatem maioris nominis ſe inclinauit, vt mater cuiuſdā ſublimis Eccleſiæ nominaretur: quod tamen non ſecundùm Deū, ſed ſecundùm honorem ſeculi huius quęſiuit. Hæc in alia regione à nobis remota, poſtquàm à me receſſit, vitam pręſentē cū nomine dignitatis citò perdidit. Aliæ etiàm quędam nobiles puellæ ſimiliter fecerunt, ſe à me ſeparantes: ex quibus quædam poſteà tam negligenter viuebant, quòd multi dixerunt, quia opera eorum oſtenderēt, quòd in ſpiritumſanctum, & in hominem qui de ſpirituſancto loquebatur, peccâſſent. Ego autem & diligentes me, admirabamur, cur tanta perſecutio ſuper me veniret, & Deus conſolationem mihi nō adhiberet, cùm in peccatis perſeuerare non vellem, ſed bona opera, Deo adiuuante, perficere deſiderarem. In his librum Sciuias cōpleui, ſicut Deus voluit.

Esa. 60.

Phil. 2.

Ex prędecenti viſionis deſcriptiōe & B. virginis liquet af-

flictione,quòd locum quem ſibi pręmonſtratum & pro quo
retardantẽ cęcitate caſtigauit:ipſe Dñs elegit & pręelegit in
hæreditatẽ ſibi,vt nomen ſuum ſanctũ impenſiùs glorificare-
tur,ibì tum propter S.Ruperti merita & ſecum ibì in Chriſto
quieſcentium,tum propter profectũ S.virginis & ſecum illuc
venientiũ.Inter hæc ſubit mentẽ veteris hiſtorię recordatio,
Iudic.4. & 5. & pulchra ſe nobis offert de Delbora prophetiſſa & loco in
Delbora. quo ſedit,ad noſtrã prophetiſſam & locum noſtrũ cõparatio.
Origenes. Sic enim Origenes dicit:Pręſtat non minimã conſolationem
mulierũ ſexui,& prouocãt eas nè pro infirmitate ſexûs deſpe-
rent,etiàm prophetiæ gratię capaces ſe fieri poſſe, ſed intelli-
Puritas mentis. gant & credant,quòd meretur hanc gratiã puritas mentis,nõ
diuerſitas ſexûs.Delbora quippe,q̃ apes interpretatur,in pro-
phetię forma verſatur. Certũ nanq; eſt, quòd omnis prophe-
tia ſuauis cęleſtis doctrinę fauos & dulcia Diuini eloquij mel-
Pſal. 11. la componat,vt Dauid dicit:Quàm dulcia faucibus meis elo-
quia tua ſuper mel ori meo.Hæc inter Rama & Bethel ſedere
dicitur, & Rama, excelſa: Bethel, domus Dei interpretatur.
Nihil enim humile,nihil deiectum erga prophetię ſedem re-
Prou.31. peritur.Sicut & apud Salomonem ſedes ſapientiæ, vel in por-
tis ciuitatum conſiſtit,vel in murorum mœnibus habitat, vel
in turribus liberè agit.Hoc modo ꝓphetia in B.Hildegardi in-
ter domum Dei & excelſa dicitur habitâſſe,quod nunc videri
etiàm in promptu ſit localiter: poteſt tamen accipi & ſpiritu-
aliter.Docet enim te,ô S.anima,quęcũq; ibì habitas,quæ ſu-
Col.3. per terram ſunt reſpuere,& quę in cælorum excelſis ſunt, vbi
Chriſtus in dextera Dei ſedet,quærere.Illuc te prophetia eius
hortatur aſſcendere,illuc auditores ſuos molítur imponere.
Ezec.3. Benedicta ergò gratia Dei de loco ſuo,de cuius emancipatio-
ne, quam in Spiritu pręuidit beata virgo, dicit ità in ſctipto
ſuo: Vidi in viſione, & docta & coacta ſum, vt prælatis
meis

meis reuelarem, quòd locus noſter cum ſuis pertinentijs à loco in quo Deo oblata fueram, abſoluēdus eſſet, pręterq̃ quòd ſubiectionem & obedientiam Deo ibì ſeruiētibus deberemus, quandiù bonam fidem erga nos inueniremus. Hęc Abbati meo intimaui, ſed infirmitate correptus, nihil indè diſpoſuit, quoniam & poſt paucos dies vitam finiuit. Ad Abbatem verò ſuccedentem & Moguntinum Archiepiſcopum & maiores Eccleſiæ cùm hęc perueniſſent, in fide & charitate ea ſuſceperunt, atque ità fieri cum ſigillo ſcripturę confirmauerunt. Inter hęc à quibuſdam multas infeſtationes pertuli, ſicut Ioſue, quem præ alijs victorem, inimici conabantur ducere in confuſionem. ſed ſicut Deus ipſum adiuuit, ità me & filias meas liberauit. Sed ſicut Ioſeph fratres ſui inuidebant, quòd à patre plùs alijs amaretur, ac ipſum vendentes, tunicam eius ſciſſam patri retulerunt, dicentes, quòd fera illum deuorauerit: ità & quidam maleuoli tunicam gratiæ & laudis Domini in nobis ſcindere volebant: ſed Deus nobis ſuccurrit, ſicut Ioſeph in honorem reſtituit. Quanuìs autem multā preſſuram haberemus, tamen per gratiam Dei augmentabamur, ſicut & filij Iſrael, qui quanto plùs opprimebantur, tanto magìs creſcebant. In gaudio itaque cordis mei ad DEVM adſpiciebam, & quia in tribulationibus mihi adſtiterat, ſecura eſſe volebam.

Geneſ. 37.

Exo. 2.

8\. Hic opportunè conſiderare poſſumus, quòd beata virgo, licèt corpore infirmitatis attritione, Diabolicæ quoquè & humanæ infeſtationis pręgrauaretur vexatione, ſemper tamen Diuina roborari & confirmari meruit conſolatione. Siquidem Spirituſſanctus gratiam ſuam multis profuturam, in electo vaſe ſuo volens conſeruare, omnis fæculentiæ rubiginem lima correctionis in ea ſtuduit elimare, vt

ex caſtigatione proficiens,voluntatem Domini diligenter in-
Rom.12. ueſtigaret: & iuxta Apoſtolum,rationabile obſequium Deo
reddens,totum vitę ſuę curſum ad eius ſententiam ordinaret:
& meritò. Gratuito enim ſuo dono,naturæ & gratiæ ſimul
illuſtrans eam bono, pręparabat ei gratiam in abundantia
magna & gloria,gratiam in terris,gloriam in cælis, gratiam
ſublimium meritorum,gloriam ineffabilium pręmiorum da-
bat.Indè eſt quòd à terrenis caſtigabatur, ſicut ſcriptum eſt:
Heb.12. Flagellat Deus omnẽ filiũ quem recipit,vt in ea meritorũ au-
gerent merita,ſicut & in ſubſequenti viſione declaratur, quã
deſcribit ità:

9. In lectũ ęgritudinis quodã tẽpore me Deus ſtrauit,& aërijs
Viſio 4. pœnis totũ corpus infudit,ità ꝙ venę cũ ſanguine,caro cũ li-
uore,medulla cũ oſſibus in me aruërunt,velut aĩa mea à cor-
pore eximi deberet.In iſto ſtrepitu xxx.dies fui,ità ꝙ ex calore
aërij ignis venter meus feruebat. Vndè quidã hanc ægritudi-
nem pro pœna computabant.Virtus quoq; ſpiritûs mei,carni
meę infixa,defecit,nec ex hac vita tranſlata,nec pleniter fui in
ea.Corpus etiàm meũ immutatum ſternebatur in terrã ſup ci-
liciũ,nec tñ vidi finẽ meum,cùm & pręlati mei, filię & proxi-
mi,cũ planctu magno venirent,& obitũ meũ viderent.At ego
in vera viſione aciẽ magnam angelorum,humano intellectui
innumerabilẽ,per hos dies interdùm vidi,qui de exercitu illo
Apo.11. erant,qui cum Michaele contra draconem pugnabant, & hi
ſuſtinebant qd de me Deus fieri iuberet.Sed vnus fortis ex eis,
clamabat ad me,dicens:Ei Ei,aquila,quarè dormis in ſcien-
tia?Surge de dubitatione.Cognoſcéris.O gemma in ſplendo-
re, omnes aquilæ videbunt te, ſed mundus lugebit, vita au-
tem ęterna gaudebit: & ideò aurora ad ſolem ſurge. Surge
ſurge, concede & bibe. Mox acies tota clamabat voce ſo-
nora: Vox gaudij, Nuncij ſiluerunt,Nondùm venit tem-

pus

pus tranſeundi, puella ergò ſurge. Statìm corpus meum & ſenſus mei ad præſentem vitam mutabantur. Quod filię meę, quæ priùs fleuerant, cernentes, de terra me leuantes, in lectũ repoſuerunt, & ſic priſtinas vires recepi. Pœnalis autem infirmitas à me pleniter non receſſit: ſed tantùm ſpiritus meus de die in diem, plùs quàm priùs, in me confortabatur. Nam peſſimi aërij ſpiritus, quibus pœnales cruciatus hominum iniuncti ſunt, pœnam hanc, quæ mihi ab eis, vt Deus permiſit, inferebatur, ſubminiſtrabant, ſicut & tortores fecerunt, quæ B. Laurentio & alijs martyribus prunas apponebant, qui & ad me feſtinantes, voce magna clamabant: Seducamus iſtam, vt de Deo dubitet & blaſphemet, cur eam tantis pœnis implicet. Sicut enim in Iob permiſſiõe Dei factum eſt, quòd Satan corpus eius ità percuſſit, quòd vermibus ſcateret: ità aërius ignis ſubintrans, carnem meam conſumpſit: quod & Ieremiæ accidit, qui dolorem ſuum flebiliter planxit. Sed diabolus ei perſuadere nõ potuit, quòd Deum blaſphemaret. Ego verò mollis in carne, timida in mente, de pœnis iſtis plurimùm terrebar. Sed Deus me confortauit, quòd eas patienter ferebam, atque in ſpiritu meo dixi: O O Domine DEVS, omnia per quæ me tangis, bona eſſe ſcio, quoniam cuncta opera tua, bona & ſancta ſunt, quoniam hæc ab infantia mea promerui. Sed tamen cõfido, quòd animam meam in futura vita ſic cruciari non permittas.

Iob 1. Thre. 3.

Cumque in his doloribus adhuc laborarem, in vera viſione .10.
admonita ſum, vt ad locum in quo Deo oblata eram, irem, & verba quæ DEVS mihi oſtenderat, proferrem: quod & feci, ac in eodem dolore ad filias meas redij. Ad alia quoquè loca congregationum iter arripui, ac verba quæ Deus iuſſit, explanaui. In his omnibus vas corporis mei quaſi in clibano coctum eſt, ſicut & DEVS multos probauit, quos verba ſua

proferre iuſſit: vndè laus ſibi ſit. Qui & magnum auxilium in duabus filiabus meis & alijs mihi præbuit, quòd paſſionibus meis infatigabiliter condolebant. vndè & ſuſpirans Deo gratias egi, quòd homines tædium meî nõ habebant. Si enim tantam preſſuram dolorum, qui à DEO non eſſent, in carne mea habuiſſem, tam diù viuere non potuiſſem. Quanuis autem in his cruciarer, in ſuperna viſione tamen dictaui, cantaui, ac ſcripſi, quæ ſpiritusſanctus per me proferre volebat. In his autem languoribus triennio finito, vidi quòd Cherubim in flagrante igne, in quo ſpeculum myſteriorum DEI eſt, aëreos ſpiritus qui me torquebant, quaſi igneo gladio inſequebatur, ità quòd à me fugerent, clamantes: Ah Ah, Væ Væ. Num iſta iſta ſic abibit, quòd eam non rapiemus? Mox ſpiritus meus in me pleniter reuixit, corpusq; meum in venis & medullis recreatum eſt, ſicq; tota conualui.

31. Eccè qualiter S. virgo duplici modo nũc languorum doloribus cruciata, nunc dæmonum terroribus vexata, ſub defenſione angelica glorificabatur. Deniquè ex vna parte, qua laborabat infirmitate, fœmina miræ innocentiæ muniuit ſe virtute patientiæ, & quaſi eius moleſtiæ ſermo Diuinus blandiretur, Sufficit, inquiens, tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficietur: libenter gloriabatur in infirmitatibus, vt inhabitaret in ſe virtus CHRISTI: & eo præſumebat ſe diligi, quo merebatur argui. At ex altera parte, qua dæmonum iritabatur arte, bellatrix egregia iterũ ſe doctrinæ Apoſtolicæ armauit cuſtodia. Qua? Galeam, inquit, ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum DEI. Et iterùm: Induite vos armaturam DEI, vt poſſitis ſtare aduerſùs inſidias Diaboli, quia non eſt nobis colluctatio aduerſùs carnem & ſanguinem, ſed aduerſùs principatus & poteſtates tenebrarum harum. Hac itaque magna bellandi arte,

2. Cor. 12.
Ephe. 6.
Ibid.

arte, & his armis propugnatrix inuicta decertabat: & adhuc carne incluſa, & in terris poſita, contra ſpiritualia nequitię in cæleſtibus dimicabat. Quapropter & ipſi principes tenebrarum horruerunt, quandò tanta arte inſtructam & omni armatura fortium vallatam fœminam contra ſe procedere viderunt. Horruerunt, inquam, & Væ ſuum conclamantes, cum confuſione fugerunt, quoniam timor & tremor ſuper eos venerunt, cùm viderunt Cherubin terribilem vt caſtro- Can.6.
rum aciem ordinatam, famulam quidem DEI protegentem, ſe autem flammea framea, nè eam vexarent, proſequentem. Itaque admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, Pſal.47.
tremor appræhendit eos, ità vt dicerent: Caſtra DEI ſunt Gen.32.
hæc, fugiamus Iſraelem. Et ſtatìm fugerunt. Ità inter ſuperos & inferos ſpiritus athleta DEI luctabatur, propulſatiſque aduerſarijs, læta ſemper victoria gloriabatur. Nec illud ſilendum, quòd cùm quadam vice febribus laboraret, quoſdam ſanctos vidit qui dicebant: Vindica Domine ſan- Apo.6.
guinem ſanctorum tuorum. Et alij ad ipſam: Dolorem, inquiunt, quem pateris, bona voluntate ſufferre debes. Et eccè alij ſancti ità inter ſe conferebant: Nobiſcum ibit, an non? Et alij reſpondebant: Præterita, præſentia, & futura nondùm permittunt eam: ſed tamen cùm opus ſuum perfecerit, nobiſcum eam tollemus. Tunc ſimul omnes clamabant: O felix anima & certiſſ. ſurge, ſurge ſicut aquila, quia ſol te produxit, & neſcîſti. Et ilicò conualuit. Nec ſolùm cùm moleſtiam languorum vel ſæuitiam dæmonum, ſed etiàm cùm inſectationes incurrit hominum, affuit ei Dominus: & corda aduerſariorum cōuertit in melius, ſicut ipſa deſcribit de conuerſione philoſophi, primò ſibi, immò DEO contrarij, in quo verè poſteà facta eſt mutatio dexteræ excelſi: & cùm va- Pſal.67.
nitates, quæ per deceptionem Sathanæ oriebantur in cordi-

bus

bus puellarum ſuarum, remouit exhortationibus ſanctarum ſcripturarum, de quibus ità dicit: Quidam philoſophus de diuitijs honoratus, cùm de his quæ videram, diù dubitâſſet, tandèm ad nos venit, & locum noſtrum ædificijs, allodijs, & alijs neceſſarijs valdè ornauit: vndè anima mea exhilarata fuit, quia DEVS in obliuionem nos non adduxit. Acri enim ſcrutatione, ſed ſapienti, exquiſiuit, quæ eſſent vel vndè eſſent viſionis huius ſcripta, donèc inſpiratione Diuina pleniter credidit, & qui priùs malitioſis verbis nos ſpreuerat, cùm DEVS iniuſtitiam in corde eius ſuffocâſſet, maioribus benedictionibus ad nos conuerſus fuit: ſicut & Pharaonem DEVS in mari rubro ſubmerſit, qui filios Iſrael capere voluit. De huius immutatione multi admirati, magis crediderunt, & per ipſum ſapientem DEVS benedictionem ſuam ſuper nos fudit, ſicut vnguentum, quod deſcendit *in barbam* barbam Aaron. Vndè & omnes nos eum patrem nominauimus. Hic & qui tantus princeps in nomine ſuo fuit, petijt, vt apud nos ſepeliretur, & ità factum eſt. Tunc mens mea ſolidata eſt, & curam egi filiarum mearum in neceſſarijs tam corporum quàm animarum, ſicut à magiſtris mihi erat ſtatutum. Ad veram ergò viſionem adſpiciebam magna ſolicitudine, quomodò aërij ſpiritus contra nos pugnarent: vidique quòd idem ſpiritus quaſdam nobiles filias meas per diuerſas vanitates quaſi in rete perplexerant. At ego per oſtenſionem DEI, eis hoc innotui, ipſaſque verbis ſanctarum ſcripturarum & regulari diſciplina, bonaque conuerſatione circunfodi & muniui. Sed quædam ex eis toruis luminibus me adſpicientes, verbis occultè me laniabant, dicentes quòd importabilem ſtrepitum regularis diſciplinæ, quo eas conſtringere vellem, ſufferre non poſſent. Sed DEVS in alijs bonis ſapientibuſque ſororibus, quæ in omnibus paſſionibus meis mihi

Exo.14. Pſal.132.

mihi adſtiterunt,ſolatium adhibuit, ſicut in Suſanna factum Dan.13.
eſt,quam DEVS à falſis teſtimonijs liberauit. Quanuis autem huiuſmodi tribulationibus frequenter fatigarer, tamen librum vitæ meritorum diuinitùs mihi reuelatum, per gratiam Dei ad finem perduxi.

Sic inter aduerſa & proſpera ſe agebat virgo Deo deuota, 13.
vt nec in proſperis eleuaretur, nec in aduerſis deprimeretur: ſed in vtroque vnum & eundem ſeruans vigorem, nec vituperio concutiebatur,nec laude ſeducebatur.Intentum enim, tanquàm arcum,animum ad omnem diſciplinã habebat:quo non langueſcente,authoritate modò manſueta, modò ſeuera ſe ſuoſq; regebat.Erat quippe in ea, comitate condíta grauitas,& ex eius lingua melle dulcior orationis profluebat ſuauitas.Habebat verò in omnibus ſanam doctrinam,ſicut de natura hominis, de conflictu carnis & ſpiritûs, de ſanctorũ patrum exemplis ſcribit,quod percepit per reuelationẽ Diuinã.

In vera,inquit,viſione vidi figuram hominis, qui quanuis 14.
in duabus naturis ſit animæ & corporis,vnum tamen ædificiũ Viſio 5.
eſt,velut cùm homo ex lapidibus domum cõponit,de cineroſa De duabꝰ naturis
quoquè materia eam tegit & confirmat,nè cadat & cõfundatur. hominũ.
Homo enim opus Dei eſt,& cũ omni creatura eſt,ac om̃is creatura cum ipſo eſt. Sed opus hominis, quod ſinè vita eſt, operi Dei,quod vita eſt,ſimile non eſt,ſicut vas figuli,ędificationibus fabri ſimile nõ eſt.Natura verò animæ, ad infinitam vitam adſpicit:corpus autem caducam vitam amplectitur:nec vnanimes ſunt,quia quanuìs ſimul ſint in homine, in duo tamen diuiduntur.Hac ſimilitudine cùm Deus ſpiritũ ſuum per prophetiam & ſapientiam,vel per miracula in hominẽ mittit, carni illius ſępè dolores infligit,quatenùs ſpiritusſanctus ibì habitare poſſit.Si aũt eam doloribus non conſtringit,tunc ſecularibus moribus facilè admiſcetur: ſicut in Samſone & Sa- Iudic.16. 3.Reg.11.

lomone alijſq; accidit, qui in ſuſpirijs ſpiritûs defecerunt, ad delectationem carnis ſe inclinantes: quia prophetia, Sapiētia & miracula, in gaudio iucūda ſunt. Sed cùm homo interdùm delectationem carnis per ſuggeſtionem Diaboli colit, ſępè dicit: Ah immundo fœtore fæcis fœteo, quid eſt quòd ſpiritus carnem affligit, quia ipſe ſpiritus guſtū peccati ex natura ſua odio habet? Cùm autem caro deſideria animæ frangit propter frequentem delectationem, in qua per fœtorem peccati ſe inuoluit, ità ꝙ ſpiritus propter eandem moleſtiam ſuſpirare nō poteſt, tūc caro affligit ſpiritum, & afflictio hæc in duas partes per gratiam Dei diuiditur. Conflictus verò iſte, qui dictus

Abel. eſt de figura, quæ homo eſt, in Abel incepit, quem frater ſuus

Noe. odio habuit: & in Noe, qui à filijs ſuis iniuriam pertulit: & in

Abraham. Iacob. Abraham, qui de amicis opprobria ſuſtinuit: Et in Iacob, qui

Moyſes. propter fratrem ſuū profugus fuit: atq; in Moyſe, qui ab amicis afflictus eſt, quia inimicis conſenſerūt. Hæc afflictio quo-

Iudas. què inter diſcipulos Chriſti erat, quia propter duritiam infidelitatis, caro vnius ſpiritum ſuffocauit, Cæteri autem cum

Zachæus. ſpiritu in afflictione contra carnem erant. Zachęus quoquè

Luc. 19. Euangelicus, cum ſpiritu in afflictione contra carnem fuit.

Iuuenis. Mat. 19. Iuuenis autem, qui in Euāgelio cum Chriſto loquebatur, cōtra carnem cum ſpiritu in afflictione non erat: vndè & à filio Dei fugit. Saulus etiàm in incredulitate ſua ſpiritum primitùs continuit: Sed Deus malum hoc in ipſo diſſipauit, ſicut de cę-

Acto. 9. lo ſathanam in abyſſum proiecit, & de Saulo Paulum fecit.

Gene. 4. Abel autem, qui in affluenti deſiderio animæ immolauit, ſanctificatus eſt: Cain aūt repudiatus, quia caro ſpiritum eius per odium ſuffocauit. Noe etiàm iuſtificatus, quia Deo ſacrificauit. Sed filius eius ſpurcitiæ carnis partē deridendo reſpondit: & ideò libertate caruit, nomine filij indignus, ſeruus vocatus

Gene. 9. eſt. Abrahā quoquè multiplicatus eſt, qm̄ Deo obediens, carnem

nem ſuā contra carnis iura diligenter affligebat. Hic in alienā gentem conuerſus eſt. A filijs aūt & amicis eius libertas illorū qui ſibi reſiſtebāt, euanuit: à filijs quippe Iſrael eiecti ſunt qui liberi extiterūt. Iacob quoquè Deo dilectus, quia in deſiderio animę iuſtitiā ſemper bibit, in benedictionibus Dei perſeuerauit. Eſau autem frater eius, benedictione ſpoliatus eſt, propter odiū quod ad ipſum habuit. Moyſes famulus & amicus Dei, quæ in myſterijs & miraculis habuit & ſeruauit, reſponſum carnis in ſe oppreſſit. Vndè qui eum odio habebant, periêrūt, nec in terram promiſſionis peruenerunt. Apoſtoli carnem ſuam opprimebant. Sed Iudas in deſiderio animæ totus cæcus fuit, qui Chriſtum magìs ſequebatur, vt à populo honorificaretur, q̃ vt in eum crederet. Sicut & diſcipuli qui deſiderium animæ pleniter non habebant, doctrinam quidem Chriſti libenter audiêrūt, ſed quoniam in ſpiritu tędioſi erāt, cum perfectionem iuſtitiæ eius ſufferre non poſſent, ab eo fugêrunt. Zachæus in iucunditate carnis, afflictionem ſpiritûs contra carnem habuit, ità ꝙ opera ſua ſibi diſplicuerūt. vndè cùm de filio Dei audîſſet, ꝙ iuſtus eſſet, ilicò ad eum cucurrit, & in eū credidit, quia peccata ſua priùs per ſpiritū planxit. Sed iuuenis in Euangelio poſitus, diuitijs oneratus, famā rerū libenter audiens, ad Dei filiū venit, quęrēs quid facturꝰ eſſet: ſed cùm perfectū reſponſum accepiſſet, in triſtitiam corruit: & quia caro ſpiritū ſuffocauit, à Chriſto receſſit. Saulus quoquè importunꝰ, corde indurato cōtra fidē Chriſti cornua ſuꝑbię erexit: ſed Deus illū ſtrauit, carnis volūtatē in eo mortificauit, et ad bonū eū cōuertit. Ego aūt pauꝑcula forma, hos p̄cipuè dilexi & inuocaui, qui carnē ſuā in ſpiritu afflixerūt, & ab his declinaui, qui ſe cōtra ſpiritū indurauerūt, & eū ſuffocauerūt. Nec vnq̃ reqeui, ſed in tribulatiōibus plurimis fatigata fui, donèc rorē gr̃ę ſuę ſuꝑ me pluit, ſicut familiari ſuo dixit: Inimicꝰ ero ini-

Saniſſima dogmata.

Ioan. 6.

Luc. 19.

Matt. 19.

Act. 9.

Nota inuocationē ſanctorū.

Exo.23. micis tuis, & affligentes te affligã, & pręcedet te angelus meus. Et iterùm: Famulo meo pręſtiti honorem magnum, & omes inimicos eius humiliaui. Sed & in plurimis iniurijs DEVS ità me conſtrinxit, quòd cogitare nõ audebã, quanta benignitas gratię eius erga me foret, cùm tamẽ magnas cõtrarietates illis occurrere videbam, qui veritati Dei reſiſtebant. Et de tribulationibus & pœnis, quas de aërio calore paſſa ſum, corpus meũ ità conculcatũ eſt, ſicut limoſa terra cum aqua cõglutinatur.

15. Magnę profectò eſſet vtilitatis, indagare obſcuritatẽ eloquiorum tantę ſubtilitatis, ſi non eſſet nobis indictum, potiùs textum viſionum S. virginis ſcriptis exarare, & hiſtoriam vitæ eius aliquibus verbis explanare. Exercet enim ſenſum noſtrũ, vt fatigatione fieret dilatatus: & quod capere nõ poſſet ocioſus, caperet exercitatus. Nunc verò quia ad alia feſtinamus, viſiones eius carptìm intento calamo perſcribamus. Ait enim:

16. Tres turres in viſione adſpiciebã, per quas ſapientia, quędã
Viſio 6. occulta mihi manifeſtauit. Prima tria habebat habitacula. In primo nobiles puellæ cum quibuſdam alijs erant, quæ in ardenti charitate verba Dei ex ore meo audiebant, atque in hoc ☞ quaſi eſuriẽ ſemper habebãt. Sed in ſecundo aliæ quędã ſtabiles & ſapientes fuerunt, q̃ in cordibus verbis ſuis veritatẽ DEI amplectebantur, dicẽtes: O, quãdiù iſta nobiſcũ perſeuerabit? Et ex hoc fatigatæ non ſunt. In tertio verò habitaculo fortes armati ex communi populo erant, qui vehemens ad nos iter facientes, in admirationem de prædictis miraculis ducti ſunt, magnoq; deſiderio ea amauerunt, & hoc ſæpè faciebant, ſicut communis populus in firma & forti turri alicuius principis defenſionem quærit, vt ab inimicis muniatur. In ſecunda verò turri tria habitacula erant, quorum duo arida in ſiccitate fuerunt, & eadem ſiccitas quaſi denſa nebula apparebat. Et qui in his duobus habitaculis fuerunt, in vnum conſen-

tientes

tientes, dixerunt: Quæ & vndè ſunt iſta, quę hęc quaſi de Deo loquitur? Durum eſt nobis aliter viuere, quàm qui nos præceſſerunt, aut qui adhuc viuunt. Quapropter ad illos qui nos cognoſcunt, conuertemur, quia in alijs perſeuerare non poſſimus. Sicq; ad prędatum communem populum, & nec in illo, nec in prędata turri vllius vtilitatis erant. Et in vera viſiõe audiui vocem ad ipſos dicentem: Omne regnum in ſeipſum Luc.11.
diuiſum, deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. In tertio autem eiuſdem turris habitaculo cõmunis populus fuit, qui multiplici amore, verba Dei quæ de vera viſione proferebam, dilexit, ac in tribulationibus mihi adſtitit, quemadmdùm publicani Chriſto adhæſerũt. Sed & tertia turris tria propugnacula habebat, quorum primum ligneũ fuit, ſecundum ex fulgentibus lapidibus ornatum, tertium de ſepi factum. Aliud autem ædificium in viſiõe mihi occultatum eſt, ità quòd verba de eo nunc non dico: ſed in vero lumine audiui, quòd futura ſcriptura, quæ de illo exarabitur, fortior & excellentior pręcedentium erit.

Subſequenti demùm tempore myſticam & mirificam viſionem vidi, ità quòd omnia viſcera mea cõcuſſa ſunt, & ſenſualitas corporis mei extincta eſt, quoniã ſcientia mea in aliũ modum conuerſa eſt, quaſi me neſcirem. Et de Dei inſpiratione in ſcientia animæ meæ quaſi guttæ ſuauis pluuiæ ſpargebantur: quia & ſpiritusſanctus Iohannẽ Euangeliſtã imbuit, cùm de pectore Ieſu profundiſs. reuelationẽ ſuxit, vbì ſenſus ipſius, ſancta Diuinitate ità tactus eſt, quòd abſconſa myſteria & opera aperuit: In principio, inquiens, erat verbũ, &c. Nam Ioan.1.
verbum quod ante creaturas ſinè initio fuit, & quod poſt eas ſinè fine erit, oẽs creaturas procedere iuſſit, & opus ſuum in ea ſimilitudine produxit, ſicut faber opus ſuum fulminare facit, quia quod ante eũ in prędeſtinatione ſua fuit, modò viſibi-

liter apparuit. Vndè & homo opus Dei cũ omĩ creatura eſt. Sed & homo operarius Diuinitatis, & obumbratio myſteriorum Dei eſſe, atq; in omnibus S. Trinitatẽ reuelare dicitur, quem Deus ad imaginẽ & ſimilitudinem ſuã fecit. Sicut enim lucifer in malignitate ſua Deũ diſpergere non potuit, ità nec ſtatum hominis deſtruere valebit, quãuis in primo hoĩe id tentauit. Omnem itaq; dictatum & verba Euangelij huius, quod de initio operis Dei eſt, ꝑdicta viſio me docuit, & me explanare fecit. Vidiq; ꝙ eadẽ explanatio initiũ alterius ſcripturę (quæ necdùm manifeſtata erat) eſſe deberet, in qua multæ ſcrutationes creaturarũ Diuini myſterij quęrendę eſſent.

Eccè quantùm, ſcribentes, progreſſi ſumus, tãtùm nobis inſigniũ viſionum, actuum & verborum B. virginis auctus eſt cumulus. In quibus ſummę gratię tanta exuberat doctrina & veritas, vt eam ſummo opere non amplecti, omni conamine nõ venerari, ingens ſit obſtinatæ mentis temeritas. Quis enim niſì ſpiritus Diuinus, gratiarũ largitor optimus, tam profluo fonte ſapientiæ ſalutaris eam potauit, quòd affluẽtia ſpiritualis doctrinæ, quaſi flumen aquæ viuæ tã largiter de eius corde emanauit? Penna ſiquidẽ internæ contemplationis, in ipſa abdita volauit ſupernę viſionis, vbì didicit Euangeliũ Iohannis. Et quis ſapiens ambigat, hanc ſanctam ſedem fuiſſe ęternę ſapientiæ, cui reuelauit Deus tantum theſaurum internę ſcientiæ? Certè moralis diſciplinæ honeſtas, quę ſibi familiaris fuit, ità naturales animi ſui motus compoſuit, vt amore Diuinę ſpeculationis, rationabili progreſſu ad ſuperna proueheretur, vbì læto cordis iubilo, ſponſo ſuo Chriſto proclamare delectaretur, Trahe me poſt te, curremus in odore vnguen- Cant.1. torum tuorum, vbì inter habentes tres citharas, caneret canticum Moyſis ſerui Dei, & canticum agni, legis ſcilicet & Eu- Apo.15. angelij. Et nos igiẽ ſecundi libri termino hìc fixo, etiàm canticum

ticum laudis Domino canamus, dum tam vaſtum pelagus viſionum S. virginis enauigamus. Interim autem reſpiremus, & ad miraculorum eius libellum deſcribendum, vela nauigij noſtri, Spirituſancto fauente, reparemus.

PROLOGVS IN LIBRVM TERTIVM DE MIRAculis S. virginis Hildegardis.

DEcurſis iã duobus lib. ſuperiorib⁹ de B. Hildegardis virginis vita & viſiõibus, ſubſequẽter de Miraculis eius & virtutibus ſcribere vlteriùs mihi quidẽ non eſt pigrũ, vobis autẽ neceſſarium, ô Ludovuice & Godefride Abbates clariſs. hunc tertium aggredior ordinare librum, non ſecuritate efficientiæ, ſed præſumptione ſuſceptum obedientiæ. Sed quarè vobis neceſſarium? Vtiquè quia valida cauſa eſt amor ſanctus, quo ſicut eam in vita dilexiſtis, ità & in morte ab ea nõ ſeparari pio affectu propoſuiſtis. Hoc itaq; S. amore affectis vobis fuit neceſſariũ, ꝙ per me veſtrum vicariũ, geſta eius ad notitiã puenirent futurorũ hoĩm, vt pro his glorificarent Dñm, qui in ſanctis ſuis mirabilis, mirabiliter in ea operatus eſt, vt in oĩbus bonis eſſet immutabilis. Quicqd enim de ea dici poteſt, totũ eſt iucundũ & amabile, totũ decorũ, vtile & honorabile: quia nõ ſolùm omni morũ ſanctitate, vel myſteriorũ Dei interna contẽplatione, verùm etiã ſpectabilis fuit & eſt miraculorũ inſigniũ operatiõe, quorũ numerũ excedens tanta habetur copia, ꝙ eam verbis vix poſſunt extollere etiã præclara ingenia. Sed tamẽ ad enarranda pauca de pluribus, ſi vobis orantibus Dñs dignet̃ nobis in altũ ductis, ſpiritûs ſui aurã proſperã dare, ſecundo verbi curſu portũ ſalutis ſperamus intrare. Valete. Phil. 3.

CAP.

CAPITVLA LIBRI TERTII DE virtutibus S. virginis Hildegardis.

1. De eo quòd puellam ſanauit à tertianis.
2. Quòd monachum ab eiſdem liberauit.
3. Quòd famulam à tumore colli liberauit.
4. Quòd Sueuum à tumore totius corporis liberauit.
5. Quòd infantem ſeptem menſium, de motu corporis horrendo liberauit.
6. Quendam remotum virum de dolore gutturis ſanauit.
7. Puellæ triduo non loquēti, aqua quam benedixit, & loquelam & vitam reſtituit.
8. De eadem aqua, iuuenis in extremis agens, conualuit.
9. Quòd de pane menſæ ſuę benedicto, puellam liberauit, quæ inſano iuuenis cuiuſdam amore æſtuauit.
10. Quòd matronę tranſalpinæ literas miſit, per quas fluxus ſanguinis reſtitit.
11. Quòd ex capillorum eius circuncinctione, vxor Scolteti in Binga, partûs ſoluta eſt diuturno labore.
12. Similiter aliæ duę reſti eadem capillorum eius circuncinctæ, liberatę ſunt à ſimili labore.
13. Quòd alię duę mentis amentia captæ, ſenſum receperūt.
14. Quòd iuuenem, qui ſe ſuis orationibus commēdauit, per viſum ab inſidijs inimicorum liberauit.
15. Quòd militi in extremis poſito viſum eſt, quòd ei manus impoſuit, & ſtatim conualuit.
16. Quòd presbytero expoſuit literas, in palla altaris inuentas, vndè ille correptus & correctus, monachus eſt effectus.
17. Quòd multis ciuitatibus & monaſterijs verbum Dei annunciauit.
18. Quòd cęco puerulo viſum reſtituit.

19. Quòd cùm quendam hominẽ à caduco liberâſſet morbo, & hoc ille conuicaneis ſuis propalâſſet, multi ad eam venerunt, & curati ab ipſo languore, rediêrunt.
20. Quòd inter cætera virtutum inſignia, dæmones eijciẽdi ei affuit gratia: & deſcriptio ipſius de quadam dæmoniaca, & de arte & fumoſitate diabolica.
21. De Epiſtolis ad ſe, & à ſe miſſis pro præfata dæmoniaca.
22. Quòd poſt ſeptem annos ad ſe ducta, octauo tandèm meritis eius eſt curata.
23. Quòd XL. diebus grauiter infirmabatur, & cùm verba Dei, ad quoſdam ſpirituales deferret, alleuiabatur.
24. Quòd pulcherrimum iuuenem vidit, qui dæmones à ſe & omnem infirmitatem fugauit.
25. Quòd rogata ab Abbate ſuo & fratribus, ſcripſit vitam S. Dyſibodi in viſione oſtenſam ſibi.
26. Quòd librum Diuinorum operum & multas ſcripturas reliquit, & quòd quinque dæmoniacas liberauit.
27. De felici tranſitu ſuo, & de ſignis quæ apparuerunt in obitu ſuo.

LIBER TERTIVS
DE MIRACVLIS S. HILDEGARDIS.

IGitur curationum tam potens gratia in virgine enituit beata, vt nullus ferè ægrotus ad eam acceſſerit, quin continuò ſanitatem receperit. Quod ex ſubiectis ſatis patebit exemplis. Puella quędam
1. nobilis Hildegardis, parentes, domum & ſeculum *relinquerat*, & S. Hildegardis piæ matris magiſterio ad votum adhæſerat. Hæc quodam tépore, cùm tertianis febribus vexaretur, nec vllo remedio curaretur, vnicum ſibi incidit conſilium, vt ſanctæ virginis implo-
Mar.16. raret auxilium. Quæ iuxta verbum Domini, Super ęgros manus imponent, & benè habebunt: manum ſibi imponens cum benedictione & precibus, ſanauit eam propulſatis febribus.

2. Subſequẽti tempore, quidam frater Roricus, qui in quadã cella ſub monachico habitu & propoſito religioſè conuerſabatur, ſimili modo tërtianis acriter torquebatur. Qui audiens in prędicta ſorore factum miraculum, deuotè & humiliter eius petijt & obtinuit benedictionis ſignaculum: ex quo ſtatim febris fugata eſt, ęgrotus curatus eſt.

3. In eodem cœnobio Bertha quædam ancilla ſororibus ſedulè ſeruiebat, quã tumor colli & pectoris vehementer angebat.

bat.

bat.Siquidem ad hoc dolor proceſſerat, quòd nec cibum nec potum capere,nec ſaliuam deglutire poterat. Hæc ad famulã Dei adducta,ſignis potiùs quàm verbis,morbi morti iam proximi flagitauit remedia. Cui illa compatiens,etiàm propter boni ſeruitij ſui aſſiduitatem, ſigno S.crucis locis dolentibus contrectatis,optatam reddidit ſanitatem.

4. Sueuus quidam de vico Daleuingun,toto corpore intumuit: & audita fama eius,emẽſo magno itinere ad eam veniens,ſpe ſua fruſtratus non fuit.Deniquè per aliquot dies charitatiuè eum ſecum detinuit,& manibus ſuis languidum cõtrectans & benedicens,per gratiam Dei priſtinæ incolumitati reſtituit.

5. Infans quidam de Rudenesheim Simon, vij. hebdomadas natus, miſerabili motu membrorum omniũ fuit agitatus, qui à nutrice ſua delatus, precibus eius DEO annuente, eſt ſanatus.

6. Non ſolùm autem vicinis, ſed etiàm ſubueniebat longè poſitis. Quidam enim Arnoldus de Vuaccherneim olìm ſibi notus,guttur ità dolens,quòd habitum ſuum difficulter trahebat,quia per ſe nõ poterat, orationum eius ſuffragia deuotè expetebat.Quæ confidens de Dei miſericordia, aquam benedixit,amico miſit,quam vt guſtauit,dolor (Dei dono) eum dimiſit.

7. Mulieris cuiuſdam Hazechæ filia in Binga infirmabatur, & poſt triduum nihil loquebatur. Cumque mater currens pro filia,S.virginis auxilium peteret,nihil aliud q̃ aquam benedictam ab ea accepit, qua illa guſtata, ſtatìm vocem & vires recepit.

8. In eodem caſtro iuuenis tanta ægritudine detinebatur, quòd iam in extremis eſſe putabatur.huic p̃fata mulier, cuius

filia conualuerat, quam adhuc reliquam habuit aquam, in potu dedit, & faciem indè abluit, & protinùs receptis viribus conualuit.

9. In epiſcopatu Treuirorũ Lutgardis quædã nobilis puella, cùm adoleſcentuli cuiuſdã ad carnẽ ſpecioſi, vehemẽti amore deperiret, quia copiam explẽdæ voluptatis ſuæ p̃ ſuî cuſtodia habere nequiret, parẽtes eius cauſa reſcita, huiuſmodi defectionis conſilium & auxilium ſanctę virginis per nuncium fideliter expetiêrunt: & pro deſiderio cordis ſui efficaciter exaudiri meruerunt. Ipſa enim oratione pręmiſſa ad Deũ, panẽ profuſis lachrymis benedixit de ſua menſa, quem puellæ miſſum cùm dediſſent ad comedendum, ilicò ardoris illius penitùs in ea refriguit incendium.

10. Matronam etiàm Sibyllam de ciuitate Lauſanenſi trans alpes, quæ eius adiutorium per nuncium expoſtulauit, miſſis ei ſubiectis literis, à profluuio ſanguinis liberauit: *Hæc*, inquit, verba circa pectus & vmbilicum tuum pones in nomine illius, qui omnia rectè diſpenſat: In ſanguine Adæ orta eſt mors, in ſanguine Chriſti extincta eſt mors: In eodem ſanguine Chriſti impero tibi ô ſanguis, vt fluxum tuum contineas. Itaque vt dixit vnus, matrona præfata hoc modo eſt liberata.

11. Nam hoc prætereũndum, quòd cùm particulæ criniũ vel veſtimentorum eius quibuſcunque languidis apponebantur, priſtinæ incolumitati reſtituebantur. Deniquè vxor Scolteti Bingenſis, cùm partu diutiùs laboraret, & de vita iam deſperaret, ad monaſterium virginis Dei ocyùs curritur, ſi aliquid ad ſubueniendum eſſet tantoperè laboranti, quæritur: puellę eius reſtem capillorum eius, quam aliquandò ſeruauerãt, obtulerunt: & vt hac ad nuda circuncingeretur, admonuerunt. Quod vt factũ eſt, illa partu feliciter edito, morte liberata eſt.

Simili-

Similiter & aliæ duæ matronæ per eandem reſtim liberatę 12.
ſunt ſimili parturitionis labore.

Nec minùs profuit duabus de Sudernesheim mulieribus, 13.
quas propter mentis amentiam, cùm parentes ad loca ſancta circunducerent, & nihil proficerent, tandèm vt à puellis trāſmiſſis ipſa reſti circuncinctæ fuerunt, ilicò ſoſpitatem mentis & corporis receperunt.

Quid illud, quòd eadem virgo etiàm per viſum eos præ- 14.
munire in neceſſitatibus voluit, quos in orationibus cōmendatos habuit?

Iuuenis de Ederich Rudolphus, noctù in parua villa fuit 15.
hoſpitatus, qui cùm tempore quietis cubitum iret, ſuffragia S. virginis fuit precatus. Mira res. Illa eodem ſchemate & habitu, quo in corpore fuit, per viſum ei apparuit, & quòd periculum vitę ab inſidiantibus ſibi inimicis incurreret, ſi non citiùs recederet, aperuit. Qui ſtatìm vt de loco cum quibuſdam ſocijs diſceſſit, quoſdam illic remorantes, hoſtium phalāx circa manè oppreſſit: qui ſe ſtultè egiſſe cognouerunt, quia tempeſtiuè ad viſionem eius non receſſerunt.

Quanuìs ſit miraculoſum, non tamē eſt incredibile, quòd 16.
S. virgini adhuc in carne degenti, hominibus impendere beneficia in ſpiritu fuit poſſibile, cùm ad declarandum eius meritum, CHRISTVS ei tam abſentium quàm præſentium deſideria reuelare dignatus eſt per ſpiritum. Nam militem quendā iuxta Andernacum in extremis iacentem, cùm amici eius inuiſerent, & de rebus ſuis conſultarent, fortè affluit hora, vt ſigno audito, relicta ad cuſtodiam ſola fœmina, ipſi ad eccleſiam properarent. At ille ſilētium nactus, toto corde altis ſuſpirijs DEVM inuocauit, & vt per merita huius S. virginis, ſanitatem ſibi conferret, ſuppliciter poſtulauit. Nec mora, finita oratione, recreari meruit tali viſione: Videri ſibi videbatur ve-

nerabilem virginem ad ſe ingredientem,&,ſi ſanus fieri vellet, blanditer inquirentem. Quod vt oppidò ſe deſiderare retulit, illa capiti ſuo manum imponens, ſubintulit: In nomine eius
Marc.16. qui dixit, Super ægros manus imponent, & benè habebũt, infirmitas hæc à te recedat, & eſto ſanus. Quo dicto, viſio diſparuit: & æger de lecto ſurgens, cum admiratione omnium qui cognouerant, conualuit.

16. Non abs re videtur etiàm referre, quod de presbytero quodam factum eſt, quia & quædã S. virginis virtutũ in eo portio eſt, & res digna miraculo rectæ memoriæ in exemplum mandatur, quô, negligenter quilibet viuens, Deo volẽte, emendetur. Res in Sueuia vico Rudesheim ità geſta eſt: Presbyter ille quadam vice, peracto iam die cùm nox inſtaret, intrauit Eccleſiã, vt lumen ſanctis daret, cùm eccè vidit ſuper altare duas candelas ardentes radiare. Venerat ſecum vnus iuuenis ſcholaris, in adiutorium Diuini ſeruitij ſibi aſſiduus & familiaris. Ad quem cùm diceret, quarè candelas extinguere neglexiſſet, & ille reſponderet, quòd eas extinxiſſet: acceſſit ſacerdos ad extinguendum, & inuenit pallam altaris explicatam, ſicut euoluitur ad Diuinum ſacramentum agendum. Cumq; ſtaret ſtupefactus, iuuenis ille corruens in terram, clamauit, & ipſe in ecſtaſi factus: Gladius Domini occídit nos. Quem cùm presbyter percuſſum putaret, feſtinauit vt eum à terra leuaret. Sed ille nullam habens lęſionem, protulit hunc ſermonem: Si literas quæ in palla altaris ſunt, viderimus, non moriemur. Exiſtimans autem eum hoc præ timore ignoranter clamare, acceſſit iterùm ad altare: & in loco quo ſacra conficiuntur, inuenit in palla quinq; literas in modum crucis abſq; huma-
K. no opere ſcriptas, ſcilicet in expanſione, A.P.H. in erectione,
A.P.H. K.P.D. his viſis, & diligenter notatis, iuuenis viribus receptis
D. erigitur. Sacerdos palla complicata & candelis extinctis, domum

mum ſtupidus reuertitur. Literę ſeptem diebus durauerunt, octauo die & deincèps non comparuerunt. Quod ſecum mirans, religioſis & ſapientibus factum innotuit. Sed quid portenderet, à nullo homine experiri potuit, donèc poſt xvj. tandèm annos, cùm fama toti mundo B. Hildegardē ſpirituſancto illuſtratam diuulgaret, veniens ad eam, cognoſcere meruit, ſicut ipſa per ſpiritumſanctum didicit, quid tantum oraculum deſignaret. Sicut enim quondàm Daniel in pariete vi- Dan. 5.
ſas, ſic ipſa in palla deſcriptas in hunc modum expoſuit literas: K. Kyrium. P. Presbyter. D. deriſit. A. Aſſcendat. P. Pœnitens. H. Homo. Quod ille audiens, timore correptus, peccatricem accuſat conſcientiam: & correctus & monachus effectus, præteritæ vitæ negligentias emendare aggreditur per pœnitentiam, & ſicut S. virgo literas expoſuit, ad altiorem & diſtrictiorem vitam aſſcendens, perfectum Dei ſeruum ſe in S. conuerſatione exhibuit.

Inter hęc etiàm illud de ipſa eſt notabile, quòd Coloniam, 19.
Treuerim, Mettim, Herbipolim, Babenberg, ſpiritu Diuino non modò acta, ſed coacta veniens, clero & populo quę Deus voluit, annunciauit, & in monte S. Dyſibodi, Siberg, Euerbach, Hirſaugia, Zuifelden, Mulenbrunnē, Rudenkyrchē, Kitzingen, Crutendal, Herde, Vverde, Andernacho, In monte S. Mariæ in Elſim & Vvinkelo, quæ ad vtilitatem animarū pertinebant, iuxta ea quę ei Deus reuelauerat, manifeſtauit.

Intereà cùm iuxta villam Rudesheim, Rheni fluenta naui- 20.
gio ſulcaret, & ad contiguum monaſterium ſanctimonialium properaret, quædam mulier cæcum puerulum geſtans in vlnis, naui appropinquauit, & vt ei ſanctas manus imponeret, flebiliter acclamauit. Quæ pio affectu memor illius qui dixit, Ioan. 5.
Vade ad natatoria Syloe, & laua, aquam fluuij ſiniſtra hauſit, & benedixit manu dextera: quam vt oculis pueri iniecit,

Diuina

Diuina fauente gratia, viſum recepit.

21. Alio tempore homo quidam qui caducum morbum acriter patiebatur, venerabilem virginem vt ſibi ſubueniret, anxius deprecabatur. Quæ ſalubri benedictione ità eum conſignauit, quòd à die illa & deincèps idem morbus ampliùs eum nō grauauit. Quod cùm domi nunciâſſet in ſe factum miraculum, gauiſi ſunt domeſtici eius, Deoq; gratias egerunt.

22. Inter cætera autem virtutum inſignia, data eſt à Domino S. virgini ab obſeſſis corporibus dęmones eijciēdi gratia, ſicut de quadam nobili & adhuc tenerę ætatis fœmina, deſcribit factum ipſa venerabilis mater. ait enim:

23. Poſteà quàm me viſio docuit dictatum & verba Euangelij Iohannis, in lectum ægritudinis decidi, de cuius pōdere nullo modo me leuare potui. Hæc de flatu auſtralis venti in me afflata eſt, vndè corpus meum tantis doloribus contere*batur*, quòd anima vix ſuſtinebat. Poſt dimidium annum idem flatus, corpus meū ità perforauit, quòd in tanto agone fui, quaſi anima mea de hac vita tranſire deberet. Tunc alius ventoſus flatus aquarum huic calori ſe admiſcuit: vndè caro mea aliqua parte refrigerabatur, nè ex toto combureretur. Sic per integrum annum afflicta ſum, ſed tamen in vera viſione vidi, quòd vita mea in tēporali curſu necdùm finiretur, ſed adhuc aliquantulùm protraheretur.

24. Intereà mihi relatum eſt, quòd in inferioribus Rheni partibus à nobis remotis, quædam nobilis fœmina, à diabolo eſſet obſeſſa. Nuncij quoquè de hac ad me ſæpiùs venerūt. At ego in vera viſione vidi, quòd ipſa permiſſione Dei, quadam nigredine & fumo Diabolicæ congloboſitatis obſeſſa erat & obumbrata, quæ totam ſenſualitatem rationalis animæ illius opprimebat, nec eā eleuato intellectu ſuſpirare permittebat, velut vmbra hominis aut alterius rei vel fumus oppoſita obtegit

git & perfundit, vndè hæc rectos ſenſus & actus perdebat, & inconueniētia ſæpiùs clamabat & faciebat. Sed cùm hoc malum iuſſione DEI in illa attenuabatur, tunc leuiùs grauabatur. Et me cogitante & ſcire volente, quomodò diabolica forma hominem intraret, vidi & reſponſum audiui, quòd diabolus in forma ſua vt eſt, hominem non intrat, ſed cum vmbra & fumo nigredinis ſuæ obumbrat & obtegit. Si enim forma illius hominem intraret, citiùs membra eius ſoluerētur, quàm ſtipula à vento diſpergatur. Quapropter Deus non permittit quòd hominē in ſua forma intret. Sed ſupradictis perfundēs, ad inſaniam & inconuenientia euertit, & per eum quaſi per feneſtram vociferatur, & membra illius exteriùs mouet, cùm tamen in eis in forma ſua interiùs non ſit, anima interim quaſi ſopita, & ignorante quid caro corporis faciat. Deindè vidi prædictæ artis & peruerſitatis agmen malignorum ſpirituum, qui totum mundum pertranſeunt, quęrentes vbi inueniant eos, per quos ſchiſmata & diuerſitates morum faciant. Hi ab initio vt creati ſunt, coram iuſtiſſimis angelis Deum contempſerunt, dicentes: Quis eſt iſte, qui tantam habet poteſtatē ſuper nos? hoc in inuidia, odio & irriſione dicentes, adhuc in his perſeuerant, & omnia in his faciunt, quia errorem irriſionis primi inceperunt. Quoniā verò Deus populū per iſtos purgare vult, permiſſione & iuſſione eius ſtuporem in aërē commouent, ac per ſpumam aëris peſtilentiam euomunt, atq; inundationes & pericula in aquis faciunt, bella excitant, aduerſitates & mala producūt. Hęc Deus tunc fieri permittit, cùm homines per arrogātiam criminibus ac homicidijs inuoluuntur. Sed cùm Deus populū ſuum ſic purgauerit, eoſdē ſpiritus in confuſionem ducit, ſicut in pręfata muliere contigit. Cùm enim nequam ſpiritus, Deo permittente, plures per eam propter prauos mores & peccata, quę eis perſuaſerat, palàm confunde-

Quomodò diabolus intret hominem.

Cauſa malorum.

ſunderet, quibuſdam exterritis, & per hoc pœnitẽtibus, idem malignus ſpiritus confuſus eſt. Nam Deus amicos ſuos aduerſitatibus & infirmitatibus affligi permittit, vt à malis purgẽtur, vndè inimici confunduntur, cùm electi per purgationem fulgentiores lapides coram Deo efficiuntur. Cumque mulier illa per plurima loca ad ſanctos eſſet deducta, ſpiritus qui eam oppreſſerat, deuictus meritis ſanctorum & votis populorum, vociferabatur, quòd in ſuperioribus Rheni partibus vetula quędam eſſet, per cuius conſilium expellendus foret. Quod amici eius percipientes, octauo anno fatigationis ſuæ ad nos eam, ſicut Dominus voluit, perduxerunt. Operępreciũ eſt, hoc in loco antequàm verba virginis Chriſti vlteriùs perſequamur, epiſtolas inſerere, quas abbas de Brunvuilre ſibi, & ipſa viciſsìm illi de hac Dæmoniaca voluit mittere, vt ex his apertiùs intelligatur & diaboli nequitia, & laudentur propéſiùs, licèt occulta, ſemper tamẽ iuſta, Dei iudicia. Cùm enim poſt ſeptem annos ipſa mulier Brunvuilre adduceretur, vt ibi meritis S. Nicolai liberaretur, nequam ſpiritus coniuratus, dixit, ſe ſuum non relicturum vaſculum, niſi per cuiuſdam vetulæ in ſuperioribus Rheni partibus, ſicut ipſa ſuprà dixerat, conſilium & auxilium, nomen eius euertens, & quòd Scrumpilgardis vocaretur, deridens. Itaq; conſilium iniêrunt, & literas deprecatorias in hunc modum ei miſerunt:

Epiſtola abbatis Brunvuiler.

Hild. Dominæ & matri venerandæ, totiſque viſceribus amplectendæ Chriſti ſponſæ, & regis altiſſimi filię, G. qualiſcunque Brunvuilareñ cœnobij prouiſor, cum ſuis fratribus in valle lachrymarum ſedentibus, vt poſſunt, in orationibus omnimodę dilectionis deuotũ famulatum. Quanuìs amantiſſ. domina facie nobis ſitis incognita, virtutum tamen veſtrarum fama nobis eſtis celeberrima: & licèt abſentes ſimus corpore, ſpiritu tamen vobis præſentes ſumus aſſiduè, & qualis ſit erga

vos

vos noſtræ dilectionis affectus, nouit ſcientiarum Dominus. Auditum eſt itaq; in terra noſtra, & celebri ſermone vulgatũ verbum hoc, quod factum eſt de vobis à Domino, qui fecit vobis magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. (Luc. 1.) Sed quibus quantisq; miraculis in vobis clareſcat fons viuidæ lucis, tam nomen, tam clerus, q̃ populus & rerum proteſtatur euentus. (Maxima laus ab effectu.) Nam in vobis fulget opus non humanũ, ſed Diuinum, gratia prȩcedẽs, donum prȩpollens, quod non dictat humana ratio, ſed quod procedit ex fonte lucidiſſ. Sed quid moramur? Flere magis libet, q̃ loqui. Ergò ſanctitatis veſtrȩ ô Dña pijſſima dulcedo non reputet temeritati, quòd in ſimplicitate cordiũ, ſed nimia neceſſitate compellente, aperire vobis cauſam neceſſitatis noſtrȩ prȩſumimus, quoniam à vobis bonum conſilium recipere non dubitamus. Nam quȩdam nobilis fœmina à maligno ſpiritu per aliquot annos obſeſſa, per amicorũ manus, ad nos deducta peruenit, quatenùs adiutorio B. Nicolai (ſub cuius patrocinio ſumus, ab hoſte imminenti liberaretur. Sed verſutia & nequitia callidiſſ. & nequiſſ. hoſtis, tot hominum ferè millia duxit in errorem & dubium, quòd eccleſiȩ S. maximum timemus detrimentum. Nam omnes nos cum multitudine populi pro liberatione fœminȩ iſtius iam per tres menſes multis modis laborauimus, & quod ſinè mœrore dicere non poſſumus, peccatis noſtris exigẽtibus, nihil profecimus. Om̃is itaq; ſpes noſtra, poſt Deũ, in vobis eſt. Dȩmon enim iſte nũc quadam die, coniuratus, tandèm manifeſtauit nobis mulierẽ hanc obſeſſam liberandam eſſe per virtutem veſtrȩ contẽplationis, & magnitudinẽ Diuinȩ reuelationis. Nunquid & magna in eius liberatione intendit D E V S? Vtiquè. Itaq; largiſſ. benignitas noſtri redemptoris laborem noſtri negocij & mœroris, ſed & lætitiæ & exultationis, per vos pleniſſimè conſummare dignabitur, vt & omnis error & infidelitas

hominũ adnihiletur, & obſeſſa famula Dei liberetur, vt cum propheta dicamus: A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris, & Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Quidquid ergò Deus de his vobis inſinuauerit, ſeu viſione reuelauerit, nobis ſanctitas veſtra literis deſignare ſtudeat, obnixè & humiliter deprecamur. Vale.

Pſal.117. Pſal.123.

Cumq; B. Hildegardis literas iſtas ſuſcepiſſet, diligenterq; perſpexiſſet, rogantibus piè cõdolens, omnes ſorores monuit, vt ꝑ præfata neceſſitate publicis & priuatis oratiõibus humiliter inſiſterent: ipſaque, oratione præmiſſa, oculos mentis ad Dominum eleuabat: & reſponſum hoc, ſecundùm quod in vera viſione vidit & audiuit, & non per alium quàm per inexhauſtam ſapientiam dictatum, ità reſcribit:

Reſpõſum Hildegardis.

G. Eccleſiæ Brunvuillarenſis abbati, H. Cùm flagellis Dei ſim longa & graui ægritudine conſtricta, vix aliquantulùm petitioni veſtræ reſpondere valeo. Hæc à me non dico, ſed ab illo qui eſt. Diuerſa genera malignorum ſpirituum ſunt. Hoc verò dæmonium, de quo quæritis, has artes habet, quæ moribus hominum in vitijs aſſimilantur: vndè & cum hominibus libenter manet, ac ideò etiàm crucẽ Domini & reliquias ſanctorum ac cætera, quę ad ſeruitium Dei pertinent, aliquãtùm negligit & deridet, nec multùm pertimeſcit. Ea quidem non diligit, ſed fugere diſſimulat, velut aliquis ſtultus & negligẽs homo, verba & minas quæ ſibi à ſapientibus inferuntur, paruipendit: quapropter & difficiliùs q̃ aliud dæmonium expellitur. Nam niſi in ieiunijs, flagellis, orationibus, eleemoſynis ac ipſo iuſſu Dei eijcietur. Audite ergò, & nõ reſponſum hominis, ſed ipſius qui viuit. Eligite vij. boni teſtimonij, & quos vitæ meritum probat, ſacerdotes in nomine & ordine Abel, Noe, Abrahã, Melchiſedech, Iacob, & Aaron, qui viuẽti Deo ſacrificium obtulerunt, ſeptimum in nomine Chriſti, qui ſe-

Nota genera malignorũ ſpirituũ diuerſa.

Matt.17.

Mirabile conſiliũ.

ipſum Deo patri in cruce obtulit: & ieiunijs, flagellis, orationibus, eleemoſynis, & Miſſarum celebratióibus pręmiſſis, humili intentione & habitu ſacerdotali cum ſtolis ad patientem accedant, & eam circunſtantes, vnuſquiſque eorum virgã in manu teneat, in figura virgæ qua Moyſes Aegyptum, mare rubrum, petramq́ue præcepto Dei percuſſit, vt ſicut Deus ibì per virgam miracula oſtendit, ità & hîc peſs. hoſte virgis eiecto, ſeipſum glorificet. In figura vij. donorum Spirituſſancti, vij. ſacerdotes erunt, vt ſpiritus Dei qui in initio ferebatur, ſuper aquas, & qui inſpirauit in faciem hominis ſpiraculum vitæ, ſpiritum immundum ab homine fatigato exufflet. Et primus qui in nomine Abel erit, virgam in manu tenens, dicat: Audi maligne & ſtulte ſpiritus, quicunque in homine iſto habitas, audi verba hęc nõ per hominem pręmeditata, ſed per illũ qui eſt, & qui viuit, manifeſtata &c. Cumq́; ſancta virgo literas iſtas, ſpirituſancto reuelante, perfeciſſet, per manus eiꝰ, ꝗ occultè quæ ſiêrat, ſicut in lib. Sciuias dicit, ad monaſteriũ, vbì mulier tenebatur, miſit, vt ſuper eam humiliter recitarentur. Cumq́ue veniſſet lector ad locum illum, vbì in fine ſcriptũ eſt, Et ego indocta & paupercula fœminea forma, ô blaſphemiæ & deriſor ſpiritus, tibi dico in illa veritate, qua ego paupercula & indocta forma de lumine ſapientiæ hæc vidi & àudiui, & per eandem ſapientiam tibi pręcipio, vt de iſta homine in vera ſtabilitate, & non in turbine inſtabilitatis tuæ exeas: idem nequam ſpiritus totus infremuit, ac tantòs vlulatus cum horridis clamoribus eiulando emiſit, quòd adſtantibus maximos terrores incuſſit. Et dum his ferè per dimidiam horam bacchãdo inſtitiſſet, tandèm vt Deo placuit, vas quod diù poſſederat, reliquit. Mulier cùm ſe eſſe liberatam ſenſit, manus adſtantibus porrexit, vt eam erigerent, quia vires non habuit. Tũc ante principale altare S. Nicolai ſe proſtrauit, &

Ge.1. & 2.

gratias Deo pro liberatione ſuî egit. Populis hæc cernentibus, & vt vulgus ſolet, perſtrepētibus, ſed & gratias & laudes Deo cum ſignorum pulſationibus reſonantibus, fratribus quoquè hymnum, Te Deum laudamus, canentibus: heu, quod miſerabile dictu eſt, idem antiquus hoſtis occulto Dei iudicio redijt: & vas quod reliquerat, repetijt: vndè fœmina tota cōtremiſcens, & cum ſtridore & clamore ſe erigens pluſquàm priùs inſanire cœpit. Vndè exterritis qui aderant, & mœſtitia completis, nequam ſpiritus interrogatus cur repetere auſus fuiſſet creaturam Dei quam reliquerat, reſpondit: Signum crucifixi exterritus fugi. Sed cùm neſcirem quò irem, vas meum vacuū & non ſignatum repetij. Cumque præfatis literis & coniurationibus S. virginis, vt exiret, cogeretur, frendens clamabat, quòd non niſì in præſentia eiuſdem vetulæ egrederetur. Tunc qui ſanioris erant conſilij, amicis & tutoribus fœminæ perſuaſerunt, vt ad beatā virginem eam perducerent. Accepta itaque Abbatis & fratrum benedictione cum cōmendatitijs literis, cœperunt illò ire. Litteræ autem in hunc modùm erant; H. venerabili dominę, omni gratiarum actione dignæ, G. Brunvuilarenſium Abbas indignus, cum ſuis fratribus viuere, proficere, mūdum pede ſubter habere, & quicquid famulæ Chriſti excellētius optari poteſt. Quòd Domin⁹ vos reſpexit, gratiamque ſuam infudit, iam totus mundus nouit. Sed nos qui hactenùs per nuncios noſtros & literas pro neceſſitate mulieris, maligno ſpiritu obſeſſæ, ſanctitati veſtræ locuti ſumus, nunc ſaltem per perſonam ipſius cum magna ſpe ad vos directam, verbum neceſſitatis repetimus, & preces precibus deuotè ſuperaddimus, vt quo magìs eſt vobis vicina corporaliter, eo ampliùs ſitis ei propicia ſpiritualiter. Nam dæmon literis veſtris, quas Spirituſancto dictante miſiſtis, coniuratus, vas poſſeſſum per breuem horam reliquerat: ſed heu, neſcimus

Secūdæ literæ Abbatis Brūvuilareñ.

quo

quo iudicio Dei,redijt,vaſq; derelictum denuò inuadens, illud nunc nunc acriùs quàm priùs fatigat. Nobis autem eum iterùm coniurantibus, & fortiter ei inſiſtentibus, tandèm reſpondit,quòd vas poſſeſſum nõ niſi in præſentia veſtra relinquet. Eapropter ipſam ad ſanctitatem veſtram mittimus, vt quod nos, peccatis exigentibus,nõ meruimus,per vos cõpleat Dominus,& antiquo hoſte eiecto,ille qui potẽs ſuper omnes eſt,in vobis glorificetur. Valeat materna dilectio veſtra. 20.

His Epiſtolis pręlibatis congruũ videtur, vt ad hoc vndè paululùm deflexit,oratio reuocetur, & videamus quomodò Deus ad virginis ſuæ glorificationem tam diù huius fœminæ diſtulit liberationẽ.Poterat enim omnipotẽs & per alios ſanctos ad quos circunducta tot annis fuerat pro obſeſſa, facilè quod petebatur,pręſtare.Sed gloriã huius miraculi in ſanctã virginem transferẽs, meritorum eius qualitatẽ euidenter voluit cũctis ſuo tempore manifeſtare. Quod qualiter acciderit, ex verbis ipſius meliùs cognoſci poterit.De aduẽtu,inquit, p̃fatæ mulieris multùm exterritæ fuimus,quomodò eam videre vel audire poſſemus,de qua plurimus populus per tot tempora erat commotus.Sed Deus rorem ſuauitatis ſuæ ſup nos pluit,& abſq; horrore & tremore in habitacula ſororũ abſq; adiutorio virorum eam locauimus:& deincèps nec pro horrore,nec pro confuſione,qua dæmon ſuperueniẽtes pro peccatis confudit, nec pro irriſorijs vel turpibus verbis, quibus nos ſuperare voluit,nec pro peſſimo flatu ſuo,ei vllatenùs ceſſimus. Et vidi quòd in ipſa muliere tres cruciatus paſſus eſt. Primum, cùm illa de loco ad locum ſanctorum ducta eſt. Secundum,cùm communis populus eleemoſynas pro ea dabat. Tertium, cùm per orationes ſpiritualium ex gratia Dei abire compulſus eſt.Itaque à purificatione ſanctæ Marię nos & comprouinciales noſtri vtriuſq; ſexûs,ieiunijs,oratiõibus,

elee-

eleemoſynis, & corporum caſtigationibus vſque in ſabbathũ Paſchæ pro ipſa laborauimus. Interìm per Dei potentiam coactus immundus ſpiritus, multa de ſalute baptiſmi, de Sacramento corporis Chriſti, de periculo excommunicatorum, de perditiõe *catharorum, & his ſimilium, ad confuſionem ſuî, ad gloriam Chriſti, coram populo quanuìs inuitus, protulit: vndè multi fortiores ad fidem, multi promptiores effecti ſunt ad peccatorum emendationem. Sed vbì illum falſa proferre in vera viſione vidi, illum ſtatìm redargui: vndè mox conticeſcens, dentibus in me frendebat, loqui verò illum propter populum nõ prohibui, cùm vera proferebat. Deniquè ſabbatho ſancto cùm fons baptiſmatis conſecraretur, per flatum ſacerdotis quem in fonte mittit, cum verbis quæ ſpirituſſanctus rationalitati hominis & doctoribus Eccleſiæ infudit, quoniam in prima creatione ſpiritus Domini aquas mouit, ſicut ſcriptum eſt: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, mulier illa præſens ibì erat, atque timore magno correpta, ità contremuit, quòd terram pedibus perfodit, & de horribili ſpiritu qui eam oppreſſerat, ſufflatum ſæpè emiſit. Mox in vera viſione vidi & audiui, quòd vis altiſſimi, quæ ſanctũ baptiſma obumbrauerat, & ſemper obumbrat, ad Diabolicam conglobositatem, qua fœmina illa fatigabatur, dixit: Vade Sathana de tabernaculo corporis mulieris huius, & da in eo locum ſpiritui ſancto. Tunc immundus ſpiritus per verenda loca fœminę cum egeſtione horribiliter egreſſus eſt, & ipſa liberata eſt, ac deincèps ſana in ſenſibus animæ & corporis permanſit, quàm diù in pręſente ſeculo vixit. Quod poſtquàm in populum diuulgatum eſt, omnes cum canticis laudum & verbis orationum dicebant: Gloria tibi Domine. Itaque vt Deus permiſit, quòd ſathan totum corpus, Iob horrore & fœtore vermium perfunderet, & vt ille æſtimabat quòd per deceptionem ſuam, qua

*i. hæreticorum.

Gene. 1.

Iob 1.

qua honorem Dei abnegauerat, iſtum etiàm ſuperare poſſet, Deo animam eius cuſtodiente, tangere eum non potuit, quia Iob Deum in fide non dereliquit, vndè & confuſus ab eo diſceſſit, quia Deus per ipſum, Sathan ſuperauit, vt ſciret quoniã Deo nullus præualere poſſet. Sic & hęc mulier cùm maligno ſpiritui ad vexandum tradebatur, Deus nõ permiſit, quòd anima eius in bona fide deficeret. vndè & inimicus in ea cõfuſus eſt, quia à iuſtitia Dei eam auertere non potuit. His & huiuſmodi verbis, virgo Dei Diuinæ miſericordiæ opera propter ſe & per ſe celebrata, nihil ſibi attribuens, leniter, ſuauiter, verecundè & humiliter referebat: quia virtutum iactantiam fugere, virtutis loco ducebat. Vndè & poſt huius virtutis tam humilem & nihil omninò de ſe pręſumentis recitationem, quaſi cum Apoſtolo diceret, Nè magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meę, angelus ſathanę, qui me colaphizet, ſtatìm ſubnectit eam, quæ ſubſecuta eam fuit quaſi verè ſtimulus contra extollentiam, totius carnis ſuę debilitationem. Poſt hæc, inquit, nimirùm poſt mulieris illius liberationem, magna ęgritudo iterùm inuaſit me, ità quòd venę meę cum ſanguine, oſſa cum medullis emarcuerunt, & viſcera mea infra me diſtracta ſunt, totumque corpus meũ ità elanguit, ſicut herbæ viriditatem ſuam in hyeme perdunt. Et vidi quòd nequam ſpiritus indè irridebant, cachinnando dicentes: Vah iſta morietur, & amici eius flebunt, cum quibus nos confudit. Ego autem exitum animæ meę adeſſe non vidi. Infirmitatem autem iſtam pluſquàm XL. dies & noctes patiebar. Inter hęc in vera viſione mihi oſtẽſum fuit, quòd quaſdã congregationes ſpiritualium hominum virorum ac mulierũ inuiſerem, eiſq; verba quę Deus mihi oſtenderet, manifeſtarem. Quod dum tandèm facere tentarem, nec vires corporis haberem, infirmitas mea aliquantulùm lenita eſt, & præce-

Iob 1.

2. Cor. 12.

ptum Dei exequens, diſſenſiones, quas quidam inter ſe habe-
bant, ſedaui. Has vias quas Deus mihi pręcepit, cùm neglige-
rem propter populi timorem, dolores mihi corporis ſunt au-
Ion.2. gmentati, nec ceſſabãt quouſquè obediui, ſicut & Ionę con-
tigit, qui valdè afflictus fuit, quouſquè ad obedientiam ſe re-
clinauit. Supernam poſt hęc ſponſa Chriſti meruit viſitatio-
nẽ, qua tantam percepit conſolationẽ, vt ex eius delectatione
diceret ſe repletã fuiſſe inæſtimabilis gaudij exultatione. Pul-
cherrimus, inquit, & amãtiſsimus vir in viſione veritatis mihi
apparuit, qui tantę conſolationis fuit, quòd omnia viſcera
mea velut odore balſami eius adſpectus perfudit, tunc gaudio
magno & inęſtimabili exultabam, ſemperque cum proſpice-
re deſiderabam. Et ipſe his qui me afflixerunt, præcepit, vt à me
diſcederẽt, dicẽs: Abſcedite, quia nolo vt ampliùs eam ſic tor-
queatis. Qui cum magno vlulatu recedentes, clamabant: *Ah*
quòd huc vénimus, quia confuſi recedimus. Mox ægritudo,
quę me inquietauerat, velut aquæ quę per procelloſos ven-
tos inundatione commouentur, ad verba viri me dereliquit,
& vires recepi, quemadmodùm peregrinus cùm in patriam re-
uertitur, poſſeſſiones ſuas recolligit, atque venæ cum ſangui-
ne, oſſa cum medullis in me reparata ſunt, quaſi de morte ſu-
ſcitata fuiſſem. At ego tacui in patientia, ſilui in manſuetudi-
ne, & ſicut pariens poſt laborem, ità loquebar poſt dolorem.

25. Poſt hæc ab Abbate meo & fratribus humilima inſtan-
tia & deuotione coacta ſum, vt vitam ſancti Dyſibodi, cui
priùs oblata eram, vt Deus vellet, ſcriberem, quia nihil certi
indè haberent. Et oratione cum inuocatione ſpiritusſancti
pręmiſſa, ad veram ſapientiam, in vera viſione commonita
proſpexi, ac ſecundùm quod ipſa me docuit, vitam & merita
ipſius ſancti conſcripſi. Deindè librum Diuinorum operum
ſcripſi, in quo vt omnipotens Deus mihi infudit, altitudinem,
pro-

profunditatem & latitudinem firmamenti vidi, & quomodò ſol & luna, ſtellæ & cętera in illo conſtituta ſunt.

Multa & alia ſcripturarum monumenta & inſignia pro- 26.
phetię gratięq́; documẽta S. virgo cõfecit, ſicut ſuperiùs diximus, in quibus eruditę à ſpirituſanćto eius animę ac Diuinis deditę indicia colligimus. Plurimùm enim emolumenti in eis inuenire poſſunt, qui amorem doćtrinę & ſcientię gerunt, vtpotè quę à Deo ordinata, & per ipſam hominibus ſunt propalata, in qua Dei ſapientia, quaſi in ſolio potentię ſublimi authoritate ſedebat, & per eam mirabilia faciens, rerum iudicia decernebat.

His prout poſſibilitas ingenioli ſuppetebat, à nobis dige- 27.
ſtis, calamum ad verba ſanćtarum filiarum eius vertamus: & quę de ipſa memoratu digna ſcripſerũt, maximè q̃ de B. tranſitu eius ſunt, viderunt & audièrunt, & manibus ſuis traćtauerunt, adiuuante Domino, fideliter & veraciter huic operi annećtamus.

Mulierem, inquiunt, quandam acriter à dęmonio muto 28.
vexatam, ſuper quam & fratres de Lacu plurimùm laborauerant, cùm ad ſe magno labore virorum in lećto deportata eſſet, pia mater, audacię & pręſumptioni dęmonis, verbis à ſpirituſanćto prolatis confidẽter reſiſtens, ab orationibus & benedićtionibus nõ ceſſauit, quouſquè per gratiam Dei ab hoſte maligno eam liberauit.

Simili modo & alia mulier, quę propter furorem inſanię, 29.
diris vinculis ligata fuit, cùm ad ſe addućta fuiſſet, ſolui eam monuit, & ſtatìm ſub admiratione omnium, qui aderant, ſanitate mentis & corporis recepta, cum gratiarum ađione remeauit ad propria.

Item de clauſtro Schefeneburch, ſororem quandam dia- 30.
bolus ad ſanćta opera, orationes, vigilias & ieiunia, ad perce-

ptionem quoquè Sacramentorum, ſimulans ſe eſſe angelum lucis, hortabatur, & criminalium confeſſione, quibus nunquàm ſubiacuerat, confundere eam nitebatur. Inter quæ etiàm ità eam afflixit, quòd nomina & adſpectum quorũdam hominum & animalium intantùm abhorrebat, quòd ipſis viſis vel auditis, horribili voce per longam horam perſtrepebat: hæc à Priore & Conuentu cum literis ad ſanctam virginem miſſa, ab ea & confortata, & à diaboli errore eſt liberata.

31. Eadem virtute alias duas mulieres à dæmonio obſeſſas, liberauit, quarum vna cùm eſſent paupercula & cæca, in eleemoſynam eius recepta, in ſpirituali habitu vitam feliciter cõſummauit.

32. His itaq; pręmiſſis, quia ad finem operis huius feſtinamus, finem quoquè vitæ ſanctę virginis, quibus ſignis Deus illuſtrauerit, ſicut præfatæ ſorores eum deſcripſerunt, videa*mus*. Cùm beata, inquiunt, mater Domino multis laborum certaminibus deuotè militâſſet, vitæ præſentis tædio affecta, diſſolui & eſſe cum Chriſto quotidiè cupiebat. Cuius deſideriũ DEVS exaudiens, finem ſuum ſicut ipſa præoptauerat, ſpiritu prophetiæ ei reuelauit, quem & Sororibus prædixit aliquandiù. itaque infirmitate laborans, LXXXII. ætatis ſuæ anno, XV. Kalen. Octobris, ad ſponſum cęleſtem felici tranſitu migrauit. Filię autem ipſius, quarum omne gaudium & ſolatium ipſa erat, funeri dilectæ matris amariſſimè flentes aſſiſtebant. Nam licèt de præmijs & de ſuffragijs ſibi per ipſam conferendis non dubitarent, propter diſceſſionem tamen per quam ſemper conſolabantur, maximo cordis mœrore afficiebantur. Deus verò, cuius meriti apud ſe eſſet, in tranſitu ſuo euidenter declarauit. Nam ſupra habitaculum, in quo ſancta virgo primo crepuſculo noctis dominicæ diei, felicem animã DEO reddidit, duo lucidiſſ. & diuerſi coloris arcus in firmamento

Phil. 1.

Ipſo die S. Lamberti.

mento apparuerunt,qui ad magnitudinē magnæ plateæ ſe dilatauerunt,in quatuor partes terræ ſe extendentes, quorū alter ab aquilone ad auſtrum,alter ab oriente ad occidentē procedebant.At in ſummitate vbi hi duo arcus iungebantur,clara lux ad quantitatem lunaris circuli emergebat, quæ latè ſe protendēs,tenebras noctis ab habitaculo depellere videbatur. In hac luce crux rutilans viſa eſt,primùm parua: ſed creſcendo poſteà immenſa, circa quam innumerabiles varij coloris circuli,in quibus ſingulis ſingulæ rutilantes cruciculæ oriebantur cum circulis ſuis, priore tamen minores, conſpiciebantur.Et cùm hę in firmamento ſe dilatâſſent,latitudine ſua ad orientem magis pertingebant,& ad terram versùs domū, in qua S. virgo tranſierat,declinare viſæ,totum montem clarificabant.Et credendum quòd hoc ſigno Deus oſtēdit,quāta claritate dilectam ſuam in cęleſtibus illuſtrauerit.Nec defuerūt,antequàm ſepeliretur,miracula meritum ſanctitatis eius atteſtātia.Nam duo homines,qui S.corpus eius ſpe bona tangere præſumpſerunt,à graui infirmitate conualuerunt. Exequijs igitur venerabiliter à reuerendis viris celebratis,in venerando loco eſt ſepulta,vbì meritis eius,om̄ibus pio corde quęrentibus præſtātur multa beneficia.Odor quoquè miræ ſuauitatis de ſepulcro eius redolens, dulcedinis ſuæ flagrātia aliquorum hominum nares perfundit & pectora.Speramus itaque & indubitāter credimus,apud DEVM eius eſſe memoriam immortalem, qui in hac vita donorum ſuorum prærogatiuam ei contulerat ſpecialem, cui laus ſit & honor in ſecula ſeculorum.

Amen.

SVMMATIM VITA S. BERTHAE ET S. ROBERTI,

Ex his quæ ſuprà folio 272. de improuiſo abrumpi oportuit, in gratiam ſtudioſi lectoris, per eum qui opus hoc ex archetypo tranſcripſit, hîc obitèr & curſim velut argumenti loco adiecta.

BEata Bertha tradita nuptui Robolao tyranno pagano, vouit Deo, ſi liberaretur, thalamo alterius viri non aſſociaretur.

Pater B. Roberti Robolaus in prȩlio occiditur contra Chriſtianos.

B. Bertha prope Naham, Eccleſiam ȩdificat, veſtes precioſas abiecit, vili veſtitu & groſſo velut ſacco induta, ac cingulo cincta, in viduitate Deo ſeruiebat, Multos perfectos bonos homines ad ſe collegit, ibiq; vigilijs & ieiunijs ſe macerans, orationibus & eleemoſynis ſeruiebat.

Puer cùm ſeptem annorum eſſet, literas diſcere deſiderabat, quibus eum mater ſua inſtrui faciebat, ſed tamen clericum eſſe nolebat: ipſe verò miſericors admodùm, pauperes pueros ad matrem ſæpè adducebat, vix euadens tentamenta mundanorum, qui faſtigium ſuperbiæ ei perſuadere conabantur. matreq; vix cõſentiente, peregrinationẽ arripuit ad limina S. Petri & Pauli Romæ, perq; aliquod tempus ibidèm moratus eſt. Ad matrem reuerſus, in prȩdio ſuo quod latiſſimum fuit, villas & Eccleſias ædificari fecit. Ipſe verò ducatum, matrem & omnia quæ habebat, relinquere & peregrinus fieri cogitabat. Habitatio autem tã B. Roberti quàm ma-

triſ ipſius, eodem tempore propter ſuauitatem defluentium aquarum, in ipſo loco erant, vbi reliquiæ eorum nunc conditæ ſunt.

Itaq; cùm beatus iſte per triginta dies in infirmitate laboráſſet, vigeſimo ætatis ſuæ anno, Deus eum in bona confeſſione & in Dei timore de hac vita tulit, non tamen ſinè cæleſti præuia admonitione & viſione, vtì ibidèm latiùs habetur.

In oratorio autem quod ipſe & mater ſua ſuper Naham fluuium in ſupradicto prędio ſuo conſtruxerant, cum maximo concurſu populorum totius regionis ſepultus eſt, alijs quidem ſuper eum flentibus, quoniam immáturus de præſenti vita ſublatus eſt, alijs verò ſuper eum gaudentibus, quia per miracula quæ Deus ibidèm per eum fecit, tota regio illa velut dies per ſolem illuminata eſt. Per octo nanque annos DEVS plurima ſigna & miracula per merita huius dilecti ſui, in prædicto loco in infirmis, in claudis & in captiuis fecit, ità vt quicunq; in tribulationibus vexabantur, ad ſepulcrum eius venientes, per gratiam DEI liberati ſint.

Fol. 179. linea 6. pro, id eſt, magiſter: lege, primus magiſter

DE LATISSIMO AVARITIAE DOMINATV LIBRI IIII.

Inquorum tertio cambiorum (vt vocant) negocium illud, quod nunc vt plurimum in vſu habetur, in culpa eſſe, atq; in animæ perniciem exerceri fortiter, & copioſe demonſtratur.

HILARIONE GENVENSI MONACHO CASIN. AVCTORE.

Cui acceßit doctißimi NICOLAI CENAREGAE *patricij Genuenſis Iur. V. Doct. de eorundem iniquitate firmiſsimis rationibus fulta ſententia.*



1775

APVD DAMIANVM TVRLINVM

MDLXVII.

35

IOANNI BAPTISTAE GRIMALDO
viro Patricio clariſsimo.

HILARION MONACHVS CASINENSIS S. D.

DVO *potißimum eſſe,* IOANNES BAPTISTA, *à vera, ſummaque noſtra philoſophia edocemur, in quæ chriſtianam religionem, atq; fidem profitentes incumbere ſtudioſè oporteat. alterum, vt animi, corporiſq; viribus vniuerſis* Deum Opt. Max. *ſine errore agnognoſcant; agnitum ſyncerè venerentur; & amore erga illum integerrimè affecti imperio, atq; voluntati pareant ſemper ipſius. alterum, vt proximum quemq; ex animo diligentes, dum res poſtulat, continuo pro ſua virili eundem beneficentia complectantur.* Ita *verò inter ſe ambo hæc affici ſtatuendum; vt non ſecus à priore poſterius pendeat, mutuoq; alteri alterum coniungatur: quàm præſtans effectus in nobilißima cauſa natura inhærere, idemq; ab ipſa proficiſci intelligitur.* Sic *verò ſe ſe veluti orbe quodam circumplecti, vt nunquam is* Deũ *ritè colere poſſe videatur; qui fratrem ſuum germana dilectione proſequi, & in eum egẽtem conferre beneficium, dum valet, volens detrectet: viciſsim nemo officio vllo erga alium pro chriſtiano merito ſatisfaciat, qui ſciens, ac prudens ſponte impius eſſe pergat in* Deum. Ad *hæc duo, igitur ita connexa cum omne chriſtiani hominis ſtudium; atq; adeò ipſius actiones vniuerſæ ſint dirigendæ; ne quando hic ipſe pro mea parte deeſſem, quantum quidem cum diuina gratia poſſem, & ſi re certè non ita; ſtudio, atq; cupiditate tamen ſubinde contendi.* Itaq; *ſuperioribus annis cum in pelienſis pagi cœnobiolo degerem, quod ad eccleſiam loci eius parecialem (vt vocant) et* Diuo Martino *ſacram, frater* Aui *tui* Anſaldus *patricius præſtantißimus benignitate ſua, ac ſumptibus (qui*

illius amor erga Boſchetanum *cœnobium noſtrum, & monachos erat incredibilis) ædificatum uoluit ; cuius etiam opera paulò antè eccleſia ipſa pleno iure eidem* Boſchetano *monaſterio interceßione pontificiæ voluntatis (vt ſolenne eſt) vnita fuerat ; inter aliqua, quæ illic mihi per non nullum ocium literarium licuit conſcribere, de auaritiæ dominatu commentatus ſum.* Et *ſi enim tùm pro naturæ ductu, tùm pro animi conſtitutione mei, tùm pro monaſtices inſtituto, quod ſanctè profeſſus ſum ; ſecularium negociorum, atq; cõgreſſuum vſum, cognitionemq; ſtudio penè ſemper refugi ; quia tamen ita ſemotus inde eſſe nequibam , quin multa perciperem ; præter cætera indigna ſanè, atq; moleſta, execrandã auaritiæ luem in noſtros ciues fortiter debacchari, præſertim per cambiorũ (quæ vocant) exercitium in primores intelligebam.* Qua *re commotus de eo nocentiſſimo morbo quatuor libellis (quò etiam quid de cambijs ipſe ſentirem, ſpeciatim exponerem) quantum per id temporis opportunum viſum fuit, pro mea mediocritate diſſerui.* Ac *nõ eo animo tùm quidem, vt quicquid illud eſſet, foras prodiret ; ſed vt penès me, aut ad ſummum, inter quos iudicaſſem, priuatim commune haberetur.* Sed *cum illinc, huc* Brixiam, *profectus eſſem ; & deſiderium, atq; amor in patriã carißimam vehementius abſentem incitarent me, ad ea, quæ ita ſcripta in ſcrinio continebam, in* Dei *gloriam, & in aliquorum fortaſſe vtilitatẽ diuinis ipſius auſpicijs fretus in lucem edenda ; cùm & iſtic antea, et* hic *poſtremo ad id inhortati fuerint, qui legiſſent, & ſuis calculis approbaſſent ; paſſus ſum vt typis commiſſa publicè haberentur.* Quod *vbi ſtatuiſſem, tu vnus præſtò fuiſti mihi, cui perquam lubens huiuſcemodi noſtrã tractationem nuncuparem, & omni iure addicerem.* Quam *ob rem verò nulli alij præterquam tibi adiudicari, & tutelæ tuæ maluerim commendari illam, haud longiore oratione expoſiturus ſum.* Sed *vt pauca quædam referam.* Non *in cauſa fuere externa ornamenta, atq; inſignia (quibus tamen abundè polles) nempe familiæ nobilißimę ſplendor; opum, fortunarumq; multigenarum affluentia ; progenitorum præſtantißimorum decus, & claritas ; præſertim parentis* Hieronymi, *& fratris* Aui *tui,* Anſaldi: *quorum iſte præter inſignem liberalitatem, ac ſtudium (quæ de principio dixi) in noſtros ; etiam ob eximiam pietatem, beneficentiamq; in rempublicam ſtatua marmorea , quod ſummorum virorum, ac de ipſa* Rep. *optimè meritorum ; & eorum, qui patres patriæ iurè cenſeantur ſignum eſt, atque monumentum ſempiternum; cohoneſtatus cernitur, tùm in aula publica, quod* Illuſtriſs. Ducis, Dominorumq; *palacium vocatur ; tùm in* Diui Georgii *ampliſſima illa domo, quæ commune quoddã iſtic ærarium non iniuria propè habetur: parentem verò tuum, cum adhuc ſecularem (quod aiunt) vitam ſectaretur,* Clemens *ille* Septimus Pontifex Max. *inter purpuratos patres cardinalicia*

dinalicia

dinalicia dignitate inſignitum voluit cooptari. qui compluribus annis
eo in gradu honorificè cùm vixiſſet; tandem omnium bonorum mœrore
tuoq; cum primis, & fratris tui Lucæ iſtic in patria moritur. quem re-
ligioſa monachorum Boſchetanorum ſodalitas iuſtis ſolemnibus pientiſ-
ſime perſolutis, ſumma cum religione in ſarcophago, quod idem Anſal
dus ſibi, & coniugi prudentiſsimæ Benedictinæ, cæteriſq; poſt nepotibus
ſuis, in ipſorum monaſterio ad ſummam eccleſię aram poſuerat; con-
didere. Non hæc igitur, ſiue alia eius generis præterea, ſed vna tua po
tiſsimum (vt vno verbo dicam virtus, vt hoc efficerem, multò facilli-
mè perſuaſit. Et quidem adoleſcentior cum eſſes, cuius ætatis noſſe te cœ
peram, iſtius virtutis in te iacta eſſe iam ſemina mihi videre videbar,
quæ quidem in dies (Deo benè iuuante) ſtudio excolens, aucta ſubinde,
tu ad iuſtam ætatem perductus, vt ad plenam frugem, & copioſam per
uenirent illa; feliciter effeciſti. Nam cum primum legitimo matrimo-
nio clariſsimæ, atq; honeſtiſsimę coniugi copulatus fuiſti, Marietinæ; de
clarata eſt longè, lateq; virtus ipſa tua. Ea enim tu vxore potitus, quæ
tibi ob animi dotes ante omnia ſe dignas, prudentiæ, modeſtiæ, pudicitiæ
reliquarumq; virtutum, quorum gratia à cæteris cunctis in honore habi
ta, tibi vero maximè omnium eſt cariſsima, perquàm egregiè conſociata
cernitur (vt hoc de virtute tua primum dicam) vnà cum ipſa in timore
Dei (qui chriſtianæ religionis eſt baſis) vitæ veſtræ curſum inſtituere cõ
tendiſtis; mutuoq; alter alterius irreprehẽſibilia onera matrimonij por
tantes ambo ab illa die apoſtolicas admonitiones de eo ſtatu, re, integer-
rimè præſtare ſtuduiſtis. Viri (inquit Diuus Paulus) diligite vxores ve
ſtras, ſicut & CHRISTVS dilexit Eccleſiam, et ſeipſum tradidit pro
ea, ut illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in uerbo uitæ. Et ali-
bi: Viri diligite uxores ueſtras, & ne ſitis amarulenti aduerſus illas.
Diuus autẽ Petrus: Viri (ait) ſimiliter cohabitent ſecũdum ſcientiam.
ueluti infirmiori uaſculo muliebri impertientes honorem tanquam cohæ
redibus gratiæ uitæ. Sic ad maritos illi. De vxoribus uerò Diuus Petr.
Similiter & mulieres ſubditæ ſint proprijs uiris; ut, et ſi qui non cre-
dunt verbo, per mulierum conuerſationem lucrifiant; conſiderantes in ti
more ſanctam, caſtamve conuerſationem veſtram. Ac Diuus Paulus,
Vxores (ait) viris ſuis ſubditę ſint ſicut Domino. quoniam vir caput eſt
mulieris, ſicut CHRISTVS caput eſt Eccleſiæ. Ad hanc igitur for-
mam reſpicientes, & illam tu quidem ſumma, honeſtiſsimaq; dilectione
complectens, & in honore habens, neque vt ſubditam, ſed tanquam ſo-
ciam, omninoque tibi coniunctam ducens; te uero illa per omnia pudiciſ
ſimè amans, & obſeruans, & poſt Deum in te penitus acquieſcens ſan
ctum eſſe, & meritò laude dignum coniugij ſtatum vterque oſtenditis;

quem tam multi,heu,etiam ſi ſacroſanctam fidem noſtram profiteātur;
d. honeſtare non pertimeſcunt . Iam cum vos ita conſtitutos Deus nō in
frequēti ꝓle(qui ex matrimonij fructus ſācte requirūtur donarit)quis
neſciat quanta uigilantia,illa tibi probe conſentiente curare nō conquie
ſcas ; ut non tam opum ingentium,cognationis ampliſſimæ,& nobiliſſi-
mæ,honorum ſublimium , & id genus externorum inſignium hæredes ;
quàm potius modeſtiæ,probitatisq́; uniuerſæ lōgè ornatiſſimi tibi ſuper
ſtites relinquantur ? Ad laudem tibi parandam,omniumq́; gratiam ma-
gnopere hæc quidem pertinent . Sed fortius,atque exuberantius (vt ar
bitror)quæ ſtrictim addidero . Tu enim iſto mundanarum rerum floren
tiſſimarum ſtrepitu pro tuo ordine ac ſtatu circunſeptus ; manſuetudi-
ne tamen , comitate, modeſtia,benignitate, bonorumq́ue omnium morū
æquabilitate incredibili,te cunctis expoſitum,ac ſemper amandum, ſu-
ſpiciendumq́; prebes . nulli iniurius,nulli nocens uniuerſos caritate,be-
neficijsq́ue proſequeris . & cum inter ſummos in patria nulli fortaſſe ſe
cundus ſis ; minimo cuiq́; tamen dulcis,ac perhumanus probaris. Quan
to autem amore,ac ſtudio in Remp.afficiare; teſtis eſt moderatiſſima iſta
præterea totius uitæ tuæ inſtitutio . propterea quòd , licet per tempora
non defuerint,qui libidine dominandi , opum multitudine,principum ex
ternorum fauore,atque præſidio etiam fulti,ingrati,& impij in illam in
ſurrexere ; nunquam tamen in mentem tibi ut ueniret tuliſti , quod uel
minimum læderet illam : ſed nocendi cupidos,& ſeditionis auctores ſem
per cane peius,& angue execratus,ab eius ſceleris,uel ſuſpicione etiam
liber ad hanc horam laudatiſſimè prædicaris . perſpicis enim,vt inexpia
bile facinus eſt cuius uis ſtatus,aut ordinis ciuem in patriam eſſe ingra
tum,contraq́ue illam priuatis affectibus ſeruientem armari ; ita hone-
ſtiſſimi undecunque officij eſſe uirum patricium paci,tranquillitati,om-
niq́; bono ipſius etiam cum uitæ diſpendio conſulere . Nanq́; anteponen
dam eſſe patriam in amore parentibus ipſis prudentiſſimi quiq́ue ſem-
per cenſuere. Alia iam prætermiſero,ne,quod fugio,incautior uolens no
lens incurram . Sed illud præclarum omnimodæ virtutis tuæ ſpeciatim
non ſilebo argumentum,quòd cum infinitas propemodum diuitias auita
hereditate conſequutus ſis; haud unquam adduci potuiſti,ut indignis mo
dis iſtis,quos non parum multi in totius gentis noſtræ maculam , & i-
gnominiam conſectari pergunt : unde mihi ſcribendi potiſſimum(ut de
principio dixi)materia exorta eſt ; augendis illis incumberes . ſed pro-
fligata nocentiſſima ea cupiditate,cęterarumq́ue caducarum rerum ap-
petitione,nequaquam in illis improbe acquieſcens, deſiderio potius ar-
des earum diuitiarū, honoris gloriæ quæ à Domino noſtro IESV CHRI
STO cunctis,qui ipſius germanam fidem excolere pro uirili contendūt,
citra

citra perſonarum reſpectum, ſunt conſtituta. Vteris hoc mundo, iuxta Diui Pauli doctrinam; tanquam non utaris: & affluentibus diuitijs; (ut admonet regius uates) cor non apponis. Hinc illa benignitas tua, ac largitas; quam ueluti amnem à tuis maioribus in te dilabentem totis ulnis amplexus, ad eorum exemplũ nihilo minus illis per eleemoſynarũ officia in egentes refundere alacriter ſtudes. Extant cum apud alios, tum apud noſtros iſtic beneficiorum tuorum, ac Lucæ fratris tui argumenta præclara, quæ nulla unquam memoria delebuntur. pro quibus is, qui pro minimis ſuis ſponſor eſſe uoluit, acceſsionem uobis non pœnitendam ſpero faciet in æterna illa tabernacula. Sic enim diuitibus, ut facerent Dominus IESVS, & Diuus eius apoſtolus Paulus cum docuerint; illis (ut par eſt) tu dicto eſſe audientem incumbens, reponis tibi fundamentum bonum in futurum; ut æternam illam, atque beatam uitam conſequare. Sed iam tandem hic mihi dicendi modus eſto: Tuque iſta præſtantiſsima uirtute tua, qua ad tibi nuncupandum commentationem hanc noſtram adductus ſum, exporrecta fronte excipias illam, ut ſub tanto patrono in publicum exire ipſa nõ uereatur. iniquorum iudicia ſiqua incidat, neq́; curãs, formidans. Quis enim iſtis unquã ſatisfaciat? aut per eos quid boni effici ullo modo iam poſsit? Studioſis autem, ac pijs non diſpliciturã confido, quòd & ſi non optimam, non tamen malam illam eſſe mihi perſuadeo. Etenim ſcribendo una mihi primum Dei, & IESV CHRISTI gloria; deinde nonnullorum, qui inde legendo aliquouſq; iuuari poſſent, utilitas propoſita fuere. Quæ ſi conſequi continget, quod candidè uolui, habuero; & quicquid boni erit, acceptum id totum ferendum fuerit ante omnia, cunctorum bonorum Auctori: tibique continuò pro tua portione gratia adſcribenda; per quem ipſa noſtra, unde qualecunque illud boni uoluit Deus, ut proficiſceretur; ſcrinijs occluſa ad lucem prodiere. Sin uerò id minus fiat, uotum, atque propoſitum noſtrum approbatum iri à Deo tibique addictam hanc meam uoluntatem haud ingratam fore non diſfitebor. Bene uale.

Brixiæ ex D. Fauſtini, & Iouitæ cœnobio.

XII. Calen. Februarij 1567.

INDEX CAPITVM, QVAE HISCE *quatuor libris continentur.*

CAPITA LIBRI PRIMI.

Diuina beneficia, tum ingratitudo noſtra, atque prauitas ingens ſeriò expendenda. Cap. I. car. 4
Iniquitatibus iram Dei prouocari; inde aduerſa in nos proficiſci; quæ pœnitudine tolluntur. C. II. 5
Auaritiæ ſtudium ardere in cunctis. C. III. 6
Rationes negantium auaritiam dominari. C. IIII. 7
Quemadmodum fallantur, qui auaritiæ negant dominatũ. C. V. 8
Quid ſit auaritia; eam præter naturam eſſe, neceſſaria citra culpam appeti, ac requiri: & vnde facile auarus deprehẽditur. C. VI. 10
Prætextus illorum, qui ſe ab auaritia liberos eſſe videri volunt, & vt citò dinoſcantur. C. VII. 12
In culpa maximè eſſe, ac pœna digniſsimos, qui ſeruatoris verba, atque conſilia cauillantur: non ex parte, ſed ex toto doctrinam eius amplectandam eſſe. C. VIII. 13
Frugalitatem, non item luxum conuenire chriſtiano in vita tuenda. C. IX. 15
Summaria chriſtianæ vitæ inſtitutio ſtrictim exponitur. C. X. 17
Cum non ſint diuitum diuitiæ, quid illis ſit facto opus, ex Diuo Paulo. C. XI. 19
Non opes modo, ſed & vitam pro fratribus exponendam, ex Diuo Ioanne Euangeliſta. C. XII. 21

CAPITA LIBRI SECVNDI.

Demonſtratur apertius auaritiæ dominatus ex actibus tenuiorum quotidianis. Cap. I. car. 24
Deploratur indignitas morbi vniuerſalis auaritiæ, cui etiam diebus ſacris incumbitur. C. II. 26
Auarum infidelem eſſe, & inſipientem. C. III. 27
Ex ab vſu ſacramentorum, atque ex ſermonibus prodi etiam auaritiæ dominatum. C. IIII. 30
Ciuitatis homines in pauperes ac diuites partiri; hos vero mutuam inter ſe operam præſtare auaritiæ. C. V. 31
In quibus partim conueniant diuites, ac pauperes in cultu auaritię, in quibus

quibus partim differant. c. VI. 33
De negociatione quid ſit, quæ partes, quæ ſpecies, quis finis c. VII 34
Multos falli, qui honeſte ſe lucra ſectari per negociationes dicunt. c. VIII 35
Iniquitatis nota inuri negociationem. c. IX. 28
Nefaria ſtudia negociatorum annonæ ſtrictim referuntur. c. X. 29
Contra eos, qui nimia lucra ſectantes res quanto maximo precio ſine culpa vendi poſſe affirmant. c. XI. 38
Quomodo intelligendus ſit valor rerum. duplicem illum eſſe; & vnde vſus pecuniæ. c. XII. 32
Officij eſſe eorum, qui populos regunt, proſpicere vt iuſta precia rebus imponantur: neglectum in ea re non impunè laturum Deum. c. XIII. 41
Alia argumenta ad demonſtrandam auaritiæ ſeruitutem, qua maximè ſãctitas chriſtiana fœdatur; hinc in nos flagella à Deo. c. XIIII. 44

CAPITA LIBRI TERTII.

Recapitulatio argumentorum in præcedentibus expoſitorum, vnde auaritiam dominari conuincitur. c. I. car. 47
Diſputatio de cambijs inſtituitur, ad regulam chriſtianæ doctrinæ illa eſſe examinanda, & cur pecunia, & eius varietas introducta. cap. II. 48
Definitio cambij in genere, & quo pacto fiant, quæ realia dicuntur, & quæ minuta, & quæ ſicca. c. III. 50
Cum plurimi inique fieri ſicca cambia doceant, pauci autem aliquouſque ab iniquitate ea vendicare conentur, vel hac ratione in culpa ſunt, qui exercent illa. c. IIII. 51
Ad quas negociationis ſpecies multi ſicca cambia referant. res autem nõ ſemper commodè intelligi ex impoſitis ſibi nominibus. c. V. 52
Quid ſit mutuum, & ad illud facile ſicca cambia reduci. c. VI. 53
Res quaſdam accidentarias non ſeparare reuera ſicca cambia à mutuis & quid ſit vſura. c. VII. 54
Nequaquam in cambijs vendi pecuniam vnde ſit, venditio, & emptio; & quæ ſit pecuniæ naturam. c. VIII. 55
Non admitti ſecundarium vſum in pecunia vt vendatur, ſicut aliæ res; ſed abuſionem id eſſe, quo modo verò recens inuenta careant probro. c. IX 56

quo

Quo pacto interim pecunia vendi dicatur, cum dilutione nonnullarum rationum, quæ ad veram eius venditionem probandum adducuntur. c. x. 57
Carere ſicca cambia tùm aliis circunſtantijs, tùm his quibus realia inculpatè exercentur. c. xi. 58
Reprobatur commentum negociatorum in præſcribendo valore nummorum; id ad principes pertinere; nihil in hoc bonam fidem valere, aut vſum. c. xii. 60
Monetam duo precia iure non habere; neque excuſari inique facta, quòd impunè fieri ſinuntur. c. xiii. 63
Coutra eos, qui per innominatum negocium ſicca cambia tueri volunt; nimias argutias doctiorum interim anſam porrigere delinquendi, frenandas cupiditates, non illis habenas remittendas. c. xiiii. 63
Non leue eſſe peccatum, leuia quæ exiſtimantur, non curare, vt caueantur peccata. c. xv. 65
Differentia leuium ſiue venialium peccatorum, alia facile, alia difficilimè dilui: noſtra ſecula tenebris circunfuſa eſſe. c. xvi. 66
Colligitur in ſumma cambia ſicca vſurariè, & minimè ad communem vtilitatem, ſed propriam exerceri. c. xvii. 67
Confutatio opinionis cuiuſdã magiſtri de arte campſoria. c. xvii. 69
Campſoriam artem in ſiccis cambijs eſſe detrimẽto Reip. c. xlx. 71

CAPITA LIBRI QVARTI.

Dominatum auaritiæ argui etiam ex vſu frequenti ſiccorum cambiorum apud mulieres, ſtrictimque exponitur de ærario, quod Diui Georgij dicitur. c. i. car. 73
Chriſtiani non eſſe honeſtati vtilitatem anteponere, iniquitati occurrendũ eſſe, cuius gratia Deo procurante aduerſa nos premunt. c. ii. 75
Cõtractus pecuniarum cum principibus inſigniter auaritiæ tyrannidẽ prodere: multum à maioribus præſentes differre, vel mortis meditatione reſtinguendam habendi cupiditatem. c. iii. 76
Bonas ex ſe eſſe diuitias, ſæd ex corruptione animi fieri exitio poßidenbus. c. iiii. 77
Patribus antiquis ob probitatem animi haud nocuiſſe diuitias, ea parte illos imitandos, qui ſuperiores nobis in frenanda auaritia fuere. c. v 78
Indigniſſimum eſſe nos ad æterna bona vocatos cum hæbreis ſumma cupiditate

piditate temporalibus acquieſcere. C. VI. 80
Auctoritates aliquot præſertim noui teſtamenti in diuites ac diuitias, & quid ſignificet mammona. C. VII. 81
Non egere commentarijs præfatam Domini doctrinam, noſtram cæcitatem culpandam eſſe, quæ ad omnes eam pertinere non intelligit. C. VIII. 83
Rurſum aduerſum diuitias, ac diuites. C. IX. 85
Non falſo, aut ioco; ſed ſummo ſerio loquutus eſt Dominus contra diuites, etiam teſtimonio vitæ ſuæ. C. X. 87
Diluitur obiecto, quod non in omnibus imitādus ſit Seruator. Imitandum eum maxime in contemptu mundi, cuius voces utinam omnes exaudiant. C. XI. 88
Aliquot ſuccinctæ præceptiones ad profligandum efficaciter auaritiæ morbum C. XII. 89

FINIS TABVLÆ.

HILARIONIS GENVENSIS, MONACHI CASINENS.

DE LATISSIMO AVARATIAE DOMINATV LIBER PRIMVS.

Præfatio.

SAEPENVMERO dum mecum cogito Chriſtianæ Reipublicę ſtatum, conditionemque illius, in qua nunc poſita cernitur, animo complector; tanto mœrore afficior, vt vix lachrymæ mihi contineri poſsint. quondam enim illa diffuſa per orbem: per Aſiam, Africam, atq; Europen ampliſsimè dilatata, nunc anguſtis vnius Europæ finibus vix ſtringitur. Neq; ſolum hoc mœrore, ac luctu dignum; verumetiam quicquid eſt, quod in hac minima orbis parte chriſtiano nomine cenſetur, & Eccleſiæ catholicæ cum in vniuerſum, contrà, quàm à CHRISTI Domini lege habemus; & viuat, & ſentiat: cur eſt quòd quis non incredibilem dolorem accipiat? Cum impiis aduerſum fidem dogmatis habuit inde à principio, cum ab Apoſtolis propagata fuit, bellum: maculis autem perditè viuentium ſubinde aſperſam, ac fœdatam ſcimus. at ſi noſtra tempora iuſtè examinentur: in hac confertim omne genus labes, noxas, calamitates, quę antea per partes, interimq; graſſabantur, confluxiſſe ſanè videbimus. Excitata enim omnia propè ſunt antiquorum hæreticorum portenta (heu) ab inferis, & cineribus; & his noua inſuper profligati homines adiunxere. Iam verò flagitiis, ac ſceleribus vniuerſis ita indulgetur; vt non Euangelium, non ſanctam legem Moſis, ſed ne vllus quidem natura honeſtè viuendi modus, apud nos vnquam illuxiſſe videatur. Ego verò in noſtras haſce miſerias hic altius ingredi nolim. patent illæ cuiuis non inſano, in oculos, velimus nolimus, incurrunt.

Tantum dico,maiorem in modum pertimeſcendum eſſe, ne
idcirco nos prorſum Seruator derelinquat,neu vineam ſuam
ad alios agricolas transferat;neu regnum ſuum,inaudita eius
benignitate nobis tributum,gēti tradat, quæ ineffabilia hæc
ipſius merita ac beneficia agnoſcens,ipſum colat,obſeruet pie
que, & ſanctè veneretur. Non Eccleſiam nos deſituram vn-
quam dicimus,quæ in firmiſsima petra fundata eſt, aduerſus
Matth. 16. 24. quam portæ inferi non præualebunt: generatio nanque eſt,
quę durans in ſeculi finem vſque,donec vniuerſa, quæ conſti
tuit Deus,compleantur,non præteribit. verùm membra indi
gna, contaminata, putria,ac tabo corrupta abſcindenda eſſe,
quis negare pergat? Et quidem complures anni ſunt, quòd
remotiſsimis regionibus,ac populis fides noſtra allata cū fue
rit,ſummo ſtudio,piiſq; animis eam exceperūt,&in dies certa
tim frequentiore numero amplectantur; vt nonnulla hęc cō
iectura videri poſsit, ſenſim noſtris huius generis moribus,et
inſtitutis propulſatam,ad exteros illos demigrare. Quo ſtu
dio autem Hebræorum nationem complecteretur Deus,*no-*
runt ſanctarum literarum ſtudioſi. ſed cum perfidè ſe*mper*,at
que impiè ſeſe habuerint erga illum; reprobatam,abiectam-
que fuiſſe,æquè norunt. Quòd ſi ingentioribus,ac pluribus
intelligimus nos ab illo benigniſsimo cohoneſtatos eſſe bene
ficiis; quò maior eius eſt gratia in nos,quo felicior,quàm illo
rum noſtra eſt conditio, ſi ingrati ſumus, ſi in ſcelera vehemē
tius incumbimus,eò ipſius in caput noſtrum iram magis inflā
mari neceſſum erit. Quod vtinam animaduerteremus vni-
uerſi,omnium cōditionum,graduum,ordinum; ſinguli à mi
nimis ad maximos vſque, ſeriò expenderemus. Mihi autem
quando nec ad omnia,neque omnibus par eſſe poſſum,occur
rendum eſſe qua parte poſsim,impendentibus meorum ciuiū
malis,patriæque cariſsimæ ſtatui. honeſtiſsimum enim ſem-
per habitum officium fuit,& ad pietatem ſanè quampertinēs
ſalutis patriæ amantem eſſe; atq; ex re illi fore,opera,ſtudio,
atque conatu incumbere. quòd qui ſecus faciat,non ciuis ſed
aduerſarius, hoſtis, proditor, & parricida exiſtimari poſſe vi-
deatur. In vtranque partem, abundè exempla. Roma-
norum res. olim, etiamnunc ſufficiunt: tametſi neque apud
barbaros defuerunt,qui patrię bonum, integritatemque vni
ce cara habuere. Vt ergo ſceleſtorum abiicere formas ex ani
mo,ne conſectere; ſic ſtudioſorum retinere penitus, quò imi
teris

teris; recté factum ſtatuendum eſt. Itaque cum rebus aliis quamplurimis patrocinio eſſe nequeamus; oratione, ac ſcripto, adeſſe officio ſanctiſsimo adnitemur. Peculiari enim profeſsione cum á mundanorum negociorum omni genere ſeiūctus ſim, ſacriſq; in monaſtices inſtituto initiatus, ac Deo prorſus addictus, hoc tantiſper nunc mihi reliquū factum video, vt ſcribendo, caritati atque adeó pietati patriæ non deſim.

Nemo vero hic á me eloquentiam requirat, pompamq; illam verborum, & phaleras, ac ludicra dicendi artis; quę vt nunq̃ anxius expetiui, ita carere eius ornamentis facilé patior. Res enim á chriſtiano viro, ſiue ex ſorte Dñi ſpeciatim, ſiue nullis initiatus ſacris fuerit, cum primis requiri oportet; ad eas intētio eſt dirigenda: ac modo ſordida omnino loquendi forma & fœda barbaries abſit; fucos, & affectatam dictionem aliena á nobis exiſtimo. Qua de re plura non dicam. ſed exordiri Deo bene iuuante, iam inſtituens, id prius etiam atque etiam moneo, quicunque hæc noſtra lecturi audituri que ſunt, vt accipere illa eo animo velint, quo á me ſcribuntur. Alius quidem certé de his plenius, abſolutius, melius diſſerere poſsit: amantius veró neminem putem. cui amoris affectui, ſi cætera reſponderent, mecum optimé actum, & officium plenè præſtitiſſe iudicarem meum. Alia igitur ſi deſint, deſiderari ardentem caritatem nolim, votum, propoſitumque: quę ſemper ante alia amplecti ab humanioribus, ſtudioſiſque ſolere, nouimus. Adſit ergo ille *IESVS*, cuius honori, & gloriæ hæc molimur: quem vt confitemur verbis, ita factis (vt reuera chriſtiani dici poſsimus) omnes amitti par eſt.

DIVINA BENEFICIA, TVM INGRATITVDO *noſtra, atque prauitas ingens ſeriò expendenda.* Caput *primum.*

IN PRIMIS reputanda nobis eſſe cõſtituo continenter innumera,atque ingentia optimi parentis Dei erga nos beneficia, cùm naturę,tùm gratiæ; vt duobus verbis diuinorum munerum,ac meritorum in nos infinitatem complectar. & hæc quidem cum tota nos Eccleſia(cuius nos partẽ eſſe gaudemus) communia habere ſcimus. Mittimus verò quæ priuatim ſingulis in diem, vt frequentiſsimè,ſic ſumma bonitate(niſi animaduertere ea ſtulti nolimus)tribuuntur. Sed quæ ſpeciatim annis ab hinc 38. percepimus, vt conſideremus vehementer velim. Inopinato ſanè ac mirifico Dei conſilio,& manu,nos ex diuturnis,ac nocentiſsimis inter nos diſsidiis ad vnitatem,exoptatiſsimumque ſtatum Reipublicæ adducti ſumus: quem ſi ad pręterita tempora conferemus, perinde atque ad vitam à morte excitatos nos, quis non dicat? Quid ita vero ergo nos Deus? Nempe quòd ſingulari nos amore proſequeretur, optaretque vt ſe agnoſceremus bonorum omnium largitorem munificum; ſe verò continuò, vt ipſius lex(quam etiam illius munere accepimus)habet, coleremus. Partium enim hoc noſtrarum, vt cæterorum etiam chriſtianorum eſt,numen eius,maieſtatem, bonitatemque ſuſpicere,venerari; & qui in eius Eccleſiam cooptati ſumus,Deum ipſum noſtrum Optimum Max. ſyncera atque integra religione, vno animo adorare. Verùm nos ſtulti valde hinc deficimus,ingratiq; in illum minus parti noſtræ reſpõdentes,neque ea,quæ ingentioris momenti ſint,prę ſtare contendimus. At ne ſic quidem à beneficiendo manum ſubduxit. conniuẽs enim interim ad ſcelera noſtra, ingratoſque in oculis etiamnum ferens,beneficia beneficiis cumulare in hunc vſque diem haud ceſſat: tantum vt ad meliorem frugem conuertamur,vt ne nos perdere obſtinatos in malis cogatur. Pergimus autem miſeri in turpitudinem,& beneficẽtia Domini abutentes,vt perditè magis in dies viuamus, ſtudio contendere videmur. Quam rem quis non luctu dignam cenſet? quis non omnino cæcus ob id in lachrymas non commouea-

mouea-

moueatur? Deus nihil non facit quod noſtro bono,atq; cōmodo ſit: contemnimus nos omnia, & in eius contumeliam conuertimus. Quid? chriſtiani dicimur,& ceremoniis nōnullis eſſe prænobis ferimus; ſed lōge quàm à veritate diſtamus factis,atq; ſententia. Quanquam enim mentis conſtitutio in abdito,ac latebris intrinſecus occulta, peruideri haud poteſt, eam tamen inſynceram eſſe (ne acerbiore voce vtar) effecta, quæ inde proueniunt,declarant. Quæ mala noſtra explicanda cenſeo,& ob oculos ingerenda: non quòd illa non pateát, ſed quòd illis adobruti,tantum non,quin rectè intelligamus, diſtinemur. Intelligimus imò,agnoſcimus, damnamus plerique omnes,ſed mirum certè,quòd præterea nihil.

INIQVITATIBVS IRAM DEI PROVOCARI; *inde aduerſa in nos proficiſci; quæ pœnitudine tolluntur.* Cap. II.

AC mihi ita habere nos videtur, vt qui pedum ac manuum morbo laborant,dum humorũ infeſtam vim ſentiunt; deteſtantur illã horrẽt,& ab ea intemperie expurgari deliberãt: mox vbi moleſtia ceſſarit,nihil iam de ipſa cogitãt, imò verò maiore appetitu in ea feruntur, quæ proprio periculo magis augere malum didicere. Quę res vt nos maiore in culpa conſtituit,ita facilius lentitudinem Dei à nobis depellere comprobatur. Neque hoc ſolum, verumetiam exaſperari magis, & ad ſumendas de nobis pœnas vehementius inflammari hac noſtra peruerſitate,quis non videt? Iam clara apud nos, ne communes totius chriſtianæ Reipublicæ calamitates(vt de principio indicauimus)dicam,diuinę irę indicia habemus,quanquam clementer ac leni manu illa quidẽ exhibita. Iam ter,atque quater impii Turcarum tyranni claſſem in noſtras clades impunè delatam,atque multa cum confidentia, ipſi vidimus. Nam quòd piratæ etiam ex obſcuriſsimis locis noſtra maria multis ab hinc annis licentiosè prætercurrant: auiditatem præter cætera diripiendi in cauſa eſſe,vt donemus, (etiamque ſi huc cum iniquitatibus noſtris ſecordia ac ſomnus concurrant) attamen quòd pro more ferè ac ſolenniter Turcarum copiæ cum numeroſa trierium manu,tanta cum audacia noſtras regiones oppidaque inuadant, expugnent,

gnent,depopulenturque; quid ita fit, preterquam ꝙ ingentibus noſtris ſceleribus, Dei beneuolentiam vnde bonum omne redundat,a nobis auertimus? contra eius iram maioribus viribus inflammamus? Iniquitates, flagitia, ſcelera cuiuſuis generis,ea ſunt, per quæ atrociſsima hæc mala efficiuntur. Carere his volumus? Contaminatiſsimæ radici,vt quamprimum admoueatur ſecuris,omnino neceſſe eſt. Quidquid moliare præterea,quicquid ſtudeas,prouideas,agas; niſi pœnitudinem iuſtam amplectamur,nihil prorſum promouebitur. Quam ob rem animaduertamus,& diſpiciamus tandem cauſas,& morbos grauiſsimos,quibus oppreſsi iacemur.

AVARITIAE STVDIVM ARDERE IN *cunctis.* Cap. III.

Epiſtola Io. p. cap. 2. COMMONSTRAT Diuus ille Ioannes Euangeliſta,tres tanquam fontes malorum omnium. Nolite(inquit) diligere mundum, *neq;* ea,quæ ſunt in mundo. Si quis diligit mundum,nõ eſt dilectio Patris in ipſo: quia omne quod eſt in mundo(nempe concupiſcentia carnis,& concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ) non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Concupiſcentiam carnis audis;fontem ac mare adeò corporearum voluptatum multigenum intelligito. Concupiſcentiam autem oculorum (qui in res ferè vniuerſas feruntur) abyſsum,voraginemque cupiditatis augendæ rei accipito. Superbiam vitæ verò, præclarè citra inuolucrum,quam caput malorum omnium ſcriptura alibi appellat,dicit.

Eccleſiaſtici 10. Amnes ſunt iſti,ac flumina certè immania,& immenſa, vnde nulla non turpia facinora ſuam ſumunt originem,quæ tanquam riui peſtilentes, ac toxico infecti, quamcunque mentem attingant,veneno corrumpunt. Cerne ergo mecum,atque animaduerte lector,an non paſsim hæc inter nos inundarunt? an non omnes penè hiſce amarulentis aquis demerſi ſurſum deorſum deuoluimur? Ac, vt de duobus aliis alias,nunc ad auaritię labem manifeſtandam oratio noſtra procedat; vbi non ita argumentis ex abdito erutis opus eſſe mihi videtur,ac prolixis diſertationibus,ſi(vt ſunt res noſtræ)acta,factaque in conſiderationem ducamus. Quotus quisque,obſecro,ab hac lue illæſus exiſtit? Quam conditionem

nem quem ſtatum, quem ordinem, atque adeò quem ſexum
non illa tenet? ad quem hæc pernicioſa aqua non attigit?
quis ex ea, quantumuis bibat, etiamnum ſitim execrandam
reſtinxit? Nobis quàm quibus maximè, nobis conuenit à
Ieremia dictum: A minore quippe ad maiorem vſque, om- *Ierem.c.6*
nes auaritiæ ſtudent, & à propheta vſque ad ſacerdotem cun-
cti faciunt dolum. Et rurſum: Tui verò oculi, & cor ad aua
ritiam. Vereor autem ne perinde de nobis, vt olim de popu- *Ier. 8.*
lo Iſraelitico per Iſaiam Dominus iure dicat: Propter iniqui
tatem auaritiæ eius iratus ſum, & percuſsi eum: abſcondi à te *Iſaię.57*
faciem meam, & indignatus ſum.

RATIONES NEGANTIVM AVARITIAM *dominari. Cap.* IIII.

AT enim nonnullos mihi non aſſenſuros intelli
go, ſed negaturos potius ita latè patere inter
nos auaritiæ malum, nec ad id facinoris perti-
nere, quæ à nobis maximè creduntur. Varias
enim formas, modoſque in negociis lucri gra
tia excogitata, in vſumque recepta, non auari-
tiam habere affirmamus (inquiunt) ſed honeſtas cauſas, & in-
culpatè exerceri: imprudentes eſſe qui id non videant, teme
rarios iudices, atque ruinę propè autores, qui ea facta vt ini-
qua, & ab auaritia profecta condemnant. Timere nos vultis
(aiunt) vbi non eſt timendum, & importunis laqueis vt inno
cuorum conſcientię irretiantur, operam adhibetis. Obiiciunt
porrò ex autoritate Salomonis culpam eſſe, cum quis nimiũ *Eccleſiaſtæ.*
iuſtus eſſe vult: Regia gradiendum via: non declinandũ vel *7.*
ad dexteram, vel ad ſiniſtràm; extrema vtrinque fugienda eſ
ſe. Condemnamus auaritam (inquiunt) ſed nõ diuitias, quę
vt cætera Dei effecta omnia, bonas eſſe fateare neceſſe eſt. *Geneſ.1*
Quòd ſi illæ bonæ, bene etiam fit dum illis parandis incum-
bimus. An non ille acceptiſsimus Deo Abraham valde etiã
diues fuit? Non ne eius item nepos Loth? Non ne Iob? &
plærique patrum antiquorum memoria, ne nominatim cen-
ſendo prolixiores ſimus? Quid ita malum (rogant) eſt con-
gregare diuitias per varias artes? quandoquidem hiſce, do-
mus familiæ, reſpublicæ, prouinciæ, regna eriguntur? con-
ſeruantur? augentur? Decus ingens per eas in mundo decla-
ratur.

ratur regia maieſtas, magnificentiſsimi quique ordines, apparatus ſplendidiſsimi hinc habentur. hinc precioſorum veſtimentorum, ædificiorum, non tam ad humanos vſus, quàm diuinos honores, amplitudo, ſplendor & gloria. Innumeris inſuper malis & incõmodis huius vitę opum vi occurri, præſertim cum in egenos (quod acceptiſsimum Deo eſt officiũ) liberaliter confertur, nemo non videt. quæ quidem diuitiæ ſi tollantur, maximo decore, vtilitate, iucunditateque, & gratia careat hic muudus, neceſſarium erit. Eſto animi cum periculo fateamur eas tum parari, tum retineri, et leuiori fortaſſe opera ad verum chriſtianiſmum pertingere poſſe nõ diuitem; cum Dei tamen gratia ſummis cum diuitiis ingredi poſſe cœlum cenſemus. Nam quod impoſsibile dixit Dñs diuitem ingredi in regnum cœlorũ declarauit idem eam impoſsibilitatem ad homines, quod ad proprias vires eorum attinebat, referri: non item ad Deum, qui cum omnia poſsis. Et Paulus *Timoth.c.6* item modum præſcribit, quo diuites huius mundi vitam æternam conſequantur.

QVEMADMODVM FALLANTVR, QVI AVARItiæ negant dominatum. Cap. V.

HÆC ferè ſunt, quæ nobis fortiſsimè opponere ſe arbitrantur, ſeque excuſare, ac defendere noſtri temporis homines pergunt; noſque nimium ſeueros affirmant, aut falsò iudicare, qui nonuulla forte cum inuidia, ſecundum illorũ ſuſpiciones, in crimine auaritiæ nullos non ferè eſſe fatemur. Sed quàm vellem lector (vt hanc primam ſuſpicionem amoueam) vt diuitiæ non impedimento, ſed adiumento potius ad promerendam cœleſtis patriæ hereditatem reipſa eſſent illę quidem. non enim inuidioſa nobis eſſet noſtrorum hæc duplicata (vt ſic dicam) felicitas; ſed magis adgratularemur; & hoc nomine gaudium, ac voluptatem non paruam in ipſorum gratiam acciperemus certè. Iam quòd omnia Dei manus poſsit, minimè apud nos controuertitur. Omnia enim ille quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra; *Pſalm.134* in mari, & omnibus abyſsis. Vtinam verò & nos falſi iudices ac cenſores: vtinam porrò q̃ longiſsime a finibus, atque adeo ab vniuerſis qui *CHRISTO* nomen dedere, excluſa,

&

& ablegata fuiſſet auaritia perpetuò exulatura. Sed longe in contrarium eſſe rem, atque habere, extant ſignificantiſsima argumenta, quibus cum primis hanc cupiditatis ægritudinem nobis iam diu dominari, atque penitus hærere conuincitur. Sic nomine & habitu, quibus probro digniſsimis facillimè internoſcitur, diſpoliauimus: contra verò ita ſpecioſis quibuſdam operimentis, appellationibusque neſcio quibus, quæ citra turpitudinem eſſe vidétur, cohoneſtauimus illam, vt quidem virtus, non autem vitium chriſtianis pernicoſiſsimũ omnibus appareat. Sed tamen ab fucata, & adulterina hac ſpecie non fallitur is, qui mentis oculo Dei lumine, atque doctrina illuſtrato, penitiora, quàm quæ vulgo cernuntur, perſpicit. Agnoſcit hic laruam, & virus late inficiens quaquauerſum, atque corrumpens incautos; abominatur, damnat, & qua poteſt voce, omnibus diſturbandum fugiendumque prædicat. Rationes ſibi afferre videntur, vt iuſtam faciant cupiditatem habendi, cum maxime ſit in vitio: & quas ſine ratione eſſe, (Deo bene iuuante) declaraturi ſumus. paradoxa quædam afferre videbimur. quid ita rogo? Propterea quòd exitiabili errori iamdudum acquieuimus, & calice aureo Babylonis inebriati, in amentiam, præpoſterumque iudicium conuerſi ſumus; ita vt bonos monitores rideamus, deſpuamus, oderimꝰ. Vidiſti aliquando decumbentem, qui pro morbi magnitudine (vt qui vel penitiſsime inſederit, vel qui ſenſum penè abſtulerit) interrogatus quo pacto habeat; non male, ſed bene, cum peſsime; ſe habere reſpondet? Sic propemodum mihi hæ voces ab animo ſe ſanum exiſtimante, cum maxime langueat, proficiſci videntur. Ridet furia correptus diligentis, anxiiq; medici curam; & crudelem dictitat, qui à veterno oppreſſus iacet, excitantem ſe. quod genus morbos, periculoſiſsimos, exitiabileſque eſſe, cum medicorum peritiſsimi affirment in corporibus, quanto grauiores cenſendum eſt fore, quando ad eum modum animi afficiuntur? Ad hoc (heu) mali deuentũ eſt, vt quæ vera ſunt, vera non eſſe ducantur; tantumque inualuit ſatan ipſe, vt, quod ſecundum legem *CHRISTI* efficiendum eſt, cum videatur abſurdum, tum fieri vllo modo cũ decore non poſſe dictitet: nec non vt humanis commentis euangelicam, & apoſtolicam doctrinã dilutam reddere, in hac parte ſtudeat homuncio. Age ergo ad lucem veritas (quantum quidem viribus noſtris robur dederit Deus) proferatur:

atque de hac peſte auaritiæ primum tractemus. Seſe enim illa ſuis ipſius notis prodet inter dicendum, palamque faciet latiſsime inter nos immaniſsima tyrannide præeſſe. Nam vt cũ fumum cernimus, fateri cogimur ignem ſubeſſe, ita cum effectus illos genuinos, indolemque germanam auaritiæ manifeſte rebus ipſis ineſſe conuicerimus, quis eam pręſentem poſt hac neget? Adhibe huc mecum animum, & mente intentus conſidera.

QVID SIT AVARITIA; EAM PRAETER NATVram eſſe, neceſſaria citra culpam appeti, ac requiri: & vnde facile auarus deprehenditur. Cap. VI.

D*EFINITVR* auaritiam eſſe inordinatum habendi appetitum: qua breui ſimplicique definitione nunc contenti ſimus. Vnde & Latini hi, qui veram appellationum originem, quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, curioſe rimantur; hoc eſt auaritia, inquiunt, quaſi æris auiditas. Nam vt latius pateat habendi appetitio, nempe ad honores, ad voluptates: auaritia propriè ad rem pecuniariam, & ad ea quæ vt plurimum pecunia diuenduntur, refertur. Quicunque ergo harum rerum inordinata cupiditate diſtinentur, auaros eſſe in confeſſo eſt. Namque cupiditas ipſa generatim in omnia, quæ corpori commoda ſunt, nobis natura ad naſcitur, & dum modo, ac fini ſuo continetur, culpa caret. Quod ſi extra limites ſuos feratur, hoc non iam ex inculpata conditione, atq; natura, ſed à vitio, & peccato emanat: Quare morbum hunc non naturalem, ſed pręter naturam vocant animorum moderatores. Argumẽto hic eſſe poſſunt infantuli, vix dum à cunis egreſsi. Mirum enim in modum haudquaquã edocti, ſponte tamen ſua ad gulam cientur, appetentes auidiuſcule cibos; inducuntur in iram, quoties occurrat res, quæ tenellam adhuc imaginationem illorum moleſtet. Mitto aliorum motuum indicia. at minimè ad aurum propria cupiditate feruntur. Sic etiam belluæ, animanteſque rationis expertes, quanquam ad cætera appetenda ſibi conducibilia, aut ad propulſanda nocentia aguntur; nullum tamen in eis auaritię veſtigium cernas. Admiranda namque certa quædam in nõnullis eorum prouidentia apparet in parandis neceſſariis, vt

in

in formica nemo non agnoſcit: at in ſuperfluis nullum occupatur. Cum igitur quis ad quærendum alendæ vitæ neceſſaria affectu ducitur, non erit in vitio, aut auaritiæ propterea notandus; ſed quando idem immoderatè, aut ſuperflua quærens, faciat. Neceſſaria etenim quærere, maximè quidem poſteaquam ob peccatum huc deuenimus, á prudentia: neque illaudabiliter, fieri dicere poſsis: conſentiente illa ſententia, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Salomone item; inertem ad ipſam contemplandam formicam ablegãte. Sic enim ille: Vade ad formicam ò piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: quæ cum nõ habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. Vſquequo (addit) piger dormis? quando conſurges à ſomno tuo? & quæ ſequuntur; quæ quidem etiam ſi ad ſublimiorem intelligentiam ante omnia referuntur, propoſitum tamen ſimpliciter confirmant. Cæterum extra hæcce honeſtæ neceſsitatis ſepta deflectere, nõ prudentiam, ſed prauitatem ſectari; non prouidentia regi, ſed ægritudine peſtilenti laborare hominem declarat: tantoq; maiore ſcelere, quanto ardentius, & minus neceſſaria ad vſum vitæ cõcupiſcit. Quæ cũ ita ſint; huc mihi adſint diuites noſtri diuitiarum cupidi iſti, in quæſtionem adducant animos ſuos examinent, diſcutiant ſeſe penitus: demum ad hanc regulam ſe cõponant. Si enim immoderato affectu ferri te vides quiſquis es; ſiue in ea, quæ ſunt neceſſaria, ſiue minus; comparanda incumbens; palam eſt morbo hoc te laborare. Audiant vniuerſi, ſiue diuites, ſiue pauperes. Non in re conſtat, ſed in cupiditate auaritia. Quã ob rem licet pauperior Codro quis ſit, auariſsimus tamen eſſe poteſt, dum in rem, quam non habet, obtinendam, inſatiabili agitur appetitu. Non eſt omnino cur ſe pauperes palpent, dicendo: vt auari nos ſimus, quinam fieri iam poſsit? cum plurimo labore etiam vix neceſſaria nobis, noſtra hac infelici ætate comparare valeamus? Caue enim ne morbum diſsimulans incuratus pereas, quod mala minimè animo aduerſa, quibus haud opportunis remediis occurritur, ſenſim ad interitum deducunt.

Geneſ. 3

Prouerb. 6.

PRAETEXTVS ILLORVM, QVI SE AB AVARITIA l.beros eſſe videri volunt, & vt cito dinoſcantur. Cap. VII.

AT enim adhuc cunctamur, hæremuſque: & nemo ferè eſt, qui ſe hic modum ſeruare non dicat, quique non ſibi certos quoſdam fines præſtituat, quos honeſtimos eſſe contendit: Hoc vero vt probent, tam multa afferunt, vt moleſtum, ac tædioſum cenſeam ea omnia referre, ſed inſigniora illorum commemoremus. Quo pacto (inquit) rei parandæ non inſiſtam, quãdo me hinc ceſſante, neceſſaria prorſum mihi ac meis defutura erũt? Nam ſi hæc tempora noſtra cum ſæculis maiorum noſtrorum cõferantur, illa aurea; noſtra verò ferrea, aliud'ue peius appellare licebit. Caritatem nunc, ac propè penuriam rerũ habemus. tellurem ipſam, mareque effœta, ſterilia neſcio pacto experimur. in anguſtiis negociorum, defectuque non pœnitendo frequentium illorum exercitiorum, & artium, quibus nobis tenuioribus in primis commoda ſuſtinẽdæ vitæ parari facile in vſu erat, multò maximè verſamur. Adde numeroſam familiam, eamq; in dies creſcentem, quam alere nobis neceſſe eſt. Quare ſi ab hac cura ceſſemus, nõ periculum, ſed indubitatum videmus, vt nos, noſtraque perditum, contra naturam, contra humanitatem, contra Deum ipſum, dedamus. Iam & ea mala (ſi acquirendi affectum compreſſerimus) exoriri vſu cernuntur, nempe q in egeſtate conſtitutus, nihil lucri aliquo modo corradens, facilè in iram commouetur, ob rerum defectum identidem vociferatur, intoleranter erga omnes habet ſe, & non raro (quod omnium grauiſsimum eſt) vocibus impiis, execrandiſq;, Deum, & ſanctos laceſsit. Atque præter cætera, & id mali ab rei carentia manat, quòd qui opum ſatellitio, ac fauore deſtituitur, contemptui eſt ille quidem; nullo honore dignus cenſetur; abiectus vltrò, citroque, probriſque adeò, & iniuriis quorumlibet expoſitus eſt. At verò vniuerſa hæc haud ſentit qui diues eſt; & qui implendis penuariis intentiſsimus vacat, moleſtias huiuſmodi deuitat. His, & huiuſcemodi præterea multis rationibus, præſertim quos dicebam tenuiores, ſuam lucrãdi cupiditatem defendunt. & qui amplioribus fortunis ſunt, non tam neceſsitatem, quàm honeſtatem quãdam ſtatui ſuo

con

congruentem opponunt, quam vt conſeruent, non auaré ſe facere, aut immoderaté ſi lucra ſectentur, affirmant. Quibus in vniuerſum iterum dicimus, vt etiam atque etiam videant, ne ſibi ipſi imponant. Fallimur namque multo facilimè ſpecie recti, & quæ ad nos maximè pertinent, quibuſque afficimur, eorum difficilè veri cenſores, & incorrupti ſumus. Quare optimè vulgatum illud ſancitum eſt, vt nemo propriæ ſit cauſæ iudex ob φιλαυτίαν, quam nos Latinè vocem, amorem ſui dicimus. Cæterum quando peringens eſſet omnia, quæ in contrarium aduerſus illorum ſententiam facerent, adducere; & ſingula ſpeciatim expugnare, & nimium longum, & nõ ita fortaſſe vtile: In ſumma interim, vt citra inuolucrum, nec operosè admodum intelligas, vtrum immoderata cupiditate habendi tenearis, necne: ſic habeto. Cum ob tuum, ac tuorũ vſum, neceſsitatemq; ſiue alius cuiuſuis reſpectus gratia, quem rationabilem eſſe tibi ipſi perſuades, agis, facisue tute, aut fieri permittis quicquam, quod non ſecũdum Dei legem ſit, & germanum chriſtianè viuendi modum, tum indubitatum ſit te auaritia laborare, extraque rectum callem porrò diſcurrere: neque vllam tibi hic excuſationem ſuffragaturam. Voluntatis etenim Dei eſt, honeſtum proinde (vt antea diximus) neceſſaria vitæ quærere. Et laborabat Diuus Paulus ob id manib. ſuis, & alios adhoc adhortabatur, vt etiam alii frequentiſsimi præterea. At ſollicitudinem, nimiamque curam ne in hac quidem parte approbat Deus; ſed vt in ſe illam omnem cuncti fideles remitteremus, per benignè admonuit, atq; iuſſit.

1.Cor.4 1.Theſſa.4. 2.Theſſa.3.

IN CVLPA MAXIME' ESSE; AC POENA *digniſsimos qui ſeruatoris verba, atque conſilia cauillantur: non ex parte, ſed ex toto doctrinam eius amplectendam eſſe.* Cap. VIII.

AVDIATVR ipſe Dominus. Nolite ſoliciti eſſe (inquit) quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter cœleſtis, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Ex conſiliis ſunt iſta (inquis) nõ

Matth. 6 *Lucæ. 12.*

reue

reuera præcepta, quibus omnino, ſi ſalui eſſe volumus, ſit pa-
rendum. Et ò ſtultiſsime tu (ne impiiſsimum dicam) quid ſi-
bi hæc vox? vnde hæc cauillatio? Quid? niſi quòd ea no-
lis ſequi conſilia? Filii Dei, Seruatoris tui, conſilia ſequi non
vis? At cuius ſequere? Ne delira cenſes illa fortaſſe? ſtulta?
fraudulenta? iniqua? pernicioſa? Quæ ſatis mihi ſufficiat
oratio ad hanc improbitatem non demonſtrandam, quæ pa-
tentiſsima eſt, ſed caſtigandam? diſturbandam? extermina-
dam? En in quam caliginem, ac fecem res noſtræ. Scilicet qui
docti ſumus diſcernere inter præcepta, & conſilia: ad ea inui-
ti ac tergiuerſantes perficienda trahimur: hæc verò fronto-
contemnimus, & fortiter auerſamur. Fac verba, quæſo te le-
ctor, de hac nobiliſsima doctrina Ieſu mei: vel non animad-
uertimus, vel ſi intentius audiantur illa, aut pro affectu inter-
pretantur; aut tanquam ad inopinatiſsima commenta recen-
tiſsimè excogitata, ad ea in ſtuporem qui audiunt, conuertun-
tur. Sed eſſet ſtupere hoc, atque admirari aliquid, ſi fructus
nonnullus acciperetur hinc. Sed vt fulguris ſplendor viſus
non viſus, è veſtigio diſparet, ita cum à dicendo ceſſaris, admi-
ratione, ſtuporeque remiſsis, atque extinctis, ad perficiunda
conſilia, ac ſuggeſtiones immanium carnificum noſtrorũ præ-
ſtò ſumus. Argutetur verò quis, vt quanto maximo acumi-
ne poteſt, vt lubet; perſpectiſsimum, & omni demonſtratio-
ne eſt euidentius, qui hanc ſequi filii Dei doctrinam non ad-
Lucæ.6. quieuerit, cum ipſo peſsimè eſſe agendum. Cur (inquit) vo-
catis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Et alibi.
Lucæ.12 Ille autem ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, &
non ſe præparauit, & non fecit ſecũdum voluntatem eius, va-
pulabit multis. Quod ſi inter mortales quotidie fieri cerni-
mus, quid inter nos & Deum fiet quæſo, dum à ſciẽtibus, pru-
dentibusq; eius voluntas contemnitur? præuaricatur? At ne
ſummo noſtro malo perſuadeamus nobis, partem impunè
prætermittere poſſe diuiniſsimæ illius voluntatis, atque do-
ctrinæ, dum partem vtcumq; retinemus, conſidera eiuſdẽ Do-
mini grauiſsima verba, quæ tanquam faſtigium, culmenque
ſermonis, quem in monte habuit præſentibus diſcipulis, im-
Matth.7 poſuit: Qui audit verba mea hæc, & non fecerit ea, aſsimila-
bitur viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam:
& deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, et
impegerunt in illam, & cecidit, & facta eſt ruina eius magna.

Inter ea verò, quæ qui audita non ſeruauerit, hunc ſtulto ſimilem(vt audiſti)Dominus pronunciauit,tùm quæ paulò ſupra adduximus(ne erres)tùm alia multa, quæ noſtrum hoc viuere non eſſe chriſtianorum,apertiſsimè conuincunt, continentur.

FRVGALITATEM, NON ITEM LVXVM *conuenire chriſtiano in vita tuenda.* Cap. IX.

SED enim neſcio qua ratione negabitur fortaſſe ab iſtis,ſe quicquam in Domini noſtri IESV CHRISTI doctrinam committere; candide ſe,& abſque præuaricandi intentione negocia peragere,atq; artes exercere ſuas. Sed vt vt verbis tueri ſe poſsint, tantaque ſit mentis craſsities,& ignoratio, vt animaduertere nequeant veritatem; age ad facta ipſa oculos conuertamus; quibus, niſi ſtudio errare voluerint,errare tamen apertiſsimè conuincentur. Sed priuſquam ea palam exponamus, docere eſt animus non ita multis opus eſſe chriſtiano ad vitam honeſtè tuendam; eamque honeſtatem multo eſſe aliam,ac quàm vulgo exiſtimant. Paucis enim(vt verè ille dixit) minimiſque naturam contentam eſſe: ingentia verò,ac plurima quòd tantopere requirantur,à prauitate emanaſſe. Audiamus igitur breuiſsimè,quid ſapiens hebræus ille dicat: Initium vitæ hominis aqua,& panis,& veſtimentum,& domus protegens turpitudinem. quibus verbis,quid niſi ſobriam menſam, veſtiméti genus citra precioſitatem,molliciem,luxumq; &habitationem ab iniuriis cœli modò vendicantem nos,conuenire pio homini declaratur? Hæc probari à ſanctis literis ſcimus. At quòd contraria iuxta damnent,conſtabit, cum vnum atq; alterum locum adduxerimus. Attendite autem(ait Dominus)ne grauentur corda veſtra per crapulam,& ebrietatem, & ſæculares ſolicitudines. Diuus autem Paulus: Sicut in die honeſtè ambulemus; non in comeſſationibus & ebrietatibus,non in cubilibus,& impudicitiis. Hæc de cibo potuq;. Iam de veſtitu. Cum laudaret Dominus præcurſorem ſuum de veſtimenti aſperitate,mollia ac luxurioſa taxans; Ecce(inquit)qui mollibus veſtiuntur,in domibus regum ſunt. Et vtranque turpitudinem damnatam legimus in diuite illo, de quo Lucas:

Boetius
Eccleſia. 29
Lucæ. 21
Rom. 12
Matth. 11

Erat

Lucę.16 Erat homo diues,qui induebatur purpura, & byſſo,& epula/
batur quotidie ſplendidè. Ornatus muliebres verò,cum Pau
lo,apoſtolorum princeps etiam maximè coercet : quanquam
neſcio quo pacto male quidam vtriuſque verba exponunt.
Sic igitur Petrus : Quarum ornatus non ſit externus ex pli/
1.Petri.3. catura capillorum,ex circumpoſitione aureorum,& ex pallio
rum indumento,ſed abſconditus cordis homo in integritate
modeſti,ac quieti ſpiritus : quod ſummo in precio eſt coram
1.Timoth.2 Deo ; Nam in hunc modum ſanctæ mulieres oruabant ſe. At
Paulus . Similiter & mulieres in veſtitu honeſto,cum verecũ
dia,ac pudicitia ornent ſeipſas, non tortis crinibus, aut auro,
&margaritis,aut veſtitu precioſo,ſed qui mulieres deceat,pie
tatem per bona opera profitentes.Si hæc mulieribus,quę pie
tatem religionemq; profitentur, hoc eſt,quæ nõ nomine, ſed
re chriſtianæ eſſe gaudent : ſi his inquam, iſta prohibere cer/
nuntur ſanctiſsimi apoſtoli,colligamus hinc primum neceſſe
eſt,quæcunque his rebus ornare ſeſe curant, longe alias eſſe,
nempe non reuera Chriſtianas. Quòd ſi iſta ſexui infirmiori
1.Timot.6 per apoſtolos haud licent,quãto minus ad viros pertinebũt?
Habentes ergo nutrimenta(alibi Paulus) atque tegumenta,
his contenti erimus. Cæterum de habitatione dicat Iſaias.
Iſaiæ.5. Vę qui coniungitis domum ad domum,& agrum agro copu
latis vſque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos ſoli
in terra? Quanta cum indignatione hæc ſint dicta, prudens
mecũ lector intelligit. In auribus meis ſunt hæc dicit Domi/
nus exercituum. Audi moleſtiam,quam hoc factum Deo o/
ptimo Maximo inferat,vt iuramento eorum ædes demolien
das aiat. Niſi(inquit)domus multæ deſertæ fuerint grandes
& pulchre,abſque habitatore. Sunt qui principibus,ac magi/
ſtratibus lautius conuiuari,ſplendidius veſtire,magnificenti/
us habitare concedant,eo nomine præſertim, vt ex his exter-
nis ornamentis,atq; inſignibus,rude vulgus reuereatur eos,
vt ne contemptui habeantur,neque eis obtemperare, ac ſub/
di detrectent . quæ quidem ratio,an ſolida ſit,ac neceſſaria,vi
derint qui adducunt.Nos verò,vt hoc demus ; cæteris tamen
vniuerſis ſi chriſtiani eſſe velint,ſobria menſa,habitatio, veſti
tus,citra molliciem,luxumque neceſſaria erunt. Et ſi inter ar
mentarium patriciumque,vt nulla ſit differẽtia non affirma/
mus,ne omnia perturbare, atque confundere nos quiſquam
exiſtimet,quicquid tamẽ differat nobiliſsimus ab infimo quo

que

que ex plebe: interdicta ſibi certé quidem(vt ne errent)intelligere debẽt & iſte,& ille quæcunq; ab obſeruantia euangelicæ doctrinæ diſiũgunt. Quod ꝓuidere non iam oculis carnis,nec iuxta mũdi ſapientiã prudentiſsimus quiſq;, ſed mens diuini luminis,ac chriſtianę ſapientiæ fulgoribus circunfuſa poteſt. Mundi enim ſapientiam (cuius decretis ſi vnquam certé,inde cum inaudita Dei Patris gratia vnigenitus eius donatus eſt nobis,præter cętera inſtitutor,& magiſter,ſi alias vnquam,in quam,nunc multo maximé acquieſcimus) mundanam iſtã, ergo,ſapientiam idem vnigenitus, doctrina, factis, exemplis reprobauit; aduerſariamq; & inimicam Dei legi Paulus declarauit: nec non quicunque ſancti, & docti in eccleſia fuere, condẽnauerunt. Non ergo ab eius ſchola, ſed á bene doctis, ſecundum euangelium potiſsimum regula honeſté viuendi ſumenda eſt.

SVMMARIA CHRISTIANAE VITAE INSTITVtio *ſtrictim exponitur.* Cap. X.

AD *HVNC* igitur modum eruditus non multi referre intelligit, quo epulo corporis tueatur vita,cum nutrire animum verbo Dei ſubinde curet,& contemplationem rerum diuinarum iucundiſsima cõuiuia ſua eſſe conſtituat. Modo autem ab turpitudine,ac noxa,quocunque veſtitu,qui facile parari poſsit,vẽdicet ſe; huc totus eſt, vt omnimodis virtutibus nũquam nõ inſtructus incedat. De habitatione porró idem ſentit. Et enim cuius conuerſatio, quantum fieri poteſt,in cœlis eſt,qui quotidie ſe hinc migraturum expectat,ac ſperat,quem domicilium non manufactũ ſed incorruptum,æternumque apud Deum manet; hic cur magnoperé curet terreſtrem domum? quid marmore,auro, ſignis,tabulisque quaquauerſum compoſitam amet? ac non potius eius generis palaciis latericiam anteponat? Cur differre á proximo ſuo ſtudeat,aut excellere ſupra illum patiatur ſe externis hiſce; qui cum eiſdem naturæ dotibus, ſiue corpus, ſiue animum ſpectes,iiſdem gratiæ muneribus, ac beneficiis, participem ſe conſtitutum á Deo omnium parente; etiam cõmunia ſibi atque fidelibus vniuerſis facta eſſe inuiſibilia,& ineffabilia illa regni cœleſtis bona ęque nouit? Certó enim in

telligit verè Chriſtianus vniuerſa hæc,quæ decora vulgo habentur,vana eſſe, & ab his in vſum traducta,qui Deum,quiq; ad quem finem hominum genus ſit conſtitutum,ignorantes, quæ ſenſibus,atque cupiditatibus arrident; dumtaxat nouere: vt non dicam artificium eſſe iſthæc omnia immaniſsimi ſatanæ,quibus identidem innexos,ſenſimq; abalienatos à recta,in æternas ærumnas præcipitet. Nobilitas noſtra,præſtantia, honos,amplitudo,deliciæ,voluptas, decus: nequaquam in magnificentiſsimis ædibus; non in mancipiorum agminibus; non in varii generis veſtimentis,ſerico,auro,gemmis artificioſiſsimè fabrefactis; non in conuiuiis ſybariticis,ac lucullanis; ſed vt animus ad *CHRITI* legem vndecunque excolatur,ab ea efformentur mores,acta,verba,cogitatus noſtri omnes; conſtituta ſunt. Quod ſi ita habere chriſtianum intelligitur,manifeſtiſsimum euadit,paucis indigere ad traducendam vitam,& nihil minus ad hunc ſpectare,quàm vt his parandis,ſummis curis,atque ſolicitudinibus irrequietis diſtendatur: pendentem ſemper illum ab vno omnium noſtrum parente optimo Deo, verbis *IESV CHRISTI* confidentem: Primum quærite regnum Dei,& iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Laborat ipſe quidem quando non aliũde honeſtè quo viuat, habet: ſed citra noxiam,& infidelẽ curam. Sin verò locuples ſit,ſiue ex maiorum hæreditate, ſiue aliorum largitione,ſiue aliocumq; iuſto (quod aiunt) titulo; quod ſibi ſuiſque (iuxta quę explicata ſunt) cum modeſtia neceſſarium videt, retinens: quod ſupereſt liberaliter, cum res poſcit,impertit. Neque enim in eam minimè chriſtianam animi inductionem ſe traduci ꝑmittit, vt omnia anxius filiis theſaurizet; immenſas dotes vt nupturis filiabus paret, improbiſsime noctes atque dies contendat; ſed liberis vniuerſis,quæ ſint veræ diuitiæ, indicans,eoſque inter alia ſalutaria docens opum atq; fortunarũ iſtarum,quas habet,non eſſe ſe dominum,ſed diſpenſatorem à Deo conſtitutum: expoſita omnia præſto habet in proximorum vſum.

Matth. 6

CVM

CVM NON SINT DIVITVM DIVITIAE, QVID *illis ſit facto opus, ex Diuo Paulo.* Cap. XI.

INAVDITA hæc quidẽ à me dici videntur,
& quæ probet, auſim dicere, nullus ex his, qui
in auro acquieſcunt. Sed tergiuerſetur, tor-
queat ſe quãtum velit diues meus, noſtrę nõ
ſunt diuitię iſtæ; ſed illius Domini, cuius eſt *Pſalm.* 24
terra, &plenitudo eius, orbis terrarum, & vni-
uerſi qui habitant in eo. Audi per alium vatem, quid idem
Dominus dicat: Meum eſt argentum, & meum eſt aurum. *Aggei.* 2.
Et rurſum per alium: Et hæc neſciuit, quia ego dedi ei fru- *Oſeę.* 2.
mentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, &
aurum, quæ fecerunt Baal. Quod bene ſciens Diuus Paul.
& immania pericula pertimeſcens opulentiorum, nollens vt
in ea præcipitarentur; Præcipe (inquit Timotheo) diuiti- 1. *Timot.* 6
bus in ſæculo, vt ne ſuperbè ſentiant, ne'ue ſperent in incerti-
tudine diuitiarum; ſed in Deo viuente, qui ad vſum omnia
nobis ſuppeditat affluenter: vt benefaciant; vt per bona o-
pera diuites fiant; vt faciles ſint ad impertiendum; commu-
nicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum, vt æternam
vitam aſſequantur. Audin' monita, atque adeo iuſſa ſanctiſſi
mi apoſtoli: in quo reuera *CHRISTVS* Dominus eloque
batur? Quàm mihi hic latus ad dicendum campus aperia-
tur contra eos, qui contrariam omnino animoſi, doctrinam
ſequuntur, intelligo verò: ſed alibi plenius. Nunc tantiſper,
(cuius gratia hæc Paulina verba adduximus) paululum ex
pendere iuuat quod ait: Communicare opus eſſe diuitibus;
Hæc enim (vt ita dixerim) ardua cautis, ſyrtis occultiſſima,
atque adeò immaniſſima vorago eſt, qua abſorbentur opulẽ-
ti. Putat hic, atque ille diues, cum per annum, menſem heb-
domadam vel diem etiam nonnihil tribuerit, abundè ſatisfe
ciſſe, atque licere ſibi pro ſua cupiditate in numeroſis præter-
ea opibus ſuo arbitratu conquieſcere; ſed in maximo diſcri-
mine eſſe ex hoc verbo palam eſt. Admirare? Sed quod ad-
mireris ego quidem certè non ita mirer, poſteaquam in his
pluſquam Cimeriis tenebris degitur; cum radiis ſanctiſſimæ
voluntatis, legum, doctrinæ Dei Optimi Max. obſtructa ad
animos chriſtianorum nunc adita habentur. Quid ergo eſt
Communicent? Sunt, qui id de congreſſu, atque conſuetudi

NON OPES MODO, SED ET VITAM PRO FRAtribus exponenda, ex Diuo Ioanne Euangeliſta. Cap. XII.

SED quid anxiè demonſtramus expoſitas eſſe debere proximis fortunas noſtras, imò vero Dei, qui illas commiſſas nobis voluit, ſi tamē cum fructu in CHRISTI eccleſia eſſe volumus: quando etiam, & pro iiſdem, vt vitam profundamus, ipſius Dei noſtri eſt volūtatis? Sic apud Ioannem Euangeliſtam in epiſtola legimus; (vt hoc vno nunc tantiſper teſtimonio contenti ſimus) *1. Ioan. 3.* In hoc cognouimus (ait) caritatem Dei, quia ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere. Sed quod adiungit addere iuuat; Qui verò habuerit ſubſtātiam mundi, & viderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Expendēda enim penitus eſt iſta breuis enūciatio: *clauſerit viſcera ſua*: ſacri Euangeliſtę, qui per totam vitam ſuam caritate flagrās vſq; ad extremos ſpiritus in pectora diſcipulorum, vt firmiter figeret illam, incubuit. Viſcera enim eleganter, & peculiari ſanctarum ſcripturarum phraſi ſignificare intelliguntur geminum illum, atque intimum cordis affectum, quo naturæ inductione quanta maxima fieri poteſt beneuolentia alium proſequimur. *Geneſ. 43. 3. Reg. 3. Iſaiæ. 16. Lucæ. 1. Philip. 1. 2. Phil. 1.* Iam qui *CHRISTI* fidem rite amplexus ſit, naturali illi propēſioni gratia cōſociata, is vt ad amandū affectu ſit incorruptior, ita vehementior euadit: & qua poteſt in beneficentiæ officia ſumma cum liberalitate intentus eſt. quod quidem vbi contingit, id habere aperta viſcera non abſurdè intelligitur; vnde ceu à fonte dilectionis multimoda effecta deriuant. Nouit enim, qui huiuſmodi eſt, benigniſſimam eſſe Dei voluntatem, vt non tàm verbo, ac lingua, q̃ opere, ac veritate amet fratrem ſuum: non vt ipſe in ſumma rerum affluentia viuat; ille autem in ipſius neceſsitatibus parciſsimè opituletur: ſed perbenignè, ac liberaliter. Itaq; quemadmodum, qui ita re efficere ſtudet, non iniuria amare Deū, atque aperta habere viſcera erga proximum cenſendus eſt; ſic qui auarè minimum quiddam tātiſper, aut fortè nihil ex amplis fortunis pauperi tribuat hic clauſis viſceribus in fratrem, Deique amore expers eſſe apertè declaratur. Sic igitur (vt ad

noſtrum

noſtrum inſtitutum me referam) conſtituta eſt à bone politia, ac Reſp. non Platonis illius, qui inſulſa quædam, ac nefaria commentus, quæ ſibi ſapientiſsima, atque houeſtiſsima videbantur, nullum vnq̃ inuenit populum, qui ſeſe queretur: non huius ergo, aut alius præterea ita conſtituta eſt politia; ſed *CHRISTI*, & chriſtianorum noſtra inq̃, qui non in huius vitæ, quæ videntur, bonis; ſed in futuris, quę fide expectantur, beati, ac felices perpetuò eſſe contendimus. Plura autem diuitum, ac diuitiarum nomine, quæ hic facerent, dicenda eſſent; ſed cum multa ſatis dixerimus, ne nimio curſu orationis, tædio ſimus; his quæ diximus hic modus erit, vt ea, quæ reſtant, recreati aliquantiſper, ab alio prin cipio diſſeramus

DE LATISSIMO AVARITIAE DOMINATV

LIBER II.

PRAEFATIO.

QVAMQVAM multa nobis iam dicta eſſe lector intelligis,ex quibus non fundamenta modo propoſiti noſtri iacta eſſe , verumetiam ex quibus prudens quiſque , nocentiſsimam habendi cupiditatem dominari inter nos,colligere facilè iam poſsit ; cum tamen multi vel reuera,vel ſtudio ac dolo malo fortaſſe,haud dum iſthuc ſe videre dicere poſſent : agedum , qui omnibus quã datur , prodeſſe cum Dei gratia cupimus , ad eandem cauſam explicandam magis,atque confirmandam , propius nos referamus . Non ad pompam ſcribimus,neque vt doctis,& ingenioſis placeamus, ſed vt hac noſtra qualicunque tractatione perſuadeãtur,qui hic errant : & ſiue docti,ſiue indocti ſint, qui hac ægritudine laborant,illi detergendæ medicinam ſalutarem percipiant . Sapientibus,& inſipientibus , aiebat egregius ille vni- Rom. 1.
uerſi orbis doctor , debitor ſum : cuius verba, & affectum cũ primis ſi mihi ſumam , non temerarius , atque inſolens mihi videbor . Nam vt ei diuiniſsimo viro,doctoris ſummi, eximiique inter omnes prærogatiua in Eccleſia,non à me modo (quid enim me dico ; nullo numero , nulla dote ?) ſed etiam ab vniuerſis,vt par eſt,facilè concedatur; nulla tamen inuidia erit,opinor,ſi aut alius,aut ego,qua ratione poſsit in rem eſſe fratribus ad eius exemplum contenderimus . Inuicem membra ſumus,& mutuo nos iuuare maximè decet . Itaq; & quę iam diximus huc cum ſpectent,referentur etiã,quæ poſt(Deo iuuante) diſſeremus . Vtraque verò, vt boni ſint conſulenda non diffiteor,neque id modo,ſed cum fructu etiam,vt percipienda ſint confido : in tantum adeo,vt non odium, ſed gra-

tiam

tiam promeriturum me ſperem:quam tamen quanta quanta futura ſit,ad Auctorem bonorum omnium relatam maximé velim. Quemadmndum graui morbo decumbens, cum per eum interquieſcere,atque ad mentem redire licet, beneficium atque operam medici,amicique,qui ſe variis remediis eripere à calamitate incumbunt, non agnoſcere gratus non poteſt; quæ certè dum intemperie mali exagitatur,deteſtatur, abiicit: ſic non omnino inſanus,& ſi grauiter animo langueat,cũ tamen ſedato morbo,ſeriò quæ ad ſe ſanandum adhibentur, conſiderat: deamet neceſſe eſt ſalutis ſuæ ſtudioſum. Perinde enim atque in corporibus,ſua in animis interualla ægritudines interdum habent. Sed ne his prolixius commemorandis venditare me velle exiſtimer,ſequamur iam orationis noſtræ filum.

DEMONSTRATVR APERTIVS AVARITIAE DO*minatus ex actibus tenuiornm quotidianis,*
Caput primum.

QVID ergo eſt,quod ſpeciatim demonſtrandũ, ac magis declarandum præter cetera nunc primum habemus? Occupare videlicet tantum non vniuerſos luem auaritię, & hoc tartareo amni tranſuerſos agi. Reducamus verò ad memoriam regulam illam,quam in precedentibus diximus,ad quam,ceu lydium lapidem,quiſquis ſeſe cõponat, ſanus'ne an æger ſit, non ita difficile intellecturum eſſe pronunciamus. Ecqua illa eſt? Hæc nimirum: Si quod animo decernere,opere'ue efficere haud vereatur homo, qua ratione cumque lucri gratia,quod contra Dei leges eſſe intelligitur,auaritia laborare hunc indubitatò affirmamus. Vt vt rem ita ſe habere verbis negetur,in argumentum facta inducenda. Iam his producendis intenti ſimus.

Principiò, vt de tenuioribus dicam: vnde eſt rogo, quòd totos dies ſic intenti ſunt ad negocia & artes? ad labores, operaſque? Quantula diei pars eſt,quam Dei honori augendo, eius beneficiis agnoſcendis,gratiis agendis, animę ſecundum chriſtianas virtutes efformandæ,impēdant? Hoc etenim quęrere eſt regnum Dei,quod is potiſsimum à chriſtiano depoſcit. Siquidem à ſomno ac lecto exiliētes,vix ob murmurata

ter, aut quinquies oratione dominica, non tam affectu ipſo, atq; pio animi iudicio; quàm vſu quodam potius (ut ne vel tantulum hoc à multis negligi commemorem) ad ſuas lucri officinas de repente ſe conferunt; inſtrumentis manum admouent; totique illic abdunt ſeſe. Iam per totum diem ſic occupati, diſtracti, laboribus nec non oppreſsi, vbi cibum ſumpſerint; ferè vt belluæ facta nocte dormituri, citra vllam dignam rerum animæ memoriam, in cubilia côiiciunt ſeſe; vino plerunque, ſomnoque obruti ſtertentes iacent: vnde renouati, ad idem, ſimulac lux rurſum aduenit, regrediuntur. Atque (vt alia quamplurima ommittam) vnde artificia illa, non virtuti, atque honeſtis vſibus conſentanea, ſed vitiis, ac turpitudinibus ſubſeruientia? ornamentorum? fucorum? vnguentorum? teſſerarum? chartarum? & ſexcentarum id genus præterea rerum, quibus quamplurimi diſtinentur amentes? Amentes aio verò, ac ſtultiſsimos; qui ludis, ludibrioque digniſsimis hiſce rem, tempus, quod inter omnia quam fieri poſſet, honeſtiſsimè tranſigendum eſt; cum anima ſua ipſorum peſum dant. Sed innumeras inter hæc artificum, operariorum, atque negociatorum impoſturas; fallacias, peruerſitates mihi reputa. Timent fortaſſe incontaminata adulterare? formidant putria, ſitu, carie, tineis obæſa pro integris obtrudere? Verentur fingere mera mendacia? Religioni habent mentiri? deierare? peierarèque adeò, modo quicquam corradant, pertimeſcunt? Omnia inuerecundè, impunè. Et quidem ille prudentior habetur, qui veſperi, licet ſexcentis eius generis execrandis modis, tanquam ſagittis animam ſuam ipſius confixerit, plus nummorum domum aſportarit. At ſi parum, nihil'ue lucri acceſſerit, atque adeò nonnullum damnum acceptum fuerit; quid agunt iſta cupiditate comprehenſi? Inquieti dolore, atque impatientia, conſiſtere non poſſunt. nemini non acerbi, amarulenti: quicquid dicas, quicquid facias, bile efferueſcunt. Lamentantur, cruciantur inuidia erga cæteros, quibus dextrè ſuccedunt res. Obmurmurant, maledicunt, & (o indignum facinus) Deum in ius tantum non vocant. Cur (aiunt) ô Deus, illi & illi tam cumulatè influi diuitias ſinis, me vero ne obolum quidem? faſtidium mihi, horror, dolorque peringens, ne dum hæc commemorare, ſed vel reputare. Mitto occulta latrocinia, rapinas, furta. Palam enim nô diuinæ,

Vide Diuum Io. Chriſoſt. Hom. 50. in Matth.

ſed imperatoriæ potius timentur leges. Eant ergo iſtiuſmodi (quæ non minima turba eſt) & auaros ſe eſſe negent; neque ad lucra immoderatione ſe vlla ferri contendant. Solem tenebroſum, ac nigram niuem magis dicam, quàm hæc effecta ab animo experte auaritiæ proficiſci.

DEPLORATVR INDIGNITAS MORBI VNIVERſalis auaritiæ, cui etiam diebus ſacris incumbitur. Cap. II.

HAEC peſsima, in ciuitate ipſa, in ſuburbiis, pagis, villis & cunctis vndiquaque circumſidentibus regionis noſtræ finibus, in vniuerſum fieri cernuntur. vt ſæpenumero ea contemplatus mecum maiorem in modum indoluerim; néque raro hac cauſa in lachrymas fuerim ſolutus. Sic verò apud me dicebam: Quid eſt, quòd tanta nos demẽtia agimur? qui & ſi corpore premimur, immortales tñ animos munere Dei mirifico habemus. qui cùm rationis, & voluntatis potentia, tùm cœleſtis parentis inaudita gratia, ad maiora nos multò, quàm quæ vniuerſa creata ſunt, natos factosque, nempe ad regnum æternum perfruendum, agnoſcimus. qui incredibilis bonitatis Dei innumera propè beneficia conſequuti, & in ſpem meliorum aduocati etiam ſumus. Nos igitur, quid (malũ) eſt, quòd his omnibus poſthabitis, in corporeis rebus, terrenis hiſce fluentibus, euanidisq; in tñ inhæremus? acquieſcimus? Hæc verò ita eſſe, quæ videntur, nempe vana, inconſtantia, & nihil planè, quotidiana experiẽtia tangimus. Mortes frequentes, ac variæ ſubinde harum miſeriarum nos admonent. At nos perſtamus, in hæc inhiantes. Scimus immunem à morte neminem: ſed cum hanc vitam viuamus, arguimur nos perſuaſos eſſe, hic donatos immortalitate. Heu me inquam, quòd hiſce modis viuere pergere chriſtianos cernam. Quæ intemperies, lues, morbus, atque pernicies vſque adeò abſtulit mentem; vt tanta peruerſitate viuat populus meus (mitto alios in præſentia) populus inquam meus? Non ille barbarus aut ferus: vt quidam temerariè, ac falsò appellare auſus eſt: neque qui recens Chriſto Imperatori omnium Maximo nomen dedit; neque qui, quæ ſit vera chriſtianorum politia, vſque dum ignorauit; ne

quę qui doctoribus, atque inſtitutoribus eximiis caruit: ſed
contra omnia. qui extra barbariem omnem, ac feritatem;
qui ſub ipſa ferè Apoſtolorum tempora religionem chriſtia
nam amplexus eſt. qui ſemper eruditores, magiſtros, eoſque
vndecunque aſcitos, vt præſtantiſsimi, atq; optimi poterant,
præſto habuit: & hunc tamen in tanta perturbatione, & in/
dignitate viuere, negari non poteſt. Ecquem iſta non com/
mouere poſſunt? Sed vide altius malum. Non contenti mo
dis his, quos diximus, profeſtis diebus abuti; ad ſacras ferias
manus etiam mittunt. Nam quæ per illos dies, aut non va/
cat, aut non eſt animus tranſigere (ne lucro continuè perci/
piendo impediantur) ea in dies ſacros reiiciũt. In his enim,
hic ad calculum operas ſuas obitas adducit; ille paciſcitur de
ſequentibus: hunc cernere licet commercia cum alio ineun/
tem, atque vt mercedes ſuas exigant, non parum multos ad
dies feſtos reſeruare: in qua re, & mercenarii ipſi, & illorum
conductores, rei deprehenduntur. Infinita quid fruſtra perſe
quar, quæ diuinis diebus obeunt? adeò vt nihil Deo, nihil
ſaluti animæ, ſed totum ad rem acquirendam tempus per i/
ſtos addictum ſit? Impios quis hic eos eſſe non videt? ſacri/
legos? auaros?

Diuorum nē pe Nazarij, & Celſi predic.

AVARVM INFIDELEM ESSE, ET *inſipientem.* Cap. III.

NEC mihi contra hæc quiſq; prætexat. vt ni/
hil aliud; dierum feſtorum hoc pacto profa/
nator qui eſt, conuincitur omnino eſſe infide/
lis. nam & auaritiæ præcipuam radicem eſſe
infidelitatem, multi ante nos docuere. Quòd
ſi non niſi rationibus perſuaderis, accipe. Deũ
ne eſſe fateris heus tu? Ais. quid ergo? Nonne cuncta proui
dentia adminiſtrat? Affirmas ſcio, ne Epicurus quiſpiam, ſi-
ne ex eius familia aliquis videaris. Cum ergo omnium, quę
condidit curam ſapientiſsimè habeat, quanto magis noſtri?
Veſtri autē & capilli capitis (inquit) omnes numerati ſunt. *Matth. 10.*
Si ergo nos maximè Deo curæ eſſe in confeſſo eſt, atq; vt in
ſe vnum ſpes noſtras vniuerſas conſtituamus ille vult: tute
verò nihilominus cupiditate impotenti concitatus, non di/
co ſuperfluis, ſed neceſſariis etiam cōquirendis ſolicitiſsimus

incumbis,quæ maior demonſtratio afferri poſsit,vt conuincaris eſſe infidelis? Cum animam,atque corpus ſuapte bonitate tibi dederit,minimè eum daturum tibi vtrique neceſſaria credis,interim dum tu immani iſto ſtudio, contra ipſius voluntatem,ac doctrinam comparare illa contendis. Sed ineptum me qui rem clariſsimam illuſtrare pergo. Ne dũ ab infidelitate,ſed non minus ab inſigni inſipientia, emanare auaritiam animaduerte. Vt vniuerſorum prouidẽtiam Deus habet,ita omnia poteſt,atque cuncta,vel mera (quod aiunt) voluntate,vel eius permiſſu efficiuntur: inuito autem illo omnino nihil. An non ergo cum infidelitate auarus etiam eſt ſtultiſsimus,qui perficiundis appetitionibus ſuis totus intentus eſt? cuius tametſi conatus non reprimat Deus, ſed vt ſequantur permittit,nihilo tamen minus ſi finem ſuum conſequi nolit (quod frequentiſsimè bono noſtro facit) nonne in uentum omnes labores, ſtudia & contentiones diſsipabuntur? Vide mihi in plantis,& arboribus (vt triuialibus exemplis vtar) adminiſtra altiſsima,generalique prouidentia ſua Deus, ſolo,humoribuſque opportunis, eis proſpicit. vbi etiã augeri illa conſeruarique decreuerit,ab intemperie cœli, à nocentibus belluis,& quarumcunque procellarum noxa tutatur. At ſi durare illa nolit,continuo,quæ vix dum nata ea depaſcant,animalia immittit: vltro incitat ſyluarum cæſorem, qui nulla mora ſecuri proceram arborem frondentem, & vndique comantem humi deiicit,aut commoto repente turbine,annoſam quercum altiſsimè fixam radicibus, euulſam è veſtigio ingenti fragore de monte præcipitat. Cerne cuniculos,lepores,ceruos,damas,onagros: volente quidem omniũ conditore,& conſeruatore,ſecuri, intacti per agros, nemora, ſyluas,montes,valles liberè paſcentes exſpaciantur; ad fontes,vt lubet inoffenſi accurrunt. Iam ſi ſecus conſtituerit idẽ, nulla mora ſeſe in laqueos induunt, captique farciendi coquis reportantur. Iuſtiſsimo igitur, quamuis occulto iudicio ſuo,ſi te noluerit,ad quæ capeſcenda auidus perquàm ferris,conſequi: diſpoſueritque te in egeſtate degere, neque ita multum etiam ſuperuiuere, quid te promouere poſſe confides contra illius arbitrium? Cuncta enim cum velit ipſe, ſecundo ferri curſu: contra,ſi abnuat, in caſſum cadere neceſſe eſt. Nolim autem hic me quiſquam fatalem neceſsitatem introducere putet,tollere autem contingentiam in rebus, & in

primis

primis libertatem noſtram,conſilia deliberationes,virtutes, ac vitia proinde. Minimè hoc nos intendimus,ne cum philoſophis,atque hæreticis nonnullis deliremus: ſed miro, atq; ineffabili modo,tametſi liberi nos ſumus,vel cedentes,vel cõtra euntes benigniſsimæ Dei voluntati,tamen quod ille vult ſemper nos facere,nec ab eius reconditiſsimæ ſapientiæ præſtitutis ordinibus,vel latum vnguem diſcedere vllum, quod creatum ſit,affirmamus. At de hoc neceſsitatis,&contingentiæ argumento, cum ad altiſsimam ſpeculationem id pertineat,non erit hic plura dicendi locus: alii,qui multi, de hoc diſquiſiere,fuerint conſulendi: nos ad id quod dicebamus, conuertimur,nimirum inſipientem etiam probari, qui tam anxiè conatur,maximè cum apertam habeat ſibi aduerſantem ipſius Dei voluntatem. Vel in hoc apertiſsima ſit hæc ſtultitia cupidorum,quòd non vident ſe maximo diuinæ vltionis periculo expoſitos,qui in oculis eius omnia perſpicientis,pergere facere non verentur,quod ille vetat. Quid quæris? Et exempla non deſunt ſtultorum iſtorum,vt frequẽtiſſimè, atque miſerrimè ſpe ſua deſtituantur. Sunt qui,cum incredibili continentique labore propè vitam detriuerint, minus tamen,quàm ante,rerum habeant. Sunt qui à parta pecunia,cum ſe quieſcere,deliciarique arbitrarentur; rapina, ſiue depopulationibus,incendio'ue, aut proſcriptione confeſtim omnia amiſere. Porrò mortem ſæpenumero inopinatam,omnia euertiſse auarorum hominum inania ſtudia;ſtultos & infideles illorum labores irriſiſſe etiam certi ſumus. Ex aduerſo autem iucundiſsimè viuere ex his qui in diem viuãt illum,qui hiſce noxiis anguſtiis,cupidinibus,& ſpinis non detinetur. Simul ac enim pane,aut neſcio quo adiuncto (quæ ſine contento ſtudio,atque citra animi angorem honeſto, ac neceſſario quopiam inculpatæ artis vſu facile ſibi familiolæque compararit)naturæ fecit ſatis,nulla moleſtia, aut mœrore affectus,quòd auri aceruos haud lucratus domi habeat: iucundè cantillat,feſtiuus cum ſuis,& externis præterea degit:nullis curis,mox ſomno ſecurus ſe dedens, dulciter in vtranq; indormit autem,quo pacto cunque diſcrucientur interea auari.

EX ABVSV SACRAMENTORVM, ATQVE *ex ſermonibus prodi etiam auaritiæ dominatum* Cap. IIII.

CAETERVM, vt ad inceptum noſtrum referamus nos, habemus præter quę dicta ſunt euidentem ſanè quam auaritiæ ſignificationem & notam: etiam illud, videlicet, cum ſtatis, ac ſolennibus temporibus non tàm piè inuitentur, quàm etiam ſaluberrimis præceptis agantur, vt rebus ſpiritualibus intendant: vt ſcilicet confiteantur peccata ſua iuſto cum dolore, & conſcientiæ ſordes omnes integra pœnitudine diluant: emundati autem, piis interim actis intenti, moxq'ue cum Dei gratia pro ſua virili aptati, ſacroſancta, ac tremenda myſteria corporis, & ſanguinis Domini, incredibili cum fructu percipiant: vt conſecutã eam vtilitatem, dein ſpiritualibus etiamnum inhærendo rebus, auctam conſeruent: nihilominus iniquitate, ac peſte iſta iſtos infelices dementatos videre licet omnia præpoſterè exequi. Saltem quidem vt ſemel in anno, in Paſchate nimirum, fidelis quiſque confiteatur, atq; ſacratiſsimam ſumat Euchariſtiam, pontificiæ leges iubent. At facinus indignum facere hi præ ſe ferunt, ſi bis iſtud efficerent. Quin inuiti, reſtitantes, coactique (quid ni dicam?) ad ipſos poſtremos dies ſub ipſum Paſchale feſtum redigunt ſeſe; parum nihil'ue fortaſſe, quantæ molis ſit vera confeſsio, & pœnitentia cogitantes, ſacerdotem adeunt, idque importunis horis, inuerecundè, nulla mora audiri petunt, expedirique (vt dicunt) vt mox poſsint ad operas, ac negocia ſua abſque iactura reuerti. Quid de ea pœnitentia cenſes lector? vt frugiferam ſibi, vt Deo eſſe gratam arbitrare? Atqui ad hunc modum confeſsi, communicare perinde pergunt. Quid præterea? vix enim diem illum omnium ſacratiſsimum, quieti ac continentes peragunt, ſi peragunt tamen: mox neque quid fecerint, neque quid Chriſtianos agere oporteat, diuiniſsimis ſacramentis participes effectos, reputantes; ad amatas lucrandi operas ſe conferunt. Complures exiſtimo: niſi vererentur digito demonſtrari, ac publicè notari vt infideles, etiam vnicam confeſsionem, communionemque contemnerent. At pudore hominum coercerentur,

Extra, de pœnit. & rem. ca. Omnis.

rentur, qui cum Deo ita nefariè, impudenterque ſe habe-
re non timent. Quanta hæc peruerſitas? Quantus iſte la-
tiſsimè patens abuſus? Ecquæ denique clarior ſignificatio,
quòd auaritia dominetur? Eius enim hi peſtilentes ſunt fru
ctus. Ipſa, vt Deus, vt cœleſtia omnia contemnantur, ef-
ficit. Vin' etiam videre manifeſtum auari argumentum?
Ex abundantia cordis os loquitur, ait Dominus. Et, Bo *Matth.* 12
nus homo de bono cordis theſauro profert bona: malus
autem de malo cordis theſauro profert mala. Rurſum:
Quo modo poteſtis bona loqui cum ſitis mali? Vade ita-
que mihi per forum, per plateas, per domos cum priuatas
tum publicas (vt ne commemorem etiam ſacras ædes) iter
fac terra marique, quid audis cum primis ex obuiis qui-
buſque hominibus? Nihil ſanè niſi verba, quæ cuncta pro
pè veluti in ſcopum (vt vno verbo dicam) in lucra referun-
tur. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Quid? & lin *Matth.* 6
gua ibi vt ſit neceſſarium eſt.

CIVITATIS HOMINES IN PAVPERES AC DI-
*uites partiri; hos vero mutuam inter ſe operam
præſtare auaritiæ* Cap. V.

ALIA ſunt, quæ ad hanc calamitoſam condi-
tionem etiamdum prodendam dicere habe-
remus, ſed ſatis eſſe, quæ commemorauimus,
arbitramur, vt tandem ſe languere ea ægritu
dine agnoſcant, præſertim qui tenuiori in re
vitam ducunt. Licet enim bona pars eorum
quæ dicta ſunt, etiam opulentos coarguat, ſpeciatim magis
tamen ad inferiores pertinent: quibus omiſsis, cum locuple
tibus ipſis nunc nobis generatim agendum; demonſtran-
dumque communi eos cum tenuibus morbo confectos eſſe,
ac peius multò fortaſſe habere. Non abſurdè autem nos fa-
cere arbitramur, ſi multitudinem vniuerſam incolentium
ciuitatem, ac ciuium, ad duo hæc genera referamus: alterum
tenuium, alterum vero diuitum. Nam & in hunc modum
à ſapiente illo mundi, in communi degentes homines diſtin *Ariſt. Polit.*
cti habentur, in his libris vbi de varietate regendæ multitu-
dinis pertractat. De priore igitur cum dixerimus, de altero
nunc genere pertractemus. Ac primum quidem illud ani-
mad-

maduertere decet; optimè dictum eſſe multitudinem hominum, qui ſub iiſdem legibus,ac moribus viuunt in vna regione, perinde eſſe atque animalis viuum corpus, diſtinctis ac variis membris conſtans, quorum differentes tametſi ſunt facultates, & officia; ad integritatem tamen, & conſeruationem ipſius vnius corporis omnia contendunt, ac mutuò quòdque pro ſe, niſi extranea vi contineantur, adiuuant; nec aliud alii quantum ex ſe eſt, vt officiat vnquam inducetur. Quòd ſi contrà aliqua cauſa fiat, ſenſim diſſoluente ſe harmonia, & admirabili illa membrorum conſenſione, labefactatur totum corpus, & durante diſſenſione tandem corrumpitur. Itaque vt incolume duret, duret etiam inter ipſa membra naturalis illa vis nexuſque mutui adiutorii, oportet. Quando ergo cùm natura, tùm Dei lege connexionem habeant & diuites & pauperes, quippe qui vnum genus vniuerſi,vnum principium & cauſam tàm conditionis,quàm reparationis habeamus; alia quòque interea neceſsitudo acceſsit, nempe quòd rerum ad vitam neceſſariarum gratia coniunguntur. Addicti namque ob peccatum originis ad labores, quo vitam tueamur, mutua omnino opera indigemus, ita vt quod minus hi poſſunt, alii eorum vices ac defectus, præſtent, & adimpleant. Quare nunquam diuites commodè viuant citra tenuium adminiculum, nèque item iſti, ſi non manu atque ope eorum fulciantur. Longum nimium eſſet dicere, quàm multiplici ratione, & quàm innumeris penè modis hoc peragitur: in hanc autem mentionem idcirco deuenimus, vt declararemus, quem ad modum ob ſupradictas rationes diuites & pauperes coniuncti cernuntur; ita peſtilentis cupiditatis nomine, maximè inter ſe componi fæderarique,&aliis alios materiam huic flammæ alendę ſufficere. Sed enim quantum laude dignum, ac ſalutare eſt in promouenda virtutemutuis officiis nos adiuuare, conſentirèque; tantum perinde nocens, & dignum conuicio, in ſcelera conſpirare. Quo pacto ergo (roget aliquis) ſe mutuo adiuuat diues ac pauper in hoc malum? Audi, quę partim commemorarè nunc velim, vt multa hinc aliis ex ſe conſideranda relinquantur. Laſciuiam, libidinemque hominum pecunioſorum contemplantes inferiores, vt inſatiabilibus eorum cupiditatibus (qua poſſunt) morem gerant, ac veluti eſcam voraci ingerant, innumeras illas ſpecies formaſque tum in

veſti-

veſtibus tũ in cibis,tum in ædificiis ſubinde obtrudunt; ac cõtinẽter noua cõmenti,prioribus prætermiſsis; poſteriora,quę admirandis compoſitionibus,& artificiis leues,ac mundanas mentes ad ſe alliciunt, inducunt ; in quibus diſtrahendis, vt hi,qui ea vendunt,identidem lucrantur, ꝙ maius ex his precium, quæ ingenioſiore, & elegantiore arte conſtruunt , exigunt ; ſic ipſi,vt ad ea ſibi pro libidine comparanda ſint pares, modos lucrandi alios atque alios adinuenire ſtudent. vnde fit, vt cum tenuiores his artibus maxima ex parte exhauriendis diuitum marſupiis,hi vero illis implendis intẽti ſint, omnino ad incendendum auaritiæ caminum vtrique conſentiant . Quis hoc ſanus non videt?

IN QVIBVS PARTIM CONVENIANT DIVItes, *ac pauperes in cultu auaritiæ, in quibus partim differant.* *Cap. 6*

SED iam explicemus magis proprias notas auarorum diuitum, commemoratis prius breuiter his, in quibus vtrique ferè conuenire cernuntur. Exempli cauſa : conueniunt quidem quòd in lucra ambo toti feruntur neglectis animæ bonis: quòd mendacia ſtruunt, impoſturas exercent: quòd deierationibus , non rarò periuriis utuntur ; quòd conqueruntur, inuident: quòd ſacras , & ſtudioſas actiones , loca , tempora fortiter contemnunt: quòd niſi mercimonia , aurum , nummos , lucra non loquuntur. At verò differunt vt plurimum: quandoquidem tenuiores multigenas artes, quæ potiſsimum manuum, totiuſque corporis labore ac defatigatione perficiuntur, in vſu habent. Diuites verò ad negociationes, commercia,frequentiſsimi ſunt. Illi vna in regione ferè tantum diuerſantes , occupantur ; hi ſæpiſsimè terra marique diſcurſantes, ſatisfacere inexplebili cupiditati operam nauant . Quinetiam ſchedis literiſque, vno in loco habitantes ,ab extremis mundi oris negociando , ingentia lucra reportant . Quam ob rem princeps , generaliſsimum , ac dexterrimum locupletum inſtrumentum eſt, quò facultates, fortunaſque augeri contingit ſuas , negociatio : modos cuius ac formas quis facile referre valeat ? quantum hic ingenia mortalium detinentur ? Vtinam æquè ad

negocia ſpiritualium rerum omnes intéderemus.vtinam tāto ſtudio noua excogitandi ad ditandum animam,quáto iſti diſtineremur.Sed verum eſt etiam nunc dictũ Domini:Pru-
Lucæ. 16. dentiores ſunt filii ſeculi in generatione ſua, quàm filii lucis. Inſtrumento igitur peculiari negociationis cum vtantur diuites ad lucra, ea etiam maximè auaros eſſe coarguuntur. De hac autem quantum noſtro faciat propoſito diſſeramus.

DE NEGOCIATIONE QVID SIT, QVAE PARTES, *quæ ſpecies, quis finis.* Cap. 7.

EST negociatio (vt à definitione ſeu deſcriptione eius incipiam) humanum exercitiũ pro hominum vtilitate introductum, commodandarum inter ſeſe rerum. Idcirco enim in vſum dimanauit, quo neceſſariis rebus tuendæ vitæ prouiderent mortales. Neceſsitati namque addicti omnes ob peccatum originis naſcimur; vnde nutriri, indui, ſub tecta cubare nobis perquam eſt opus. Et quamquam huc multa non erant opus, vitio tamen fit, atque imbecillitate, vt complura etiam atque etiam neceſſaria eſſe videantur. Cum igitur hoc nomine negociatio exerceatur, honeſta illa quidem habetur; extra vero hunc finem, non item. Nam duplicem hanc eſſe, etiam ante nos ob omnibus ferè prudentibus declaratum eſt: partim quidem quæ procurandis neceſsitatibus refertur, partim verò quæ vt rem augeat, intendit. Prior, nulla culpa, aut probro vnquam affecta eſt: poſterior, ũnquam carere vitio poſſe exiſtimatur, niſi honeſto ſtudio, ac laudabilibus circumſtantiis fuerit correcta, eique modus conſtitutus. Fit autem negociatio: vel cum res rebus commutantur, vel cum vltro citroque res cũ pecunia. Duas enim ſpecies eius eſſe, in hunc modum dicere poſſumus. Nam quę fit pecuniarum cum pecunia, non tam per ſe ſpeciem, quàm inſtrumentum quoddam alterutrius vtrique ſubſeruiens, dicemus. Cambia hæc noſtri vocant, de quibus ſuo loco. Neceſſaria autem negociatione prætermiſſa, quam non modo vacare culpa cum peragitur, verum etiam vitioſum ſi prætermittitur, clarum eſt; in ea quæ lucra ſpectat, ſummopere eſt vigilandum, vt ne exercendo quis peccet, Non modo enim apud Chriſtianos, ſed etiam

etiam apud philoſophos,ac probatos ſanosque cuiusuis religionis homines,in lucro finem negociorum conſtituere, nō carere turpitudine probatur, quod ea intentio ab auaritiæ cupiditate,quæ nunquam ſatiatur, intelligitur proficiſci. Quod ſi nullis adiunctis circunſtantiis, quæ actum ipſum commaculent,lucrandi propoſitum ſimpliciter ignominioſum,ac turpe iudicatur; quid iam dices,vbi tot iniqui damnatique modi,ac circunſtantiæ aliæ turpes ei acceſſerint? Nam eatenus excuſari intentionem lucri,ac corrigi poſſe videtur,quatenus per ſua negocia homines rebus neceſſariis, cum priuatis tum publicis commodè proſpiciant,efficiantq́; negociando,vt ne ſibi, ac ſuis honeſtè neceſſaria deſint; habeant vero deinceps,quæ ad pios vſus (nam & hoc etiam intēdi inculpatè fatentur) impertiri poſsint. Hoc ſanè modo negociatio lucri cauſa iſtituta,ac moderata,ab improbitate vindicari exiſtimatur. ſecus verò nemo ſanus, ac bonus excuſet.

MVLTOS FALLI, QVI HONESTE SE LVCRA *ſectari per negociationes dicunt.* Cap. VIII.

ITAQVE multos ſcio, ſi percuncteris, quam ob rem lucrari per commercia intendant, cōfeſtim reſponſuros,non auaritiæ gratia, ſed vt ſibi ſuiſque proſpiciant; vt in gradu ſuo viuere conſiſtereque,vt filias pro ſua dignitate,ac maiorum,matrimonio iungere, & his cognata (vt mox dictum) perficere commodè poſſint. Verum ſi ad viuum explorare ſcireque eiuſmodi vocum, & ſermonum veritatem voluerimus,congruum erit dicere cū Propheta : Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum : labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. Lingua,& in ſuperficie hęc proferuntur,ſed vana ſunt ea verba,mendacia videlicet, quæ morbum cupiditatis penitus inſidentem,non tam cælant, quàm produnt. Ac conſidera Prophetæ dictum : in corde,& corde. Quid ergo eſt? Duo ne corda habere poteſt homo? Haud docet iſtuc philoſophus vllus; neq; adeò ſolertiſsimus quiſque ex medicorum officina anatomicus, aut inuenit, aut dixit. Sed à ſublimiore multò philoſophia noſtra ſic habemus. Docet nos cum ipſo Propheta,præter alios in philoſophia,

Pſalm. II.

medicina, anatomiáque ſpirituali omnium diligentiſsimus Paulus, vnumquemque noſtrũ, non androgynum (vt fabulantur etiam grauiſsimi) ſed duplicem hominem ſané eſſe. Expoliantes vos (inquit) veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum. Duo homines ergo in vno homine (dictu mirum) vt duo habeant corda neceſſe eſt. Quã ob rem, vt vt iſti ex corde noui hominis, hoc eſt ex chriſtiano affectu, quę dicunt, ſe dicere contendant, adhuc tamen latitat vetuſti hominis cor, quod ſua concepta inuoluté, atque intimé retinet, quæ & ſi explicatu ſunt multó difficilima, prodũtur tamen. Et quamuis videare tibi recta ſynceráque intentione proloqui, á penitiſsima tamen illius damnati cordis intentione illa emanarit. Et moueri te dicis honeſté, cum turpis te intrinſecus agat appetitus? Erit veró ſuus huic aperiendo vlceri in ſequentibus commodior locus, quanquam in ſuperioribus nõnulla diximus; vbi de neceſſariis chriſtiano homini ad corporis vitam tuendam diſſeruimus.

Coloſſ. 3.

INIQVITATIS NOTA INVRI NEGOCIAtionem. Cap. IX.

SED vnde dicere cœperamus redire conuenit, ad negociationem nempe: quam pernicioſam plané intelligens, dicebat illa diuinus: Quoniam nõ cognoui literaturam, introibo in potentias Domini. Nam quod nos legimus literaturam, Hebræus habet: ספר, quæ vox numerum, ſupputationem, nec non librum, & ſchedas ſignificat; quarum multarum vocum vetuſtus interpres ſignificationem, vno verbo egregié retulit, nempe negociationes. Quid enim magis proprium negociatorum eſt, quám numerandi peritia? cum numeros ſemper verſent? libros non minus ad manum habeant, in quos nomina relata, acceptáq; coniiciunt? rerum merciumque quamplurimarũ rationes conſcribant? expenſum cum accepto identidem conferendo, ad calculum cuncta frequentiſsimé redigant? Negociatoribus etiam non ignoras quid fecerit recti omnis, atque honeſti magiſter. Inſtructo ex funiculis flagello, é templo expulit eos. Nolite (inquiens) facere domum patris mei domũ negociationis. Quia veró hoc loco non ita apparet condẽnatio,

Pſalm. 70

Ioan. 2.

natio, & in profanationem diuinarum ædium ſolum illud factum interpretari poteſt; manifeſtius fit ſpeciatim negociationem condemnari, cum per alium euãgeliſtam dicit: Scriptum eſt, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autẽ feciſtis illam ſpeluncam latronum. Quam in altero domum negociationis, in hoc latronum ſpeluncam vocat. Quid hac in negociationem, ac negociatores accuſatione expreſsius? Quamuis alioqui ad cultum Dei ea tum commercia referrentur, latronum tamen inſtar eos eſſe, qui in ea incumbebãt affirmat. Homo mercator (ait non vſquequaque malus inter Eccleſiaſticos ſcriptores) vix aut nunquã poteſt Deo placere, et ideo nullus chriſtianus debet eſſe mercator, aut ſi voluerit eſſe, proiiciatur de eccleſia Dei. Durisſimè dicta quidẽ ſed tamen vera cẽſeri poſſunt, propter ea quòd innumeris facinoribus negociatio commaculatur. Audi Diuum Auguſtinum: Negociator auidus acquirendi, pro dãno blaſphemat, pro preciis rerum mentitur, ac peierat: quibus addas licet, quæ abundè ſatis à nobis ſupra cõmemorata ſunt. quæ quidem omnes, vel certe earum plurimę notæ, cum in noſtris negociatoribus clarè diſcernantur, nullus eis relinquitur tergiuerſandi locus, aut negandi ſe auaritiæ durisſimam ſeruitutem ſeruire.

Lucæ. 19.

In Matth. in certo interprete.

Auguſtinus.

NEFARIA STVDIA NEGOCIATORVM ANNO-*næ ſtrictim referuntur.* Cap. X.

NEC vero tacendum exiſtimo indicium illud inſigne auari animi in negociatoribus annonæ negociũ cum primis obeuntibus, qui præcipua illa emunt venduntque, videlicet frumentum, vinum, oleum. Nam vt ipſi prius emere quam vilisſimè, ſic venundari poſtea quanto maximo precio poſſunt, perquàm ſtudent. Vt hoc verò obtineant, ingenium omne conferunt. Coaceruant qua parte cumque poſſunt illa, conſtruunt horrea, caueas, cellaria fodiunt, ædificantque lacus amplisſimos, vbi recluſa contineant ea. Nec prius expoſita volunt, quàm alii huiuſmodi res, qui pecuniarum indigentia tamdiu eas retinere non poſſunt; vendiderint. Qua ex re plerumque fit, vt facta caritate, atque adeò adiuncta penuriã conſumptis aliis: ipſi ſua demum

demum ſenſim, ac reſtitantes, quò auidius ad deponendum ingens precium hi, qui maximè indigent, concurrant; vænalia habent. Audiant iſti diuinam ſcripturam:
Prouer. 11.
Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis. Quid ni peſsimè audiant ab vniuerſis, qui de omnibus ita male meriti ſunt? Sed immanitatem iſtam longe benignitas Dei execratur. quapropter interdum efficit, vt quæ tanta tenacitate auari retinuere; corrumpantur, & inutilia facta proiiciantur ſummo mœrore; & eius mœſtitiæ, & immaniſsimæ cupiditatis, tanquam vtrinque acuto gladio miſeri ipſi confodiantur. Ecqua dignè oratio, improbitatem, truculentiam iſtam caſtiget? Vbi obſecro, religio, ac timor legum diuinarum, & euangelicarum? Vbi naturę, gratiæ, humanæ fœderationis ſanctus, & ad commiſerandum inſitus affectus? Perferri & ſi perinique, perferri tamen aliis in negociis tanta nequitia poſſe videatur: at in his quibus ſine non viuimus, pati qua ratione poteſt? Quid? quòd ſępenumero mercatores, ex condicto, vt maius lucrum corradant, vel cuncti ad vnum precium pro ſua libidine impoſitum, res; vel cæteris ceſſantibus, vnus dumtaxat diuendunt? Sic etenim qui indigent rebus, quicquid illi voluerint dinumerare coguntur. Quæ res, quid niſi rapina ac direptio eſt? Quare iuſtiſsimè quidem ſeuera iſtis lex ſtatuta eſt: qua cenſetur, vt qui huic facinori dat operam, propriis bonis expoliatus, perpetuò exulet.
C. de mono. l. i.
Sed iacet liber & codex cum ſua lege. Scio non ita multos in hanc peruerſitatem deductos, ſed cum omnes (quantum quidem videri poteſt) quantum poſſunt, luctari adnitantur, carere auaritia inficiari haud licet.

CONTRA EOS, QVI NIMIA LVCRA SECTANTES *res quanto maximo precio ſine culpa uendi poſſe affirmãt.* Cap. 11

ff. ad treb. l. i. §. ſi hæres.

SVNT qui ſe ciuilis legis dicto tuentur, quo ſcribitur: Rem tanti valere quanti vendi poteſt. Vnde nullum ſibi modum in lucrando præſcribi volunt: & vt maximè poſſunt, merces, ac res ſuas vẽdere caro contendunt, quod dum faciunt, peccatum nullum ſe committere aiunt. Hanc igitur in ſui patrocinium de lege ſententiam afferunt

afferunt: exempla commemorant multorum, qui cum ab hoc facinore non abhorreant, pii tamen habeantur. Verùm nos errare iſtos non ſolum ex his quæ iam diximus, verum etiam quæ prætereà dicturi ſumus, Deo dante, non difficilè demonſtrabimus: non tam noſtra, quam quę Eccleſiæ magiſtri, & Chriſtianæ politiæ moderatores ſentiunt, adducentes. Iam pridem non ſemel conſtitutum eſt lucrandi propoſitum à bonis omnibus criminari, carere tamen vitio poſſe videri, cum honeſto aliquo fini corrigitur: finem autem hunc turpitudinis vindicem inter alios eſſe, quando in hoc refertur lucrum, illudque moderatum, vt eo neceſsitatibus ſuis ſuorumque honeſtè ſatisfaciat quis; quicquid autem amplius intendatur ſuperfluum eſſe, & inter Chriſtianos damnari. Iam quò quis in lucra maiore affectu, ſiue reipſa plus fertur, eò magis à recta honeſtatis deflectere. Cæterum præter hæc audiamus tubam diuini Spiritus Paulum: Emolumentum (inquit) ingens eſt pietas cum ſufficientia. habentes verò nutrimenta ac operimenta, iſtis contenti erimus. 1. Timot. 6
Audis quòd ab omnibus Chriſtianis obſeruari volebat Apoſtolus idque verò in diuites cumprimis intentans? Nam quę ille ſubiungit hoc indicant, atque ea meritò magna cum attentione hos audire præſtat. Qui volunt diteſcere (inquit) incidunt in tentationem: & laqueum, & cupiditates multas, tum ſtultas tum noxias, quæ demergunt homines in interitum & perditionem. Si damnari affectum lucri (vt hoc etiã nunc interim colligamus) & ab eo malorum ingens examen ſuboriri apertè dictum eſſe ab Apoſtolò conſtat: ecqui honeſte fiat, ac citra periculum delinquendi, cum cupiditas ipſa omni ſtudio re perficitur? Non eſt hic luce maiori opus; nec vt quis aliò violenter interpretetur ea, quæ ſunt clariſsima; quæ etiam qui non videat, neſcio an aliud magis intellecturus ſit. Sed dolendum valde eſt, quòd cum ea tot annorum centuriis in rem fidelium conſcripſerit beatiſsimus ille, nihilo tamen minus cum interim producuntur, tamquam nunquã literis fuerint cõmiſſa, & audita, demirari illa pergunt, cauillarique: deridere autem, dicere non auſim. Sed cur non auſim quando ipſi factis id efficere non vereantur? Quis abhorret à lucro? quis cedò ſi ex ſingulo centenario viginti lucrari poteſt, decem tantum contentus ſit? Stultum potius ac boni imperitum apellant, ſi quis nonnulla religionę motus,

ita

ita facere cõſtituerit : quamuis ſi forte requiras, haud ſcio an
ducentiſsimum, adeoque tricenteſimum quemque huiuſce-
modi inuenturus ſis. Quid ergo? Ita'ne perditum omnes i-
mus? & in diſcrimen ſalutis deducti ſumus? Non equidem
id ego dixero: ſed ſi facta ipſa hoc clamant? Securum'ne à ſup
plicio arbitrare ſeruum, qui iuſſa domini ſui pergat contem-
nere? aut filium'ne impunè tuum incaſtigatumque relinquas
cum tua ipſe non præcepta, ſed pia monita ſpernat, rideat?
& contra ea vitam non ceſſet ſuam inſtituere? Ne nobis im-
ponamus maximo noſtro malo. Hac ſi pergimus; non ad
cœlum, ſed ad gehennam tandem perueniemus. Dictum cu-
iuſdam antiqui eſt: quod non temerè confirmauit Diuus il-
le Hieronymus. Diues (ait) aut iniquus, aut iniqui hæres.
Audiat audiat Chriſtianus: qui in diuitiis acquieſcit. Sed di-
cere etiam non verear: Germanum non poſſe conuenire chri
ſtianiſsimum cum diuitiis. Qua de re, cum ſub finem proli-
xius dicere deſtinarim, nunc interim animaduertamus quid
Matth. 7. dominus *IESVS* edixerit. Arcta (inquit) eſt via quæ du-
1. *Tim.* 2 cit ad vitam, & pauci ſunt qui ingrediuntur per eam. Ne ve-
rò putes me tibi iter anguſtum ad cœlum adornare: neque
iſtud etiam ſuſpicere ex diuino eſſe conſilio. non ita ille beni-
gniſsimus, qui vult omnes ſaluos fieri; ſed nos noſtro vitio,
noſtris corruptiſsimis cupiditatibus iter illud regium coarcta
mus. Sed de hac re, vt dicebam poſtea fuſius.

QVOMODO INTELLIGENDVS SIT VALOR *rerum, duplicem illum eſſe; & vnde vſus pecuniæ.* Cap. XII.

REDEAMVS ad falſam illam ciuilis legis in
telligentiam confutandam. Res tantum va-
let (inquit) quantum vendi poteſt. Ergo in
ferat ex his quiſpiam: quod mihi conſtitit de
cem aureis: ſi 100. vendere poſsim, neutiquã
deliquero. hoc enim auctore lege fecero. At le
gem, cum in peccata animaduertat, quis inculpatam eſſe ne-
get? & qui ſecundum eam agat, non bene agere? Hallucina-
ris, ac ſophiſma connectis heus tu: nec mihi, ſed tibi, tuique
ſimilibus perquam perniciosè imponis. Non enim facti, ſed
iuris illa poteſtas intelligenda eſt; neque per eam efficitur, vt
tan-

tanti res valeat, quanti ex impulſu cupiditatis, atque auarorum aſtutia, ſed quanti ex iure, & ęquo definiri poſſe declaratur. Alioqui, quid aliud hoc eſſet, quàm habenas in collum remittere auaritiæ? Sed abſit (vt ſuo contra ipſum opponentem telo vtamur) vt lex quæ coercendis tranſgreſsionibus impoſita eſt, tranſgrediendi fomenta ſubminiſtret. Tametſi quod tuũ eſt, tuo ipſe arbitratu vel non vendere, vel vẽdere poſſis; tñ ſi vænale exponas, iuri honeſtè vẽdendi, & emẽdi, velis nolis, ſubdere. Iuſtitia enim ante omnia retinenda eſt inter homines; qua maxime pax & ſancta conſenſio conſeruatur: ciuitates, Reſp. Regna ampliſsima ſtabiliuntur, & durant. Apertum autem reuera fuerit latrocinium, neque iuſtitia, ſed violentia; ſi de facto poſſe illud intelligeretur. Cæterũ, vt de hac poteſtate valoris aliquid amplius loquamur, ſcire operæpreciũ eſt, rem partim natura ſui, partim vſu, plus vel minus eſſe in precio. Non enim inter ſe vſque, duo hæc natura, & vſus, conueniunt. Nam fit plerunque, vt quæ natura excellunt, proindeque plus hoc nomine valent; ſi vſum reſpiciamus, multo inferiora, ac viliora habeantur: contra, quę ob vſum, ac neceſsitatem ſunt cara, quod ad naturam tamen pertinet, paruifiant. Quis neſciat præſtare multò id qđ animam habet, quàm quod eã ſit expers? Sic formica ingentem farris aceruum, quem interdum (vt ait ille) depopulatur, naturæ dote exuperat, & adeo cœlum ipſum, quod cernimus, magnitudine, atque ornatu incredibili ſuſpiciendum. At verò quòd leone, & elephanto nobis carior ſit panis, & ouum, vſus & vtilitas in vita facit. Vſus quoque in cauſa eſt non raro, vt vilior ſit homo, quàm iumentum. Cum igitur non tam ex natura ſui, quàm ex vſu potiſsimum, & commoditate in vita rerum ſpecies quantitatem precii recipiant, quãuis valde difficile ſit ipſis rebus iuſta precia conſtituere: tamẽ videndum etiam atque etiam eſt, vt ſecũdum dictum vſum, & honeſtas commoditates, quoad eius illud fiat, & quid iuſtitia ipſa, & bonum commune deſideret. Non enim ob priuatum bonum dumtaxat, commercia rerum, & emptionis, ac venditionis negocia introducta quis rectè dixerit: ſed potiſsimum pro publica, & communi, quibus cum viuimus, hominum vtilitate. Qua re, in hac parte iuſtitiæ diſtributiuæ, ac politicæ, regula neceſſaria eſt, qua ita temperetur rerum precium, ne hic maius commodum, ille vero maius percipiat de-

trimentum: ſed proportio, & æquabilitas quædam, quoad fieri poſsit, vtrinque conſeruetur. Quoniam verò res rebus difficilè per ſe, iuſta proportione, componi poſſunt, prudentiſsimè excogitauerunt, qui pecuniæ vſum induxere. Hæc enim medium, ac regula eſt, qua fit hęc rerum non incommodè collatio, propterea ꝙ rerum omnium valor ad pecuniam æſtimatur. Quo circa ſi quantitatem valoris rei, precium in nummis excedat, vel minus ſit in nummis, quàm in re valoris, nequaquam æquabilitas ea iuſtitiæ, quam diximus, conſeruatur. Quæ cum ita ſint, manifeſtum iam eſſe poteſt, rem non quanti poſsis, ſed quanti iure debeas, cēſendam eſſe; modúmque præter ea lucro imponendum. Nam & ipſius naturæ legem illam incorruptam animaduerte. Quod tibi (inquit) non vis fieri, alii ne feceris. Et, Quæcunque vultis, vt

Matth. 7 vobis faciant homines, & vos facite illis. Sic nempe hanc ſanctiſsimam legem Dominus confirmauit omnium optimarũ legum Auctor. Quam legem omnino preuaricatur, qui quantum de facto poteſt res vendere, & lucrari, ipſe contendit. Vnde & canonica, & ciuilia iura cauerunt, dum vltra dimidium plus venditur res, vel minus emitur, quàm valet, liberum eſſe ei, qui damnum acceperit, contractum (quod aiũt) reſcindere. Res igitur tantum valet, quantum vendi poteſt: hoc eſt, non quantum quoquo modo elicere inexaturabilis auari animus valeat, ſed quantum regula iuſtitiæ adhibitis circunſtantiis, quæ rationabiliter variare precium poſsint, ex poſcere videatur.

OFFICII ESSE EORVM, QVI POPVLOS REgunt, *proſpicere vt iuſta precia rebus imponantur: neglectum in ea re non impunè laturum Deum.*

Cap. XIII.

QVAM ob rem, vt primæ huic cupiditati frena imponerentur, optimum eſſet, vt per ſuperiorem, ac legitimam poteſtatem, ſiue laicam, ſiue eccleſiaſticā, rebus præſertim maioris momenti, ſua precia præſcriberentur, idque accuratè perpenſis circunſtantiis, & collatis omnibus ad conſeruandam iuſtitiam; atque non tam priuatum, quàm commune, & publicum bonum omnium conſtabiliendum

dum, opportunis : neq; ita ciuilibet illud efficere pro ſua voluntate permitteretur. Quod ſi operoſa hæc res, & ingentis curæ, atque moleſtiæ videatur, vt certè eſſe non diffitendum eſt, viderint, ac ſciant, qui præſunt, hoc ad ſe maximè inter alias curas, ac ſtudia regundorum populorum pertinere. Quã enim rem magis ſui eſſe officii dicere habent, atque ſubditis, quam optimè fieri poteſt, proſpicere? Quod ſi negligant, ſciant ſe ad Dei tribunal de huiuſcemodi neglectu rationem reddituros. Sunt quidem in rebus minutioribus priuati illi magiſtratus optimè conſtituti (quos Romani ædiles olim) quorum munus eſt prædictarum rerum ſtata precia taxare, expendere, examinareque menſurarum, ac ponderum iuſtitiam, aut iniquitatem; caſtigare fraudes, atque in falſarios, & impoſtores ipſos iuſtè animaduertere. Sed hæc cautela, atque diligens prouidentia in rebus maioribus etiam multò fuerit ſalutarior; tantum vt ne priuatis affectibus, atque cupiditatibus huiuſmodi cenſores, & quæſtores indulgeant, ſed vtraque in parte incorruptè decernãt. Verum quid nos hic iam dicere poſſumus? Omnia neglecta videmus. iacet ſtudium, extinctusq; eſt ſanctus iſte iuſtitię honeſtiſsimę zelus. ſine legitimis legibus, ac regulis ferè viuentes vnius auaritię ac cupiditatis incitamenta exactè perſequuntur. Riſus ſunt, ac ludibria, ſi quis de ea moderatione in vniuerſum admoneat: tanquam vero nihil poſsint iuſtæ rationes contra hanc improbitatem, & quaſi nullius roboris ſint iura omnia, ſiue Dei, ſiue naturæ, ſiue quæ à ſanctiſsimis, & prudétiſsimis quibuſq; ſancita ſunt, vel certè perinde, atq; hæc nunquam audierint, aut ad ſe non pertineant: ad hunc modum ex toto diametro explere iſtam inexplebilem ſuam auiditatem, omnibus neruis, arte, ſtudio, atque cura incumbunt.

ALIA ARGVMENTA AD DEMONSTRANDAM *auaritiæ ſeruitutem, qua maximè ſanctitas chriſtiana fœdatur; hinc in nos flagella diuinæ.* Cap. XIIII.

Ezech. 28. SED audiant Dei nomine prophetæ vocem:
In multitudine iniquitatum tuarum, & ini-
quitate negociationis tuæ polluiſti ſanctifica
tionem tuam. Hæc ad populum, cui permiſ-
ſum erat terrena bona quærere, & adeò ob re
cte facta promittebantur. Quantò nos ergo
ea vehementius premunt? & nota ignominioſiſsima inurũt?
Polluimus ſanctificationem noſtram modis iniquiſsimis hi
ſce. Nam quantò Iudaicam ſanctificatio noſtra excellat, ſci-
mus. Sanctificati enim nos non terrenis rebus humilibuſq;
ſymbolis, ſed ſanguine filii Dei, vnctioneq; Spiritus ſancti, di
uinis muneribus dicati, atque ditati ſumus. Chriſtianos nos
a *CHRISTO*, & in filiorum Dei album cooptatos, ſancti
ficatos nos admirabiliter præſtantiſsima omnium ſanctifica-
tione ſanè, quàm dicimus. Itaque qui hac pluſquam regia
nota inſigniuntur, quando terrena vniuerſa alto animo ſper
nere conueniat; ſi contrafaciant, iure optimo ſanctificationẽ
ſuam polluiſſe intelliguntur. Prætermitto non parum mul
tas alias ex auaritia labes, quibus perinde hæc noſtra ſanctifi-
catio ignominioſiſsimè fœdatur, vt ſunt periniquæ illæ, ac
damnatæ congerendi auri formæ, indicia non minus indubi-
tata peſtilentis ęgritudinis, dum inuolutis, & inextricabilib.
vſurarum nodis, imò apertis vſuræ laqueis, diripiuntur pro-
ximorum res, intercipiuntur pignora, negantur depoſita, fi-
deicommiſſa bona pupillorum fraudantur: denique quan-
do, quoquo modo alienę res habentur, quam diu probare
non poſsis, fortiter retinentur. Infanda autem iſthæc facino
ra multi abhorrent, ſed vtinam plures hoc malo non langue
rent. Nam ſi inter nos, quam par eſſet, ſyncera fides vigeret,
ſi animi ab noxia cupiditare liberi eſſent, ac ſani, quid tot in-
ſtrumentis, codicillis, ſyngraphis, hypothecis? quid in ſum-
ma tot notariorum ſcriptis? tot teſtibus in quotidianis com
merciis, ac negociis opus? Ne pater quidem filio, neq; filius
patri, vt alios minus coniunctos (ne commemorando mole
ſtus ſim) prætermittam, rem vel pecuniolam ſine obſignata
tabella

tabella facilè credit. Hei nos miſeros, qui ita Deum, imò nō Deum, ſed aurum, & res nihili adoramus. Adoramus certè, ac colimus, cum ita animo in eis affixi acquieſcimus. Mirari ergo deſinamus, ſi cuncta ferè ex aduerſo nobis ferantur, ſi tot moleſtiis, atque calamitatibus, domi, foris concuſsi, inter ea nullus prope modum tranquillitati, ac lętitiæ locus relinquatur. Noſtra hęcce iniqua facta ſunt, quæ tam multa, atque ingentia in caput noſtrum mala important. Lucrari delectat, fieri diuites contendimus, ſed non ſecundum legem *CHRISTI*. Quo circa, & ſi cunctando ad vltionem procedit, ne tamen ob impunitatem in ſcelera perdurantes, Deum non curare res noſtras impiè perſuaſi ſimus; huiuſmodi moleſtiarum procellis exagitari interea ipſe nos permittit. His nos ad mentem redire cupit, vt grauiora ſupplicia non incurramus, quæ omnino, ſi bonitatem, ac maieſtatem eius contemnere pergamus, nos manét. Vt enim Deum infinita lentitudine, ac miſericordia erga reſipiſcentes, ſic pari iuſtitia, & ſeueritate aduerſum præfractos, & obſtinatos vti libere confitemur.

DE LATISSIMO AVARITIAE DOMINATV

LIBER III.

PRAEFATIO.

TERTIVM iam exordimur, & ad ea quæ multa diximus, ac plura etiam, quàm noſtri propoſiti primum fuerat; complura tamen etiamdum dicenda intelligo, antequam me-tam finemque, quę res atque cauſa præſens expoſcit, pertingamus. Inter dicendum enim atque ſcribendum, quamuis tibi certos locos limiteſque præſtituas, aperiuntur tamen, occuruntque non raro multa neque excogitata prius, neque animaduerſa, quæ commodiſſima ſi adhibeas, neglecta vero ſi fuerint, ac prætermiſſa cum iactura quidem id poſtea experiare. Quantum uis enim quis bene doctus exercituſque fuerit, omnia quę in negocio quod tractandum ſumit, neceſſaria & commoda ſingulatim vt præmeditata ac perſpecta habeat, nihilque vt diſſerendo ſibi inopinatè occurrat, fieri equidem poſſe non putem. Sin autem contingat vt in aliquo ſit tanta perfectio, vt eum nihil latere poſſit; nos certe qui adeò infra eſſe agnoſcimus nos, amplectimur non grauatim, quæ ſe nouè offerant, dum noſtræ tractationi prodeſſe videmus. Arbitramur nempè cum in cæteris cauſis, tum in tractationibus rerum, quæ ad fructum animorum, & ad bene Chriſtianéque viuendum pertinent, magno iſtuc vſui, atque honeſtiſsimum eſſe. Alia enim multò eſt conditio forenſis oratoris, & profani philoſophi, alia Chriſtiani. Illi ſuopte ingenio, ſtudio, arte exercitationéque freti ſuas cauſas peragunt: hic, vt non eorum inſtrumenta contemnat, ante omnia tamen atque in vniuerſum à Deo, à diui-

diuina gratia & patrocinio pendet. Non enim ſunt ipſi qui loquuntur, ſed organa (vt ita dicam) ſunt Spiritus ſancti, qui loquitur per illos. Vnde fit, vt ciente illo agitantéque, nec non clare primum intelligente fructum, quem ad alios peruenturum inde destinauit, non tam quæ ipſi ſibi diuinæ doctrinæ adminiſtri propoſuerint, quam quæ neutiquam cogitarant ad diſſerendum, inflectantur. Teſtes huius rei ſunt omnes boni, quibus ſanctiſsima hæc prouincia, alia aut alia iuſta ratione piè, ſolicitéque exequitur. Nos verò licet in hoc ordine poſtremi, non immodeſtos aut culpa dignos eſſe nobis perſuademus, ſi dixerimus ſperare nos optaréque, vt nobis quanti quanti ſumus in ſuum Spiritus ille ſanctus vſum vtatur. Conſcientiam ille videt, ac mentis noſtræ propenſiones & decreta ad eius voluntatem conſtituta, quorum quidem cum ille ſit auctor, quæ inuidia, ſi in finem quem ipſe velit pro ſuo arbitratu ea diſpoſiturum credimus & fatemur? Confiſis igitur benigniſsimis eius auſpiciis, vt commodius procedamus, placet quæ noſtrorum hominum mentes auaritiæ contagione infectas demonſtrant, in præcedentibus expoſitas, hic ſtrictim colligere, inde ad alia, maximè autem ad cambia non mediocre auaritiæ ſymbolum atque adeo nutrimentum, pertractanda, orationem conuertere.

RECAPITVLATIO ARGVMENTORVM IN PRAEcedentibus expoſitorum, *vnde auaritiam dominari conuincitur.* *Cap.* I.

DIXIMVS ergo in vniuerſum non eſſe cur auaros ſe negent, non modò qui in ſuperflua conquirenda, cupiditate immoderata feruntur, verum etiam qui idem in parandis neceſſariis præſtant. Clara autem & indubitata illa ægritudinis eius eſſe indicia, quòd neglecta animæ cura, toti ad lucrum continenter incumbunt: quòd neque quid fas ſit aut nefas, modo aggerent rem, expendendi vllam habent rationem: quòd lucri gratia fingere, refingere, adulterare res, bonas malis commaculare, malas pro bonis obtrudere non verentur. Ad hæc, noua ſordida, turpia & inhoneſta artificia in hoc ſubinde excogitare: continuis iuramentis abuti, deierare, peierareque imperterritè: in Deum

in ſan

in ſanctos periniqua committere. Adde menſurarum, ponderum falſitatem: impatientiam dum male propriæ cadunt res, inuidentiam, cum aliorum ſecundo ferri intelligunt curſu: item continuas querimonias, ſacrorum dierum profanationem; neglecta inſuper vel indigniſsimé obita noſtræ religionis neceſſaria ſuis temporibus officia. Denique inter negociandum, neque fidem neque modum, neque honeſtatis iura retinere. Et ſi vero hæc, & huius generis alia multa, omnia ad vnumquemque non pertinent, horum tamen omnium cum alius alio ſigno impreſſus deprehendatur, cunctos generatim quidem laborare hac prauitate intelligitur. Sunt tenuibus magis peculiares ſuæ huius morbi notæ, ſunt locupletibus perinde. illi maximé per manuarias artes, iſti potiſſimum per negociationum genera ſeruiunt auaritiæ ſeruitutem.

DISPVTATIO DE CAMBIIS INSTITVITVR, AD *regulam chriſtianæ doctrinæ illa eſſe examinanda: & cur pecunia, & eius varietas introducta.* *Cap.* 11

SED iam commodum occurrit de cambiis diſſerere, quæ inter artificia & commenta egregié apta ad amplificandum lucrum, noſtri diuites perquam familiare habent. Non contenti enim aliarum rerum quod per leges licet, dum ad honeſtum finem (vt explicuimus) diriguntur negociis lucrifacere: commercia etiam nummorum cum nummis traxerunt in vſum, cambia vocant. quæ vox & ſi ex vulgo craſſa, diſsimulanda erit, cum rebus intentos per omnia eſſe conueniat, præſertim in chriſtiana ſchola & qui docet, & qui diſcit. De his igitur nunc diſſeramus; & ea genera, quæ recentioribus hiſce annis frequentius exercentur vt perinique fiant, certis rationibus demonſtremus. Ne vero hoc mihi ex Ariſtotele, aut aliorum philoſophorum mundanæ ſapientiæ palæſtra deductum iri expectes; ſed, omnium maximé à doctrina Chriſtiana, quæ ex diuinis ſcripturis, & ſecundum illas cum primis habetur. Hinc, mihi crede, non à mortalium adinuentionibus, veræ ac perfectæ religionis, dogmatum ſanæ & integræ fidei, honeſtatis morum atque

virtu-

virtutum: denique quicquid ad inſtituendum integerrimé vitam pertinet, regula ac forma petenda eſt, ſi non ementité chriſtiani eſſe volumus. Igitur vt ad rem noſtram veniam, indicatum eſt pauló ante, honeſta negocia in vſum traducta fuiſſe, ut neceſſaria humanæ vitæ, cum priuatim tum publicé, inuicem communicarentur. Namque cum neque apud omnes, neque omni in loco in promptu habeantur eius generis vniuerſa; commercia inter ſeſe rerum iſtarum atque commutationes excogitatæ fuere, quod actum vocari negociationem diximus. Quia veró multum eſſet difficile, vt, ſi per ſe res cum rebus componerentur ſolum, ſecundum leges iuſtitiæ ipſa commutatio exequeretur: idcirco commodiſsimé repertam pecuniam eſſe item diximus, qua quantum fieri poſſet, precia rerum coæquarentur. Quam ob rem, vſus pecuniæ proprius princepſque eſt, vt hanc æquabilitatem vltro citróque, haud cum labore conſtituat. Vnde fit quoque, vt quod alius minus habet in re, dum ab alio eam accipere velit, pro ipſa re pecuniam tradat; quod factum, emptio ac venditio nominatur. Porró autem cum infinité in ſuis preciis res variari contingat, propterea varię nummorum formæ admiſſæ fuere. Sunt enim aurei, ſunt argentei, ſunt ærei ſunt maioris, ſunt minoris quem ad modum ponderis, ſic & valoris. Variant quoque pro auctoritate, qua percuſsi & obſignati exponuntur. Quo circa ſi vnum aut alterum duntaxat pecuniæ genus haberetur, ægerrimé etiam negocia exercerentur. Sed varietas ipſa maximé commoda experitur. Atque ob hanc commoditatem permutationes pecuniarum cũ pecuniis inductæ ſunt in vſum: qui quidem vſus haud principalis dicetur ipſius pecuniæ eſſe, ſed potius ex caſu, atque boni eius gratia, quod mox diximus, admiſſus. Alius autem pecuniæ vſus deprehenditur etiam, qui tametſi ad alias res complures conuenire intelligatur, in pecunia tamen magis elucet, ac frequentari ſolet: quod factum ſané mutuum paſſim appellatur. His ita de pecunia expoſitis, de illa in vniuerſum hoc præterea, quod in præcedentibus tetigimus, nunc confirmamus, non proprium genus negociationis illam habere; ſed re vera eius eſſe inſtrumentum atque illi ſubſeruire quamquam contentioſius non repugnarim, ſi negocii ſpecies quaſdam, tum mutuum ipſum, tum permutationes (quas quidem mea ſententia, veré cambia voce hac triuiali appella

bimus) dici poſſe velis. Quid igitur de cambiis de quibus ſpeciatim nunc dicendum conſtitutum eſt; quæ noſtri ciues negociandi genus, & quidem illuſtrè, apud ſe haberi demonſtrant?

DEFINITIO CAMBII IN GENERE, ET QVO *pacto fiat quæ realia dicuntur, & quæ minuta, & quæ ſicca.* Cap. III.

HIC iam tandem intenti ſimus. Atque ante omnia ſecũdum quòd peràgi ſolere intelligimus, manifeſta definitione, aut potius deſcriptione exponamus; videlicet: Cambium eſt actum quoddam, quo ab altero datur, ab altero autem recipitur pecunia, quam, qui accipit, reddituram ſpondet, vbi & quando, & cui, is qui primum dat, voluerit. Sub hac veró definitiõe veluti generis facilè admiſerim contineri tamquam eius ſpecies illa, quæ cãbia *realia* per literas nuncupantur; quæ certè ſine turpitudine fieri à cunctis, niſi aliqua deinextraria conditione vitientur, conceditur. Hec in hunc modum fiunt. Negociandi gratia quiſpiam ex alia regione ad aliam transferre ſummam aliquam pecuniarum deliberans, quò pericula itineris in deferendis illis deuitet: adit virum, cui ipſas dinumerat. idque eò pacto vt illic, vbi conſtituit ipſe dinumerans vel ſibi cum eo profectus fuerit: vel alteri vt volet ſuo nomine ſcriptis literis perſoluere illas is, qui accipit, faciat; retento interim nonnihil ab ea ſumma, vel alias, quod pro ſuis operis ac laboribus in ea commodatione (iuxta ęquitatem) lucretur. Altera ſpecies dici poſſe videtur minutorũ quæ vocant; quæ ſimpliciter realia etiam dicuntur; quæque (mea ſententia) proprie maxime cambia appellantur. Propterea quòd in ipſis ſimpliciter pecunię genus, cum pecunia alterius generis cõmutatur, verbi cã argentea cũ aurea minoris numeri, ſed valoris maioris cũ ea, quæ minoris valoris, ſed maioris numeri exiſtat. Iam & iſta omnium ſanè ſententia inculpatè peragi niſi aliunde iniquitatis labe aliqua aſpergi contingat: & percommoda eſſe cõmerciis, & vſibus vitę neceſſariis iudicat̃. Cæterũ vtriſq; iſtis prætermiſsis, venio ad alia, de quibus exactè diſquirere mihi potiſsimum conſtitutum eſt. Hæc vero ſunt illa quæ lugdu

Lugdunẽſia cambia,ſiue per Lugdunum; aut potius(vt nũc) Bezanſonenſia ; imo vero vt plurimum Sicca nuncupantur. Varii autem horum à variis inducuntur modi ; de quibus omnibus ſpeciatim dicere, vt nimium longum, ita haud neceſſarium in præſentia fore iudicanti, præterita tanta varietate,modum generalem, & communiore vſu detritum, apertè quo ad eius,mihi nunc exponere placet. Sic enim habet. EST ciuis, qui lucri gratia his cambiis operam nauans petitur ab alio,vt ſibi centum aureos nummos ex marcha (vt aiunt) ad cambium per Bezanſonem tradat. intellecto is valore nummi, qui tum iuxta traditiones mercatorias . Genuæ, vbi (exẽpli gratia) ſunt, in foro currit ; ſecundum illud precium centum, illos petenti dinumerat : interim qui accipit , pollicetur ſe ſcripturum literas Bezanſonem ad certum hominem , qui illic conſueto tempore nundinarum dictos centum aureos ſuo nomine perſoluat ei , cui ipſe tradens commodius æſtimabit, idque ad valorem,qui eo tempore nummo aureo præſtitutus erit. Itaque hoc loci vterque de ipſa re literas ad ſuos alium ad locum mittentes : hic traditas ab altero accipit, ille alibi ſuo tempore aſsignandas pecunias præſtolatur.

CVM PLVRIMI INIQVE FIERI SICCA CAMbia *doceant , pauci autem aliquouſque ab iniquitate ea vendicare conẽtur, vel hac ratione in culpa ſunt, qui exercent illa.* Cap. IIII.

HOC ergo tertium cambiorum genus,quæ ad hunc in commune modum fiunt (& ſi vulgò ſecus exiſtimetur) dubium,perplexumque haberi tamen apud ſaniores comperitur:de quo multi in vtranque partem dixere , & ſcripſere. At verò, quamuis maior pars eorum , qui de his maiore ſerio diſſerunt, iniuſta eſſe decernant , & merito ea ſicca dici affirment, eò quòd humore iuſtitiæ, & caritatis deſtituta ſint ; & quamuis etiam qui noxa iniquitatis condemnare pertimeſcunt, tutum eſſe nihilominus ab his abſtinere pronuncient , & conſulant dimittenda ; quia tamen lucrandi libido dominatur , latiſsimè patere horum vſum conſpicimus. quamq̃ etiã dubitandum eſt huic flammæ materiam fortaſſe ſubminiſtrari ex eo,quod vnus atque item al-

alter aſſerere ea aliquantiſper ab iniquitate videatur. Qua in re,(vt hoc prius dicam) quis non intelligat, vel hoc nomine cambiatores (ita mihi dicere liceat) iſtos, inculpatos eſſe non poſſe, qui deteriorem, ac periculoſiorem partem intrepidè arripiunt? Qui amat periculum (inquit ſapiens) incidet in illud. Iam quis niſi malè ſanus, in vitæ ſe diſcrimen, aut temporarii alius cuiuſuis detrimenti committat, vnde ſuapte ſe proripere ſponte facilè habet? Itáne etiam, ſi falsò fortaſſe renunciatum tibi ſit, viam qua iturum te conſtitueras, latronibus infeſtam eſſe: tute neutiquam ei te periculo iniicias, quãuis interim aliàs iter facere, quo deſtinaras vtilitatis gratia, non poſsis: vbi verò in periculum animæ, in dubium ſaltem præuaricandæ legis deuenitur Dei, nullo timore detinebimur? religione non dimouebimur? ſed & quamquam facti conſcientia mordet, fortiter ea tamen contemnetur nobis? Pergimus nos verò, pergimus inquam facere ſatis cupiditati. Indicium certè Chriſtianæ animæ non pœnitendum, religione contineri plærunque, vbi vereri haud referret. Quòd ſi (vt verè poſſumus) dictum conuertimus, non erit Chriſtiani, vbi timere ſuſtinerique ſit opus, eò ſe animosè committere.

Eccleſiaſt. 3

AD QVAS NEGOCIATIONIS SPECIES MVLTI *ſicca cambia referant. res autem non ſemper commodè intelligi ex impoſitis ſibi nominibus*

Cap. V.

AD ad rem. Eorum igitur, qui de his cambiis diſputát, quò iuſtitiam, aut iniuſtitiam eorum probent: alii permutationi, alii emptioni, ac venditioni, alii mutuo, alii innominatis negociis (vt aiunt) adſcribunt. Nobis verò non tam hac via, quàm aliis potius, quod ſint iniqua (Deo dante) curæ erit demonſtrare. Tametſi enim hęc reductio ad cauſæ lucem facere videtur, non ſemper tamen dextrè cadit ad hunc modum diſquiſitio rerum. Nomina enim, quę rebus excogitata imponuntur, vt frequenter ipſarum naturas ritè explicent, non pauca tamen ab vera ſignificatione aberrant, ſiue obſcuritate ipſius rei, ſiue imbecillitate intelligentiæ noſtræ, ſiue (quod in cæteris latè patere intel-

ligitur)q morbo affect⁹ animus,turpia honeſtis,honeſta tur
pibus nuncupare nominibus ſolet.Iá veró acta innumera vi
tiorum,ac virtutū,facilius ex proprietate probé animaduer-
ſa ipſorum,virtutes,aut vitia eſſe cognoris,quám vt certo no
mine voces. Ratio enim integra, ac Dei cumprimis lumine
colluſtrata,cum ea ad regulam æternæ legis examinat; videt
qua conformata ſint,quaque illi parte diſſentiant: vnde licet
non ita proprium nomen,ac ſpeciem aſsignare poſsit, iuſta
nec ne ſint tamen,confidentius affirmat. Quo circa,vt vnde
exceſsimus redeamus,non tantum,quód ad vllum dictorum
genus referantur,quantum ex rationibus ipſorum magis in-
timis cum Dei gratia iniqua eſſe hæc ſicca cambia demóſtra-
turi ſumus.

QVID SIT MVTVVM, ET AD ILLVD FACILE *ſicca cambia rtduci.* Cap. VI.

VERVM enim veró, ne hanc methodum cō
temnere videar, per libēter ego illis aſſentiar
qui ad mutuum maximé pertinere illa dicūt;
cum formā eius,ac genuinas proprietates fe-
re retinere intelligantur. quod aperté ex ipſa
mutui definitione conſtat. Mutuum enim in
commune ſic definitur: Actum ſcilicet, quo rei proprietas ex
ſuo vſu conſumptibilis,ab alio transfertur in alium, qui de-
inde redditurus ſit rem,non quidem eādem numero, ſed ſpe
cie,aut valore. Notare iuuat in hac definitione interim, q in
teruallum tēporis aliquantum intercedere oportet inter da-
tam,& redditam rem. Alioqui ſi ſtatim, aut breuiore ſpacio
fiat redditio; aut permutatio, aut venditio, aut ſi quis alius
actus potius dicatur. At ſi reddatur eadem res, id commoda
tum pignus'ue, ſiue quod alio nomine nuncupabitur. Sed li
cet numero differre vſu veniat;at ſpecie,vel valore conuenire
oportet cum re,rem mutuo præſtitam Nam ſi data lana (ver
bi cauſa) quæ decem aureis valeat,reddatur dein ſericum,qđ
tantundem valeat,& ſi non ſpecie,valore tamen in quo con-
ſentiunt,rationem mutui factum retinebit: quod tacitum, ſi
ue implicitum,interpretatum'ue vocant; expreſſum autem,
cum & ſpecie,& valore congruunt. Nec veró mutuum pro-
prié non erit, ſi pro aureis,argentei reddantur nummi, quia
non

non materia,ſed valore,quo cæterarum rerum ſunt menſura,ac precium; ad eandem ſpeciem vtrique conciliantur. Ex hac ergo mutui aperta definitione,euidenter (quantum quidem intelligi poteſt)colligitur,hæc ipſa cambia ad mutuum pertinere. An non eſt res cõſumptibilis pecunia quæ datur? An non eius proprietas transfertur in recipientem? An non ſpondet,qui recipit,ſeu per ſe,ſeu per alium, ipſam reſtituendam numero quidem differentem,ſed ſpecie,aut valore eandem,quamuis & materia,& genere nummorum interim inuicem variari contingat? Quid hic, ne ad mutui genus referas ea,deeſſe videtur?

RES QVASDAM ACCIDENTARIAS NON SEPArare reuera *ſicca cambia à mutuis,& quid ſit uſura.* Cap. VII.

NEC certé leuiculæ quædam,& accidentariæ qualitates,ſeparare á mutui ratione *poſſunt* illa, quod multi artificiosè conantur. Nam vbi præcipua mẽbra,ac ſubſtantialia adſunt, nequaquam defectu minimorum, res á ſuis ſpeciebus remouentur. Leue enim eſt dicere, ideo non eſſe in his cambiis mutuum,quia & ſi poſt primam acceptionem ſit nummorum redditio;id tamen non temporis gratia,vt in mutuo,ſed loci fiat. Finge pro arbitratu, in ictu oculi Genua Lugdunum conuolari poſsit; non'ne ſtatũ præſtolari oportebit nundinarum tempus, vt non loci potius,q̃ temporis ratio habeatur? Haud enim ſubſtantialis eſt hæc mutui differentia,videlicet vt ibidem detur,ac reddatur res,vt ex diffinitione patet,ſed accidentarium quiddã, quod ſit magis ad placitum,& accipientis,& reddentis. Leue item & illud apud ſanos eſt,ꝙ cum hic dans primum pecuniam, non ſit certus an tantundem ſibi reſtituetur, in mutuo verò conſtet; idcirco ad mutuum ea cambia non pertinere. Nam quis iſtam incertitudinem magnifaciat,quando rariſsimè cõtingat diminui,frequentiſsimè autem hic pecuniam augeri? in quem ſcopum potiſsimum hæc cambia exercentur? De raro contingentibus enim habendam rationem non ita eſſe, etiam philoſophi docent. Sed quæro vnde hæc nummorum mutabilitas commenta eſt,præterq̃ ab aſtutia negociatorũ?

At

At de hoc poſtea videbimus . Iam vt infirmum eſt illud , in mutuo licere pecunias concreditas quo uis tempore repetere in cambio non niſi ad præſcriptum nundinarum ? Imó veró quando reſtituendum ſit,& in mutuis frequenter cõuenitur, & niſi incidente caſu neceſſario ante condictum,haud repetit qui mutuatur . Alia autem huiuſcemodi referre piget, ac ꝑſequi,quæ vt plurima coaceruentur, immutare tamen rei naturam,vtpote ab eſſentia ipſius longe remota,poſſunt nullo modo . Nunquid enim homo non erit homo, oculis licet orbus naſcatur ? aut ſi fortuitó digito aliquo manuum,aut pedum caret? Aut etiam ne domus non erit illa,quæ fundamēto,parietibus,tecto conſtans; inſolentiſsimæ tamen formæ , cui nulla prorſum per totam ciuitatem ſit ſimilis, ab architecto fuerit edificata ? Cum igitur ex eſſentialibus notis hæc cambia ad mutuum maxime referenda eſſe perſpicuum ſit , quamquam leuioribus neſcio quibus videntur differre poſſe : quis hac ratione ſaltem neget vſuræ notam retinere illa ? atque inique fieri ? Cur nam rogo peraguntur , niſi ob ſpem propoſitumq; lucrandi? Sic veró,q̃ breuiſsime vſura definitur : Lucrum videlicet ex mutuo cum primis intentum.

NEQVAQVAM IN CAMBIIS VENDI PECVNIAM *vnde ſit,venditio,& emptio ; & quæ ſit pecuniæ natura.* Cap. VIII.

AT negant porró hic alii mutuum ineſſe,ſed vēdi in his cambiis aiunt pecunias ; proinde lucrum ab eis inculpate ſperari poſſe. Sed minime hoc illis concedi oportere, non difficile intelliges,ſi venditionis ,& emptionis originē , & cauſam,ſiue pecuniæ naturam conſideraueris . Emptio enim,ac venditio vnde nam , quæro ? Num ex eo,ꝙ alteri (ſiue propriæ vtilitatis gratia,ſiue vt cum ſuis ,cōmodis etiam aliorum conſulat) deeſt res,quam alter habet? Carere ergo hunc quidem,illum veró abundare rebus ad vſum vitæ facientibus cum emptionis negocium induxerit,ridiculoſum perquam iure videtur,pecuniá cum habeam, pecuniam etiamnum emere . Namq; emptorem volūt eſſe campſorem(iam & nos hoc vocabulo vtamur) qui pecuniis (vt plurimum)abundans,eas dat primum ; qui autem accipiat

ab

ab illo,aliarum,quibus non raro caret,& præſentibus, & diſtantibus, venditorem: quæ peruerſio a quo nō intelligitur? Sed enim indiget veré quidem,inter immanes opes etiam auaritia laborans,quã nunquam ſatiatur:cui tam deeſt,quod habet,q̃ quod non habet. Verum haud proprie campſor,ſed qui ab ipſo accipit,indiget. Etſi enim plærunque habet, vbi ſe ſpondet redditurum,frequentius tamen neque illic,neque alibi nummos poſsidet: ſed quia videt neutiquam ſibi quenquam gratis, pro frigidiſsima caritate nunc maximé Chriſtianos occupante,mutuaturum; negociari tamen,ac lucrari cum conſtituerit,fide mercatoria ad horum cambiorum artificium,quod ante nos tum veré pii,cum docti in fraudē vſurarum repertum dixere,ſe conferens; ita ſuis negociis proſpicere curat. Cæterum vt vt de poſſeſsione, aut carentia pecuniæ hic ſtatuatur; nequaquam vt piper(verbi cauſa)aut ſericum vendi iure poterunt vnquam pecuniȩ. Etenim metallum percuſſum,ac principis charactere ſignatum (quod nomenclaturam pecuniæ accipit) haud inſtitutum eſt,vt venūdetur,ſed potiſsimum,vt ea ad iuſtam æqualitatē(quod antea diximus) venalium rerum precia redigantur.

NON ADMITTI SECVNDARIVM VSVM IN PEcunia vt vendatur, ſicut aliæ res; ſed abuſionem id eſſe, quo modo verò recens inuenta careant probro. Cap. IX.

QVOD autem adducitur ad probandum eius venditionem, de duplici rerum artificialium vſu, minimé valet. Eſto, duplex iſte vſus cæteris in rebus artificialibus concedatur, vt in calceis(verbi cauſa)prius videlicet,vt muniendis pedibus illis vtamur, dein vt vendi iis, qui careant illi poſsint: at hunc ſecundarium vſum in pecunia honeſtè haberi negamus. Rerum enim aliorum venundandarum ſemper honeſtum habitum fuiſſe vſum ex ſe, dū aliunde non corrumpatur(vt abundè in præcedentibus expoſuimus) nemo non intelligit. Quare inde à principio cum relicta feritate homines conuiuere, & commercia inter ſe exercere cæpiſſent, hucuſque poſterior hic vſus retinetur; in pecuniis verò ad noſtra vſque tempora inauditus & incognitus

extitio-

extitit. Quo circa ēt ſi non aliunde, hac tamen inſolētia damnationis eſt digniſsimus. At non eſt culpanda recentium (dices) induſtria, ſi qua in lucem eruant, quæ antiquos latebant. Audio. Sed in laude tum id fuerit, ſi in recta ratione recens excogitatę res conſiſtant: ſi à vitiata mente non emanent, ſi in finem honeſtum referantur. Quam ob rem cum hæc noua vendendi hunc modum pecuniam induſtria apertè contra vſum bonorum, contra rationem, nec niſi vt potiſsimum inexplebili cupiditati, non autem ad commune bonum (vt à quibuſdam prætenditur) fiat ſatis, ab optimo quoque eſſe intelligatur; in vitio maximè non eſſe non poteſt. Monſtri enim inſtar eſſe pecuniam, pecuniam parere, atque eam per ſe ſterilem prudentiſsimi quique iudicauere: & precium rerũ illam, non item precio alio eãdẽ appreciari debere.

QVO PACTO INTERIM PECVNIA VENDI DI*catur, cum dilutione nonnullarum rationum, quę ad veram eius venditionem probandum adducuntur.* Cap. X.

QVOD autem interdum vendi videatur; non id re vera eſt quòd ipſa væneat quã pecunia, ſed quã metallum, ac pro materia (vt aiunt) quod ferè ſemper cum damno fit vendentis. Quare niſi formam amittat, aut alia ratione fiat ne pro nummo expendi poſsit, nemo fere vnquam ipſam pro materia diuendet. Addo autem ferè propterea quòd gratia bonitatis, aut maioris ponderis, nummi aurei atque argentei, qui olim, quando haud ita longè latéque cupiditas dominabatur, ſic fabricabantur. præſtantiores habiti vel ad aliquod egregium artificium & ornatum, vel ad viliorem monetam cudendam, interdum plus quam alii eiuſdem generis communiter expendantur, ab aliquibus coemi cernuntur. Itaque pro materia aliquando, nunquam verò ex propria ratione pecuniam venundari conuincetur. Iam quæ pręterea ad probationem venditionis eiuſdem afferuntur; minimè quod volunt, efficiunt. Nam pro pecunia (vt hoc illorum argumentum attingamus) in naui conſtituta, de qua naufragium timetur, aut quam quis in nominibus ac debitoribus habet, de quorum fide dubitatur: Si, in-

quam, pro ea pecunia daturum ſe quiſpiam minus, quàm illa in propria ſumma ſit, polliceatur: non is quidem hoc efficere iuſtè dicetur, quòd ita ipſam in periculo pecuniam propriè emat; ſed alia ratione. Periculum enim amittendi, labores item recuperandi, impendiaque, & ſi qua alia veriſimiliter hic adiuncta, ad calculum cum reducuntur, in cauſa erunt vt ab hac nonnihil ſpecietenus ex legitimi eius precii ſumma detrahatur. Nempe quem ad modum in cambiis realibus per literas, non emi à numulario pecunia à negociatore tributa minori precio dicitur, & ſi minor ſumma poſtea vbi condictum erat redditur: ſed quòd commodatio locatióue, expenſæ, & id genus fortè alia cenſentur, quorum gratia ipſe numularius honeſtè quippiam lucrifacit. Atque vt in realibus minutis illis, nequaquam monetam ſuam vendere iure dicetur qui ad eam permutandam addictus eſt (quamuis abuſione quadam audire ſit nonnullos dicentes, ſe aureum ſcutum emiſſe, ſeu ducatum (vtamur iam hiſce ex vulgo ſumptis vocabulis) quatuor aut ſex minutulis nummis pluſquam communiter expenduntur) verum conſtante illius valore ex publica ac legitima auctoritate, illud plus pro ſua arte non vendendo, ſed commutando, haud iniquè percipit. Sic nimirum in vniuerſum neutiquam pecunia ipſa eſt, quæ reuera væneat, ſed quæ per circumſtantias dictas plus minus valere videatur. Itaque nummus aureus, qui verbi cauſa nunc vulgo 70. ſolidos valet, non rectè dicetur vendi 65. aut 66. aliqua ex prædictis incommoda circumſtantia affectus; ſed firmo precio vt legitimè ſancitum fuerit: illæ ipſæ eius monetæ incommoditates, quas ſubit alius, prudenter ac iuſtè æſtimatæ efficient, vt non iniuria 4. aut 5. à 70 detrahantur.

CARERE SICCA CAMBIA TVM ALIIS CIRcunſtantijs, *tum his quibus realia inculpatè exercentur.* Cap. XI.

ALIQVID autẽ dicere viderentur, ſi ad has circumſtantias, vt lucrari honeſtè poſſe ex hoc cambiorum ſiccorum artificio conuincerent, ſe referrent: non autem eo quòd in eis pecunia vendatur. Sed vt nullo modo vendi illam in commune demonſtrauimus, ita nullas etiã

ex dictis circunſtantiis ad eã,quam per hęc cambia negocian
tur accedere, cum Dei gratia (niſi ſpecietenus) declarabimus.
Dici quidem poteſt diſtare loco pecunia, quam Lugduni aſ⸗
ſignaturus eſt quis pro ea, quam primum à campſore hic Ge
nuæ accepiſſet; ſed non ideo ob pericula, & impenſas redu⸗
cendi,quæ hic non intercedunt,iuſtum eſſe,ſi plus aliquid cã⸗
pſor perciperet,dici poteſt. Nam & ſi quidam, ea etiam ratio⸗
ne, qua realia per literas approbantur, hæc perinde iuſta de⸗
mõſtrare conatur,minus tamen id conſequi dicimus,quãdo
inter ſeſe latè diſſentire dinoſcantur. In reali quidem illo
nummos alterius accipiens alibi reddendos, translator non
improbabiliter dici poteſt; quod ex eo comprobatur, quòd
re ipſa in loco definito aliæ pecuniæ pro prius datis exſoluun
tur: & ideo dum ex ſuo officio ita commodat, non iniuſtè
(ut in præcedentibus dictum) moderatè luctari poteſt. Hic
verò alteri dans, qui lucrum intendit; nec facto vnquam, ac
ne cogitatione quidem, niſi ocioſè ac ineptè (vt, ita dixeri⸗
mus) faciat,tranſlator pecuniarum ſibi alibi in nundinis red⸗
ditarum, comperitur. Quid? vel enim ad mercimonia, vel
ad eadem cambia vltrò citròque exercenda, per ſuos accepta
illic eas campſor iſte conferri ordinat,vnde fit: vt quamuis di
ſtantes certo quodam modo quis aiat; propria tamen ra⸗
tione (vt circunſtantiarum prædictarum iure rationem ha
beri oporteat) nunquam diſtare conuincentur. Igitur hone
ſti lucri ratio, quæ in illis aperta eſt, in iſtis, vt cuiuis intelli⸗
genti conſtat,haud apparere poteſt. & vt in reali nullum eſt
mutui veſtigium, ſic in ſicco hocce, niſi prorſum à luce verita
tis ſtudio nõ patimur illuſtrari, germana ipſius mutui(quod
ſatis ſupra oſtenſum eſt) forma impreſſa perſpicitur. Quo
conſtante firmiſsimo fundamento, ruunt vniuerſę rationes
quæ præter hoc ad aſſerandam iſtorum iuſtitiam in venditio
ne, quam admittere reuera haud poſſunt, ædificatę iam ſint,
atque præterea ſuperſtrui potuerint. Neque verò tantulum
commouet exaggeratio, quòd in reali videlicet prior pecu⸗
niarum acceptor commodatur aliquandiu pecuniæ alienæ
vſu, deinde lucrum ex pacto etiam expectat; in ſicco verò pe
cuniæ ſuæ vtilitate fraudari interim, qui eam alteri dat: quã
ob rem indignum eſſe ne hic iuxta lucretur, nec alterum al⸗
terius conditione peiorem eſſe debere. At enim ad huuc mo
dum æquè conqueratur ſcilicet vſuris meris incumbens: ſed

contra ius ac fas vt hoc eſſet maximè; ſic in iſtis huiuſcemodi querela intoleranda non eſſe non poterit.

REPROBATVR COMMENTVM NEGOCIATOrum *in præſcribendo valore nũmorum; id ad principes pertinere; nihil in hoc bonam fidem valere, aut vſum.* Cap. XII.

SED vt funditus hoc vendundę pecuniæ commentum in his cambiis demoliamur, donemusque interim illam vendi poſſe, vt ipſi volunt: age conſideremus qua ratione inculpatè ſecundum illos ea peragitur venditio. Hác ergo ſine peccato fieri affirmant tantum, ſi nũmorum vltró, citróque iuſta æſtimatio fiat; qua deficiente meritó damnari; & illam non niſi ad arbitrium boni viri conſtitui oportere dicunt. At vero ad hunc modum haud *ſcio* quo pacto iuſta hæc æſtimatio habebitur. Bonus enim quiſque vir (qui idem probus & pius) vt ſemper, ita nunc ab huiuſcemodi lucrandi artificio continet ſe, & facto ſuo tanquam manifeſtiſsimo præiudicio illud damnans, minimé hic agere arbitrum ſe feret. Quam ob rem fiet; vt ad eos relegetur cenſuræ huius arbitrium, qui in vſu horum cambiorum verſantur. Quæro igitur, an integrum expectare iudicium poſsis ab eo, qui in propria eſſe cauſa deprehendatur? Sed plane non eſt priuati hominis quiſquis ſit, non modo inſolentiſsimum factum inducere, ſed nec etiam appreciare nummos vt habeant inde alii, vnde ęquam iſtam æſtimationem definiant. Publici euim magiſtratus, & legitimi principis intereſt recta cum ratione quantum fieri poteſt, nummis precia definire, quem admodum aliis etiam in rebus oportuniſsimum fore vt facerent, in præcedentibus indicatum eſt. Quod cũ ita ſit, vt mox abundantius confirmabo: viderit interim etiã quàm infirmo fundamento nitatur, quiſquis ad honeſtandum, de quo agimus, cambiorum genus ita ait: Quæ iniuſtitia, aut culpa eſt, ſi ſcutum tradens quod valet nunc ſolid. *66* vt á mercatoribus in foro appreciatum reperio, ad nundinarum tempus, & in loco, vbi illę habentur, reddendum mihi peto valentem ſecundum quod eo tempore ab ipſis mercatoribus fuerit decretum? Nihil hic ego aſtu (inquit) ſed vulgatam

vulgatam æſtimationem ſequor bona fide, caſum etiam futuri ſubiens, cum incertum habeam quid valiturum ſit ad præſtitutum tempus. Neque veró veriſimile eſſe, ſi culpabile hoc factum eſſet, quód tam in apertum ac publicé per omnes feré chriſtianorum regiones exerceretur, quin potius túm ex eo, quod ab his, qui rerum potiuntur, ei non contraitur túm ex conſuetudinis iure iuſta iſtæc negociatio eſſe exiſtimatur. At ab iſtis enim ita quærere iuuat. Primum: quæ ſacroſancta lex poteſtatem mercatoribus & nundinatoribus facit, vt ad ſuum arbitrium monetæ precium ſtatuant? an id ex euangelio habent? an ex Moſe? an ex canonibus eccleſię? an denique ex codicibus imperatoriarum legum approbatarum? Lege vniuerſa hęc, nuſquam his iſtam eſſe facultatem tributam reperias: propterea quód (vt iam dixi) legitimi eſt principis, & eius, vel eorum, qui ipſius nomine iure funguntur, decernere, quanti cenſeri debeat á ſubditis, & haberi in precio hæc vel illa nummorum ſpecies. Cuius rei illud euidens eſſe argumentum poteſt, quód nomina, inſigniaque varii generis ipſorum ſua, in ipſis nummis imprimi faciunt. Atque hinc impudentiſsima confudit ora Dominus *IESVS*, dum calumnioſiſsimé rogaretur, dari nec ne cenſus Cæſari deberetur. Quid me (inquit) tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. Ac producto illo, cuius (ait) eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt: Cæſaris. Reddite ergo (contra quám ſperabant, intulit) quæ ſunt Ceſaris, Cęſari; & quæ ſunt Dei, Deo. Ad Cæſarem ergo, ad legitimos principes (vt dicebamus) creſcere vel diminuere pecuniarum precia, atque adeó illis interdicere iuſtis de cauſis dicimus pertinere, quod vetuſtiſsimus etiam, atque vniuerſalis continuusque vſus abundé probat, minimé autem ad priuatos, multóque minus ad eos, qui etiam hac via, ac lucrum captandum, hanc ſibi licentiam vſurpauere. Quis hic auaritiæ morbum non agnoſcat? Quo vero ſpectat priuatorum voluntate tot variationibus numiſmatum valorem ſubdi; niſi vt hoc artificio incertitudo illa futuri, quæ in excuſatione affertur; non in damnum, ſed emolumentum ipſorum vergat? Iuuat autem exponere quo modo hic valor conſtituatur. Certi quidam enim multiiugarum nationum homines Lugduni (vt aiunt) ac potius Bezenſoni nunc, ſiue vbilibet, ex negociatorum numero, ſtatis temporibus, ſuopte non cu

Matth. 22.

iuſquã

iuſquā prætoris, edicto ſimul cōſidentes, poſt nōnulla colloquia poſteaquā acutis ratiociniis techinas ſuas, vnde lucrātur, probè diſcuſſerint, vt ne, quo ad eius, ſine lucro peragantur: valet o (inquiunt) ſcutum ex marcha per Genuam 69. per Londinum (exemplo dictum ſit) 70. De tripode oracula hęc ſcilicet: atque vt Plebiſcita, Senatuſque conſulta promulgāt. Igitur cum iſtam ſibi auctoritatem vſurparint, & iniquè in vſum traduxerint, etiam hinc certè iniquum erit, ad horum ſanctiones commercia nummorum exercere. Vbi enim putre eſt fundamentum, ibi nulla exędificatio firma erigetur. Fac vero etiam vt Cæſar, aut Rex ac principes aliquis in ſuo dominatu poteſtatem, de qua dictum eſt, quibuſdam faciat; haud propterea hæc cambia ab iniquitate vendicabuntur. Tantiſper enim hominum decreta honeſta haberi, & qui ſecundum illa actus ſuos inſtituerit, inculpatum cenſeri oportebit, quandiu quidem Dei cum primis, ac naturæ legibus, & ſecundum rectam rationem moribus, & conſuetudinibus vniuerſaliter, & infinita diuturnitate conſentiant. Quod ſi ab his diſſentiant ac repugnent; confidenter, omni tamen cū modeſtia obſeruanda eſſe negamus, & iniquè facere qui obſeruent, fatemur. Quod quidem pluribus confirmare haud neceſſe eſſe nunc cenſeo, cum cuiuis, qui non ſit inſanus pręclarè intelligatur. Cum hoc ergo ad hunc modum pecuniæ cōmercium inauditum, inſolens; & quod ſignificantiſsimam vſurarii facti ſpeciem retineat, culpatum ad noſtra ferè vſque tempora ſemper ab optimo quoque habitum ſit, fruſtra hiſce negociatorum commentis, etiam cum principum auctoritate, qui in ædificationem, non in deſtructionem communis boni, animorum præſertim, præficiuntur, iuſtè exerceri illud contenditur: neque vlla ratione hac in parte excuſare bona fides poteſt, quæ in mala fide, & iniquitate inhæret; præterquam cum quis omnium horum omnino ignarus extiterit.

MONETAM DVO PRECIA IVRE NON HABERE *neque excuſari iniquè facta, quòd impunè fieri ſinuntur.* Cap. XIII.

HINC etiam apertum fit haud iure ſuſtineri id poſſe, quòd multis perſuadetur, duo videlicet precia monetam habere, alterum legale, alterum mercatorium. De facto enim hoc ita accidere non inficiamur quidem, ſed factum iſtud contra ius fieri ex iam dictis conſtat: qui vſus, non inculpatus vſus, ſed abuſus nefarius meritò vocandus eſt. At qui reclament, aut caſtigent hæc, non videmus: imò verò dum ita diſsimulatur ac tacetur, pro inculpata conſuetudine approbari videntur. Addam ego uerò: quid ſi & hac via quidam principes ſuis ipſi commodis, & cupiditatibus proſpiciunt? vt & in his communionem habere non dicam? Quid porrò ſi etiã alius generis factis nefariis conniuetur ab his, quorum partes eſſent, eis, ne impunè graſſarẽtur, nõ modo voce occurrere, verumetiã omnimoda auctoritate? Quid ſi officio ſuo deſunt, qui officio incumbere debeant? Quid tum denique? Vindicabit tamẽ, vindicabit procul dubio ſuo tempore is, qui præſertim cum paſtoribus ſiue eccleſiaſticis, ſiue laicis ſomnolentis non dormitat: qui in ſumma, quò minus de ſceleribus pœnas ſumat, nullo affectu atque commodo mouetur.

CONTRA EOS, QVI PER INNOMINATVM NE*gocium ſicca cambia tueri volunt; nimias argutias doctiorum interim anſam porrigere delinquendi; frenandas cupiditates, non illis habenas remittendas.* C. XIIII.

IAM verò, qui, vt hæc inculpata cambia faciant, neſcio quod innominatum negocium præter mutuum, ac venditionem eſſe volũt: ad eos preterea dicimus, vt viderint an verè ſine nomine vllo ſit, quod ab iuſtitia, & honeſtate proficiſcatur. Non hic mutuũ (inquit) intenditur, & nihilominus ſe facere, quàm mutuari, dum ita nego-

negociantur in nummis homines dicunt: ſed hic petit ab illo ſibi Genuæ per hoc cambium dari cētum, quæ poſtea Bezanſoni ad conſtitutas nundinas aſsignari per literas faciet, cui ipſe campſor qui prior dedit, volet. At enim quid verba cauillemur, cum forma rei ineſſe deprehenditur? Nos miſeri, ad quos, cum vt ad nullos magis, lex Domini pertineat, qua inter alia iubemur, vt dum mutuò damus, nihil inde ſperemus: neſcio qua tamen ratione, dum magis nos, atque lucra noſtra amamus, q̄ (auſim dicere) Deum ipſum, ſub extraneis nominibus, ac fucata ſpecie negocii, mutuum dantes lucrari affectamus. Ac verò dum intentus in hac conſideratione perſiſto, vt citra cuiuſquam inuidiam, quod ſentio dicam, videtur in hac tota cauſa mihi, plurimum valuiſſe hominum ſubtilitates, eorum præſertim, quos eruditionis exiſtimatione tanquam duces, cæteri quique, cùm audire, tùm ſequi ſolent. Hi enim dum nimia quadam indulgentia malè affectis animis mederi (ne quid graue dicam) incumbunt, argutis adinuentionibus, & artificioſa diſtinctionum doctrina, non raro (quod bona eorum venia dictum ſit) rimas aperiunt delinquendi; atque vbi minus oportuiſſet, ſecuras hominum cōſcientias reddunt. Eſto damnetur animus, qui vbi non eſt cur timeat, formidat, neque fingendum ſit vllo modo in crimine certo eſſe, quod culpa, aut reuera caret, aut ſit nec ne crimen, non parum dubitatur: Certè (vt liberè meam in hac parte ſententiam prodam) cauti atque prudentis in chriſtiana diſciplina doctoris fuerit, habenas & frenum carnis (quæ ad patentem cupiditatum viam currendum, pręſertim noſtro hoc ſæculo, multo facilimè incitatur) preſsius ſtringere; & ab eo, in quod, etiam ſi certus caſus non apparet, præcipitium tamen facilè patet, cū temeritas, & affectus ſtimulos etiam huc addant, abſterrere omnino; ac ſaltem ſub ſilentium mittere, quæ maiore periculo explicantur. Quis adeò verę probitatis ignarus (heu) non perſpicit, vt paruifiant peccata? Inſignia namq; & grauia (quę in vniuerſum mortalia vocant) modò deuitent, minima cæterorum cura habetur.

NON LEVE ESSE PECCATVM, LEVIA QVAE *exiſtimantur, non curare, vt caueantur peccata.* Cap. XV.

STVLTOS nos, ne ſceleratos dicam, qui le-
uia eſſe facinora ducimus, quibus voluntati cõ
trahitur Dei: & quia leuia exiſtimamus, vt cõ
tineamur ab illis, nulla eſt ſolicitudo noſtra,
ſed ſuſque deq; ea cuncta ducimus. Grauiſsi-
mam hanc ego quidem negligentiam, non itẽ
leuem putem; qua prudentes committere non veremur in
Deum. Quæro ex te: Si quem germanitus ames, quicquid
ipſi diſplicere intelligis, num tute ſumma diligentia caueris, ſi
ue graue illud, ſiue leue ex ſe iudices? idq; impenſius; quò de
te dilectum illum magis meritum agnoſcis? Deum autem,
qui primum ob ineffabilem maieſtatem, nunq̃ ſatis amari, ac
venerari poteſt; mox qui omni numero, & magnitudine ſu-
periora nobis bona confert, vt reſpondere illi nunquam vſq̃
poſsimus: Deum inquam offendamus nec ne ꝑ actiones no-
ſtras omnes animaduertere non damus operam? Hoc ne a-
moris eſt quæſo? Hoccine gratiæ, & pietatis, erga benigniſsi-
mum illum & optimum? Hoc ſaltem hominis ſani ne eſt?
Quare maximè aperitur prauitas noſtra, traducitur manife-
ſtiſsime chriſtiani populi peruerſitas; qua indigni ne dum, vt
vel iſtam ſenſibilem lucem perſpiciamus. contra potius di-
gniſsimi quibus de, inauditæ pœnæ ſumantur, deprehendi-
mur. Quid autem eſt oro, quod ea in Dei conſpectu efficere
nullo pudore nobis temperamus, quibus in præſentia amicu
li fortiter abſtineremus? Ita parentem lætali vulnere ferire,
parricidale facinus duces, alapis autem, aut calce ſi cędas,
luſum, minimè ve indignum factum exiſtimaue-
ris? Vt prius illud, omnem immanitatem ne
quitiamq; exuperet, caſtigãdum etiam po
ſterius ſeueriſsimè, & à probo filio
omnibus viribus ne com-
mittat prouiden-
dum.

*

****

DIFFERENTIA LEVIVM SIVE VENIALIVM *peccatorum, alia facile, alia difficillimè dilui: noſtra ſecula tenebris circunfuſa eſſe.*

Cap. XVI.

LONGE aliud profectò eſt, ex fragilitate, aut ignorantia in venialia, quæ vocant, errata di labi, ſine quibus hæc vita noſtra non ducitur dicente ſcriptura: Septies in die cadit iuſtus: (Prouer. 24.) quo nomine etiam à benigniſsimo Saluato re docti ſumus quotidie precando dicere: Di mitte nobis debita noſtra; (Matth. 6) aliud autem ſcientes, ac prudentes perpetrare illa. (Lucæ. 11.) Etenim priora ea longe facilè pientiſsimus indulget Pater, quamplurimiſque modis ab illo illorum ve nia obtinetur: at quæ facti conſcientia committuntur, diffi cilimè dilui equidem dicam. In cauſa aio verò, nō ipſa leuio ra delicta, ſed iſtam animi conſtitutionem conſceleratā, quæ nullius penſi ducit, vt vel leuiter à ſe offendatur Deus. *Pro* peccatis omnis generis expiandis, ille quidem ignominioſiſsi mè agi in crucem voluit. Quantum ergo in ſe eſt, tantū be neficium inefficax reddit, atque contemnit, qui ab his cum po teſt, temperare ſe nolit. Quid amplius contra hanc, negligen tiam'ne dicam, an iniquitatem noſtram? quę vſque adeò vni uerſos obſidet nos? qui quicquid bonorum habemus, ac ſpe rare poſſumus, ab vno illo, erga quem tam indignè nos habe re non pudet, percipimus: qui etiam ſi in ſumma boni ſcien tia luceq; nobis verſari videmur, nocenti tamen iſta caligine ita nunc obducti ſumus, vt non rem leuē eſſe perſpiciamus, e tiam leuiſsimis in rebus contra Dei Opt. Max. voluntatem non inſcios delinquere Et quidem ſi vllo tempore vnquam, modo certè densę tenebræ, carniſque regnum longe lateque occupat; & non falsò dici poteſt completum eſſe noſtro ſæcu lo, quod Diuus Paulus ſcripſit: (2. Timot. 3) In nouiſsimis diebus (ait) in ſtabunt tempora periculosa, & erunt homines amantes ſeip ſos, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedien tes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incō tinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumi di, voluptatum amatores magis, q̄ Dei, habentes quidem ſpe ciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Nunquid à peritiſsimo pictore imago propoſita melius, atque ab Apoſto

lo,

lo, mores nunc noſtri, expreſsi fuiſſent? In hoc ergo ſtatu degentibus nobis, pręcidenda, non offerenda maioribus malis eſt occaſio. Et corporum medici, qui ſalutem ægrotorũ, non aurum amant, ſolicite edicunt, imperantq́; vt non ſolum á manifeſte noxiis temperent, verumetiam ab his, quæ innocue ſumere incolumes poſſunt. Quid igitur in re animæ faciundũ, quæ ſexcentis nominibus corpori anteferenda eſt? Sed nos tandem cohibere decet, & ad inſtitutum longiore digreſſu intermiſſum referentes nos, illud primum quod antè dicere memini, rurſum commemoramus. Si pietatis chriſtianæ eſt, ac religioſi animi, culpam vereri vbi interim ea non ſit, & ab his actis abſtinere, quæ tametſi ab vno, aut altero carere culpa exiſtimantur, à pluribus tamen non minus doctis, q̃ probis vitioſa cenſentur, quanto magis cauere ea decet, quæ ſolidis rationibus probantur iniqua?

COLLIGITVR IN SVMMA CAMBIA SICCA VSV *variè, & minimè ad communem vtilitatem, ſed propriam exerceri.* Cap. XVII.

QVAE cum ita ſint (vt ad id quod proprium maximè noſtræ eſt cauſæ veniamus) cur eſt quæro, quod præcipitii periculum, atque adeò caſus ipſe in tantum amatur, vt cambia iſta, quę fortioribus argumentis, ac verioribus iniqua probantur, tanquã iuſta, eo quòd ad venditionis, aut innominatum negocium neſcio quod, reduci poſſe exiſtimatur, mordicùs approbare, & in vſum habere volumus? Atqui probatum abunde fuit non tam noſtris, quam ſecundum grauiſsimorum doctorum doctrinam, atque adeò ex ipſa rerum natura deductis argumentis primũ ſi ad vllum negocii genus referenda ſint; omnium potiſsimum mutationi conuenire. Nam in his propriè permutationem eſſe omnes ferè negant: & licet per accidens ea intercedat interim, propter varium genus numiſmatum, ex varietate locorum, vbi vltro citróque aſsignantur: non hoc tamen eſt, quod cambiatores iſti præcipuè facere ſibi præſtituant, ſed ex nummorum iſto mercimonio lucrum percipere. Dein ſi mutuum hic maximè eſſe conſtat, cum etiam de fine lucri conſtare nemo non videat, conſtet neceſſe eſt iniuſtè vſurarie

que illa exerceri. Quid autem in dubium voces, vtrum nam ſupra ſortem lucrifacere iſti ad hæc cambia addicti, intendant quin, & re ipſa lucrentur? quandoquidem iuxta regulam: Quod patet expreſſè, non eſt probare neceſſe? Egregiè diſſuetiſſent (crede mihi) ac minimè frequentarentur, ſi abſque lucro fierent. Non enim caritas illa, ac ſtudium publici boni ita iſtos obtinet, vt etiam ſi non lucrarentur, ad communem tamen vtilitatem ipſa exercerent. Nam & hinc, inculpatos iſtos quidam affirmant, quòd pro bono publico principaliter, ſaltem tacitè, deinde pro proprio ad honeſtum finem cambiis vacant. At hæc ratio certè non multo labore cadit, propterea quòd non publicam vtilitatem, ſed ſuam ipſorum principalem præſtitutam habere in hac lucrandi arte, vel ipſi niſi negare verum velint, fateri cogentur. & verè tacitam habent ipſius publici commodi intentionem, de qua vix fortaſſe cogitare illos contingit. Si ergo, quod dicebamus, abſque proprio lucro & commodo peragerentur iſta, non ita diu tollerentur de medio: ſed quia per hæc, breui, neque ita periculoſè, ſeu etiam minus cum labore, non parua fit lucri acceſsio, cæteris negociis ferè omiſsis (vt apertius falſum intelligatur eſſe quod aiunt, iſtæc perutilia publicè commerciis eſſe) ea plurimo habentur in vſu. Quid denique tam multa contra hæc redarguenda coaceruamus? quocunque nomine appellentur, cum non niſi pecuniæ dentur hic ac reddantur, ſiue hoc Genuæ, ſiue Mediolani, ſiue per eundem, ſiue per varia loca faciant, ſiue eiuſdem, ſiue alterius generis fuerint illæ: & cum in vniuerſum periculis, vt res cæteræ in negociatione non ſubdantur, coniuncto his ſemper propoſito ac ſpe lucri; qua ratione, chriſtiano homine quæ digna ſit; vt ne vſurariè tranſigantur, atque indelebili iniquitatis nota ne inuſta ſint, & in ſumma damnentur, defendimus?

CONFVTATIO OPINIONIS CVIVSDAM MAGISTRI *de arte campſoria.* Cap. XVIII.

AD alia nunc mihi tranſeundum eſſet, niſi ſcrupulum quendam adhuc amouendum in hac horum cambiorum cauſa, reliquum factum viderem. Expendere enim antequàm de hac re finiam, operæprecium exiſtimo nonulla cuiuſdam, cuius in cambiis ingens exiſtimatio & auctoritas habetur, quibus artem hanc campſoriam (ſic enim vocant) approbare præſe fert. Sic enim ille habet. Ars campſoria (inquit) quamuis à philoſopho vituperetur, & ratione materiæ, quia tantum numiſmata tractat, à proprio numiſmatum vſu diuertens: & ratione finis, quia lucri gratia quod fine caret: & vtriuſque ſimul, quia pecuniæ (vt inſtrumenta Oeconomicæ & Politicę) habendæ, querendæque ſunt non propter ſe, ſicut nec quodcunque aliud organum propter ſe appetitur: ſi tamen ex hominis campſoris fine (ait) honeſtatur, vt potè ad familiæ, & ſtatus ſui decentem ſuſtentationem ordinata, licita, eſt, quemadmodum & aliæ negociationes. Addit mox confirmationem, quam inde ſimilibus illuſtrat. Ac primum quidem, ſi in vniuerſum huius verum ſit argumẽtum; æquè non minus cohoneſtari poterit & ipſa manifeſta vſura. Quis enim, rogo, ad familiæ (vt ait) & cõdecentem ſtatus ſui ſuſtentationem, adde & ad beneficientiam in egenos, vt in finem, vſuras perditiſsimus referre non poſsit? quo quid abſurdius? Nam quod formam mali ſemel habet (quod ad actus noſtros attinet) niſi ipſam formã exuat, nunquam vt ſit bonum, ob cuiuſuis honeſti finem ſequetur. Alioqui adulterari liceret ſaltem (ne plura) ob tuendam vitam. Iam quod de occiſione hominis affert, ſophiſma eſt. Non enim propriam homicidii formam, quo Dei lex vniuerſos interdicit, actus ille ſimplex occiſionis retinet, dum ſecundum leges facinoroſus homo occiditur: ſed iuſtitiæ opus is erit ac iure dicetur, quod perinde ex Dei voluntate efficiendum. Tale erat, quod certè peragere deſtinarat Abraham, vnde laudem ampliſsimam eſt conſecutus. *Iſaiæ.* 22. Quòd vero medendi artem probro dignam affirmat, cum lucri gratia exercetur à medicis, hallucinari hominem acutiſsimum alioqui, quis non adeò miretur? At quantò (vt ad hominem,

quod

quod dialectici aiunt, interim arguam) ſexcentis conuiciis di gniorem campſoriam artem , quę ad lucrandum deſtinata, inſolentiſsime pecuniam in commercio habet? Cæterum ſi quę per ſe bonæ ſunt res, abutantur , non eſt in rem ipſam, ſed omnino in abuentium animum reiicienda culpa. Semper autem honeſta eſt, & cum laude ipſa ars medicorum : in crimine verò illius abuſus, & adeò mens auri ſitiens . Hoc certè paralogiſmo ; & philoſophia, & Theologia noſtra explodatur neceſſe eſt : quandoquidem non parum multos philoſophari, ac theologari (vt hoc inſolenti verbo vtar) peruerſiſsimè vtinam non videremus. Non eſt ergo quòd ex Ariſtotelicis commentis, artem campſoriam indefinite ſine bono vllo honeſtam reddere contendamus: ſed prudenter diſtinctum oportebat, quando inculpatè & honeſtè , quando nefariè ac turpiter, ne pueriliter fallacia de dicto (vt aiunt) ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter incurratur. Quemadmodum ergo venditionis negocium ipſum, non toto genere vel approbatur vel improbatur, ob finem videlicet illum bonum aut malum, cuius gratia lucrum per ipſam venditionem exquiri vſu uenit, ſed ob res potiſsimum quas circa exercetur : Id enim tum honeſtum eſt, cum de rebus neceſſariis, & commodis rationabiliter humanæ vitæ habetur ; turpe autem quoties de rebus, quæ vt oleum flammæ peccatis incendium ſufficiunt: Sic nimirum de arte campſoria ſtatuere oportet, vt neque abſolutè damnetur, neque etiam abſolutè comprobetur . Approbari autem vltrò aſſentimus, atque adeò commodam neceſſariamque dicere non veremur, cum priuatim tū publicè per duo realia illa, ad minutum alterum dictum, alterum per literas. At in hoc tertio genere , quod Siccum ex multorum auctoritate doctiorum continenter appellauimus, commodiſſima facta eſt illa quidem , ſed minimè citra nefas ; vt abunde eſt demonſtratum.

CAMPSORIA ARTEM IN SICCIS CAMBIIS *eſſe detrimento Reip.* *Cap.* XIX.

QVID, quod etiam in hac parte, ea ars contra id quod in ipſius defenſionem arguunt (vt pauló ante indicaui) perquám detrimentoſa eſſe conuincitur? Quamquam enim pecunioſis iſtis præſertim, opum augendarum commodiſsimum inſtrumentum eſſe experitur; in vniuerſum tamen, damna ingentia Reipublicæ importat. Teſtis(ne longe exempla petamus) ipſa noſtra RES: in qua horum cambiorum gratia (præter alia) cæterarum rerum honeſta negocia, maiorem in modum diſſueuere. Etenim cum hiſce deploratiſsimis ſæculis neutiquam tutó, ſed ſummis cum periculis per varias regionum oras commeare negociando homines poſsint; contra per hæc cambia, facilius, minore labore, extra pericula ferè, & non ita diu, non mediocria lucra reportent, huc ſe toti dedentes hi bene nummati cumprimis, ab his negociorum generibus, quibus populares & manuarii artifices plurimum iuuantur, egregié abſtinent. Vt igitur paucis(ad totam multitudinem) plurimum emolumenti afferre, ita frequentiſsimi vt damna incurrant, in cauſa eſſe iſthęc ſicca cambia comperiuntur. Separandum ergo precioſum à vili, neque confundenda eſt cum honeſtate turpitudo, quia vę dicitur illis qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: *Iſa. 5* quod, ne quando fiat, cum Dei gratia, omni ratione cum optimo quoque prouidendum.

Cæterum ne plus nimio præſens liber excreſcat, quæ præterea dicenda habemus, in ſequenti explicabimus.

DE LATISSIMO AVARITIAE DOMINATV

LIBER IIII.

PRAEFATIO.

NOS quidem lector, cambiorum Siccorum iniuſtitiam demonſtraſſe quantum ſit ſatis, arbitramur, & credimus, idque verò non ita artícioſa oratione, ſed euidentibus ac certis (*niſi fallor*) argumentis, quæ ex ipſa rerum natura, ac incorrupta ratione, & ſecundum christianam potius, quàm exoticam aliam philoſophiam, deduxiſſe nobis videmur. Ac (vt per ſumma quædam capita, quæ in hoc ſpeciatim argumento diſcuſsimus, referamus) explicatum eſt nobis pecuniam eſſe, quę vænundandarum rerum, vel quo quo modo commutandarum, precii ſit moderatio, ac regula, ſecundum quam res ipſæ iuſtè commutantur. Ad hunc ante omnia uſum percuſſam illam, atque ſignatam, & hoc nomine commodo negociationi eſſe: negociationis item gratia permutationes inter ſe nummorum fieri, tranſuehique illos ſæpenumero ex alio ad alium locum: neque ipſam pecuniam propriè negociationis genus habere, ſed inſtrumentum negociationis ipſius potius eſſe, eique ſubſeruire. Ex permutatione reale illud ſimplex, quod ad minutum vocitatur; ex tranſuectione autem, quod reale per literas dicitur, cambiũ haberi: quæ duo genera ex ſe cõmoda, & inculpata, cum publicè cum priuatim eſſe confirmamus. Hæc autem ſicca, vt vt proprium negocii genus facta ſint, atque adeò vtcunque alii ad alia genera reduci velint, quantumlibet varientur, vel appellationibus, vel peragendi modis, ſi tamen ad vllam negociandi ſpeciem coniungi habeant, omnium maximè ad mutuationẽ

tuationem pertinere comprobauimus. Probauimus ad hoc, vendi reuera per ſe pecuniam haud poſſe: incidere ſæpe tamē, vt per conditiones nonnullas augeri, aut diminui de ipſius legitimo precio aliquid appareat; pro materia autem vendi poſſe, quamquam illud rariſsimè contingat: publicæ autem poteſtatis intereſſe euidēs fecimus, nummis precia præſcribere: neutiquam verò priuatorum hominum, præſertim auaritiæ incumbentiū. Quod ſi fieri vſu venit, illud abuſum eſſe, atque correctione digniſsimum. In ſumma, dicta hęc ſicca cambia iniquè fieri, & lucrum inde omnino iniuſtum eſſe, quod protſus reſtituendum ſit; confirmauimus. Qua re optimè illos colligere, qui non niſi in fraudem vſurarum excogitata ea, & barbara hac voce, & de vulgo ſumpta, vſuram ipſam continere, non tam interpretatiuè, q̃ verè, affirmant. Vnde nummulariorum artem ſiue campſoriam, quam duorum aliorum generum gratia honeſtam vltrò aſſentimus, dū in hoc tertium genus incumbit, iuſtiſsimè improbari, damnarique palàm factum eſt. Et licet priuatis quibuſdam percommodam illam; at generatim ciuitatibus, Rebus publicis plurimorum damnorum cauſam habere. HAEC ferè, quæ nos variè in præcedentibus de hac cambiorū tractatione diſſerere opportunum fuit, quamuis alia dicenda haberentur, quæ in magis ipſorum propria diſquiſitione produci potuiſſent.

DOMINATVM AVARITIAE ARGVI ETIAM EX *vſu frequenti ſiccorum cambiorum apud mulieres, ſtrictimque exponitur de ærario, quod Diui Georgij dicitur. Cap. I.*

HAEC igitur cum ita ſint, vt ad noſtrū de principio iamdiu conſtitutum propoſitum referamus nos, collectis itidem cæteris omnibus, de quibus in præcedentibus tribus libris variè p tractauimus: conſtanter probatum nobis relinquitur, quod ab ipſo dicendi principio conſtituimus; immaniſsimum tyrannum auaritiam, longèlateque dominari in nobis. Nam præter tam multa commemorata iamdiu indicia execrandi mali huius, quotus quiſque eſt qui (modo poſsit) ad hæc dicta cambia manum non miſe-

rit? Taceo verò circa ipſa infandas abuſiones, quæ ab aliis præclarè expoſita, & peroptimè damnata fuerunt. Omnes ferè, non ſolum viros, ſed etiam fœminas, quæ aliquouſque re preſtant, hiſce peruti cernimus. Et enim (vt vnde anſam nonnullam præripere videntur iſtæ, exponam) cum ex diui Georgii comperis, lociſque (vt vocamus) nunc ea emolumenta non percipiantur, quæ ante: ad hæc, cum ob calamitates, ingentiumque malorum procellas, quæ paucis, imò non iam paucis, ſed multis ab hinc annis nos obſidét, ingenti diſcrimini patere id ęrarium videatur; vt quà poſſunt rebus ſuis propterea conſulant; diuenditis locis, ac paghis, quę poſsidebát, & quæ præterea apud ſe pecunias aliis modis retinentes, in idem repoſiturę erant, ipſas in vniuerſum pecunias ad hæc cambia conferunt. Longum valde eſſet, neque etiam opportunum, qua ratione moti maiores noſtri hoc Diui Georgii ærarium inſtituère; & quæ ſit illius forma, inſtituta, leges. Hoc tantum dicam: tametſi de principio conſtitutum fuerat, vt commoditatibus, atque impendiis eorum, qui ea tempeſtate rerum potiebantur, inſeruiret; in ſequentibus tamen annis communi omnium vtilitati, maximè mulieribus, præſertim verò viduis, pupillis, atque monachorum ſodalitiis eſſe, experientia ipſa intelligebatur. Nam, vt cæteris omiſsis, de mulieribus dicam: cum ſemotę hæ ſint à negociis, & ob ſexum eas domi cum verecundia, atque omni honeſtate degere, publicum fugitantes, præſtet: hac via proſpici ſuis impendiis non incommodè videbatur. At verò quia eius ęrarii prouentus ex vectigalibus maxima ex parte colliguntur; vectigalia autem ex negociorum defectu diminuta, minus reſpondere contingit: contrà ob bellorum tumultus frequentiores in militum ſtipendia, & alios bellicos apparatus, inde plus ſolito expendi neceſſe cum ſit, parum admodum relicta illic pecunia, vnde cæterorum, quos diximus, vſui occurri poſsit, addita ſuſpicione (vt dictum eſt) publici illius ærarii, ne aliquando diſturbetur: ideo ad hæc cambia ipſę etiamnum fœminæ manum iniecere. Quid nos hic dicimus? Nempe honeſtum eſſe neceſſariis ſuis prouidere, ſed ante diſpiciẽdum ne modis iniquis id fiat.

CHRISTIANI NON ESSE HONESTATI VTILItatem anteponere, iniquitati occurrendum eſſe, cuius gratia Deo procurante aduerſa nos premunt.

Cap. II.

INFIDELIS quidem, & is, qui virtutis, ac vitii ignorans ſit, excuſari fortaſſe poſsit, ſi quã dum rerum indigus ſit, honeſtati vtilitatem anteponit. ſed quòd chriſtiani hoc faciant, omnino abſurdum, atque vitioſum eſt. Si iniuriam cenſet homo tantùm philoſophus, vt in naufragio ſapiẽs tabulam de ſtulti manu extorqueat; qua, ſi poſsit, euadat: quanto magis à nobis, & iniuria, & omnis turpitudo cauenda fuerit? neque ob vllam vtilitatem facinus cõmittendum? Vices noſtræ fuerint (ſi homines ſumus quidem) deplorandæ; ꝙ turbinibus iſtis expoſiti, ab omni propè angulo cum moleſtiſsimis rebus obluctamur. Sed his remedia perquirenda erant, non ea mala augenda. Vnde quęſo tanta eſt malorum, quibus premimur, moles? Vnde perturbationes? calamitates? vnde rerum penè omnium tam ingens defectus? Hoc expendi perueſtigarique erat dignum; & agnita cauſa, quę certè haud intimè latet, pro virili, vt pręcideretur incumbere. Et diximus aliàs iam, & neque dum repetere piget: non caſu, neque vna modò regum ira, ac libidine, ſed ante omnia, quòd innumeris modis, maximè verò perditiſsima habendi cupiditate in Deum noſtrum iniurii ſumus, miſerabiliter exagitamur. Hæc vera mala, hæc extimeſcenda, ac omni robore propulſanda ſunt, quibus quidem magis, quàm externis hiſce, quæ vere piis incredibiliter commoda ſunt, proindeque non reuera mala, circumfuſi ſumus. Hęc igitur origo, ac fons calamitatũ noſtrarũ, vt cohiberetur reſtinguereturque, vigilantiſsime danda opera erat: non item ſcelera ſceleribus vt committerentur. Hoc addere oleum camino eſſe quis neſciat? & iram Dei vltionemque in caput noſtrum arceſſere vehementiorem?

COTRACTVS PECVNIARVM CVM PRINCIPI*bus inſigniter auaritiæ tyrannidem prodere: multum à maioribus præſentes differre, vel mortis meditatione reſtinguendam habendi cupiditatem.* Cap. III.

AT verò cur ſub ſilentio prætercam ſignifican-
tiſsimas illas quàm quæ maximè, notas aua-
ritiæ atque acta, quibus diuites noſtri cum
principibus ac regibus vtuntur? Aperta enim
cum in eis ſit vſura, ac turpiſsimum lucrum,
nullo tamen pudore chriſtiani obeunt. Dant
Cæſari, dant huic aut illi principi bene nummati ciues myri-
adas aureorum, ac pro centenario quoque 20. aut 30. aut 40
etiam inſuper vt percipiant in pactum conueniunt. Heu
indignitas. Quid tantum auaritia dementati ſumus, vt ma-
nifeſtiſsimum ſcelus atque infandiſsimum facinus non ſo-
lum non abhorreamus; verum etiam ſtudioſiſsimè facia-
mus? & cælare malum fortaſſe ſibi videntur poſſe ficticiis
quibusdam nominibus, & conditionibus ſimulatis: ſed fu-
cum facere ne dum Deo, ſed nec ſano quidem homini, haud
vnquam præualebunt. Hinc potiſsimum, vt iam dudum
peſsimè audiamus, & hac nota ignominiæ pleniſsima, ab cæ-
teris chriſtianæ Reipublicæ populis ac nationibus, non aſper-
ſi modo, ſed impreſsi tanquam indelebili ſigno penitus fron-
tibus ludibrio, probro ac ſannis cunctorum pateamus. Mo-
deſtos ac pios ſe Iudæi præ nobis euincent, ſi nobiſcum com-
1.*Mach.* 1 parentur. Simulacrum deſolationis à ſcriptura memoratũ,
Matth. 24. ſi quis inter nos erectum dicat, quis contradicere iure pote-
Eph. 3. rit? Simulacrorum ſeruitus (teſte Paulo) auaritia eſt. quod
Coloſſ. 3. ſi non hinc illa patet; neſcio an aliunde coargui iam poſsit.
Nemo verò pluribus verbis atque argumentis damnatum
caſtigatumque iri à me ſpeciatim hoc facinus expectet. Pluſ-
quam ſatis apertum illud extat: & qui vlla religione tenetur
horret, abominatur, ac fulmine dignum cenſet. Non ita pri-
dem (vt hoc tamen præterea commemorem) conuicio erat,
& digito oſtentabatur: qui lucri gratia coemebat paghas, &
apud maiores noſtros, tantum non vt vſuræ vacans vitaba-
tur, & in cœtu proborum fere non admittebatur. Quid, ſi
e tumulis excitati, ita vſuris vt honeſtis negociis operam im

pendi cernerent, agerent quæſo? Admonet Diuus Paulus, 1.Cor.5 preter alios, vt cum auaris ne cibum quidem ſumamus: at hi quos dicimus, in oculis ferè omnium habentur, atque magnifiunt. Non eſt ergo, non eſt, quam ob rem dicere poſsimus, pernicioſiſsima auaritiæ contagione infectos non eſſe. quacunque parte conuertas oculos, quiſque auaritiæ ſtudet, a maiore ad minorem; & indigne admodũ aquis iſtis peſtilentibus immerſi iacere cernimur: quo fit, vt ira Dei & eius flagella grauiter nos pulſent, & maiora certè impendere dinoſcantur. Igitur ſi dolemus, ſi votis deſideriiſque, ſi voce, ſermone, ſcriptoque, ſi denique virtute omni qua poſſumus curamus, contendimus vt tantum malum agnoſcatur, agnitũ vt curetur; opera adhibeatur quam ſtudioſiſsimè: non inſolenter, non ineptè, non improbè facere nos exiſtimare quis debet. Quid eſt quod tantopere chriſtiani in rebus atque fortunis augendis acquieſcunt? qui ſe hic peregrini eſſe, patriam verò cœlum habere, tantiſper autem vt milites, ad nutum ſummi imperatoris omnium Domini noſtri *IESV CHRISTI* in tabernaculis commorari intelligunt? Hoc vnum in ſumma, quòd nos omnino morituros ſcimus, etiam ſi nulla in explenda hac perditiſsima cupiditate culpa committeretur coercere hinc homines fortiter debuiſſet. Nũc verò cum iſtud ſexcẽtis modis turpe atq; impium ſit, cum videlicet aduerſus naturã, aduerſus proximũ quẽcunq; feratur, cum nos ipſos frequẽtibus malis & corporis & animi ſubdat: deniq;, qđ oĩum maximè improbum eſt, cum Dei legi atque voluntati conſtet aduerſari, vt ne memoria quidem eius ſceleris audiatur inter nos; omni ſtudio ac viribus obnitendum eſt.

BONAS EX SE ESSE DIVITIAS, SED EX CORruptione animi fieri exitio poſſidentibus.

Cap. IIII.

SED amantur diuitię, & ex eis plurima & maxima commoda habentur, inquit: quam ob rem latius in vniuerſum de ipſis oportunus hic mihi locus diſſerendi cõſtitutus ſit, & quę à principio totius huiuſce noſtræ tractationis obiici ſolere diximus, confutandi. Audiat ergo vel legat, quiſquis hæc noſtra volet. Quòd bonæ ſint di-

uitiæ non negamus, eiſque nonnullos, qui Deo placuere, abundaſſe: & vtilitates multas inde percipi poſſe etiam ſci-mus. Sed quid, ſi ex infirmitate atque deprauatione animo-rum, ſummo eſſe exitio deprehenduntur? Et vinum bonum eſt & ſalutare, cum modo hauſtum: ſed intemperanter, per-niciem afferre nemo ignorat. Ferro autem ac gladio ſanus homo tutari ſe, & adorientem ſe hoſtem depellere poteſt: fu-rioſus vero atque imbellis, eo periculoſè vtetur. Quicquid enim ſummus ille Deus conſtituit, quippe qui omnia ſiue in cœlis, ſiue in terris, ſiue in aquis, & aere ipſo vnus effecit, ne alium præterea commentitium cum impiis ac deliris Mani-cheis conditorem dicamus: Quicquid, inquam, ille condidit ſiue cantharides, ſiue muſcas, ſiue cocodrilos, ſiue aſpides, ſiue alias penè innumeras rerum atque animantium ſpecies; quamquàm venenis armata, atque alio quocunque modo pernicioſa videntur, bona tamen ſunt vniuerſa; quòd ipſa cuncta effectus ſint ipſius Dei, qui princeps illa, & abſoluta omnium, atque optima eſt cauſa: quæ dum operatur, *mini-mè* ab alia cauſa impediri poteſt, quo minus bonum ſit quod efficit. At verò nos in cauſa ſumus, vt quę natura ſunt bona, mala, experiamur, qui non ſuo modo, neque ordine; præſer-tim dum contagione peccati infecti ſumus, illis vtimur. Por-rò ſi cæterorum ferè omnium; diuitiarum potiſsimum opũ-que abuſus, maximè nocet. Vt enim cupiditatibus aliis pro corrupta natura, inertia, ſupino ſtudio, quod huc confertur, valde ſit difficile modum ponere; habendi appetitum alio-qui à pauciſsimis edomari, iuſtè vſu venit. Quod tanto ma-gis demirari ſubit, quod hunc à ſapientibus prætet naturam eſſe vt iam diximus definitum eſt.

PATRIBVS ANTIQVIS OB PROBITATEM ANI*mi haud nocuiſſe diuitias, ea parte illos imitandos, qui ſu-periores nobis in frenanda auaritia fuere.* Cap. V.

QVOCIRCA illuſtriſsimi declarantur anti-qui patres, qui in rerum ſumma exuberantia, animum ab ea libidine multo liberrimum re-tinebant. Quid de Abraham dicam? Hunc enim inter alios nobis opponunt. Nam, vt multa alia pręclara argumenta, quòd in ma-

ximis opibus pauper ſpiritu eſſet, prætermittam: cum à cęde regum reuerteretur, qui expugnatis ac direptis Sodomitarum vrbibus, nepotem eius abduxerant, potitus ampliſsimis ſpoliis, tantillum ex eis, qui bonam partem iure belli potuiſſet, licet vt id faceret penè cogeretur, accipere neutiquam acquieuit. Quid cum ſepelire vellet amantiſsimam coniugem, cum vim tantum non inferrent filii Heth, vt pro voto modeſtiſsimus ille citra precium vllum inter ipſos monumẽtum illi condiendæ deligeret, prius ipſe nequaquam aſſenſus eſt, q̃ iuſtam pecuniam liberaliter numeraret? Hunc animũ quisquis tm̃ virum ditiſsimum mihi obiicis, hunc ergo viri optimi animũ fac mihi primũ retineas: mox per me fortaſsis vt ditiſsimus eſſe ſtudeas licebit. Ac Iobum verò illum qui adducis: vide ſignificationem ſole ipſo illuſtriorem, animi illius à noxia cupiditate alieniſsimi. Poſteaq̃ omnia, quę ex ſcriptura nouimus, inuidia, & artibus ſatanæ amiſit, in eā verba deuenit; Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abſtulit: Sit nomen Domini benedictum. Quæ rupes? quis adeo ſcopulus, aduerſus fragorem immaniſsimorum fluctuum, conſtantior hoc animo? Quanti quæſo habebat diuinus hic vir tantas copias? Quæ oratio ſatis laudare hunc laudatiſsimum poſsit? Quot tela haberemus ex huius beatiſsimi, & verè ſecundum Deum locupletiſsimi terrenis etiam opibus, ad noſtri temporis diuitum hominum diuitias; imò verò diuitiarum cupidos animos confodiendos? Sed conſultò continemus nos. Tantum etiam atque etiam vide quid facias. Non tibi ô bone quod in ſenſibilibus iſtis diuites fuerint, ſiue Abraham, ſiue Iob, ſiue quécunque allegare præterea contra me cures, imitandi erunt; ſed probitatis atque præclariſsimarum virtutum gratia, quę in eis elucebant, in primis verò quòd in affluentia rerum, mentem à morbo auaritię vndecunque liberam habebant. Hei quantum nos infra iacemus? vt nos noſtri cauſa pudere oportet, ruboreque maximè ſuffundi? Illi in lege, imò (præterquam naturę) ſine lege; quãdo non ſolum permittebantur; ſed etiam promittebãtur terrena bona, antequam *CHRISTI* lux, euangelium, doctrina, atque ipſius auguſtiſsima exempla vitæ mundo ſplendeſcerent, antequam, qui innumerabiles inde edocti diuitias omnis generis contempſere, præiiſſent; ita tamen ab hac luce

Geneſ. 23

Iob. 1

longe poſiti, ſublimes conſpiciebantur. Nos poſt illos, poſt ipſum Dominum, poſt infinitam optimorum chriſtianorũ multitudinem, quorum exempla obuia habentur; adhuc ſi Deo placet, auro, & argento inhiamus, bonique noſtri ſummi in his conſtituere proram ac puppim (vt dicitur) effectis prænobis ipſi ferimus. Non malæ ſunt (vt rurſum dicam) diuitiæ, ſed cum ita nos affecti ſumus, toxicum efficiuntur, & toxico atq; aconito quouis nocentiores nobis. Qua re, qui vt ab illis contineamus ſeriò docet, optimè cõſulere exiſtimãdum, & eũ qui hunc ſpernãt, ſummo ſuo malo illud facturũ.

INDIGNISSIMVM ESSE NOS AD AETERNA BOna *vocatos cum hæbreis ſumma cupiditate in temporalibus acquieſcere.* Cap. VI.

HEBRAEIS obſeruantibus Dei ſtatuta, conceſſa erant latifundia in premium; vbertas (in vniuerſum) rerum omnium repromittebatur; nempe q; animis nimium puerilibus, craſsis adeoq;, & carnalibus maximum in modum ad ſpiritualia (quod generatim dicimus) bona, & inuiſibilia attolli nequibant. Aſſueti enim ſenſibus, quæ minimè ſenſibus, percipiuntur, ne imaginari quidem poterant. Excipio ſingulares, ac diuinos inter eum populum viros, qui nimirum ſub imaginibus terrenarum rerum, eximia bona noſtra ſola mente comprehenſa peruidebant. At nos ad tantam lucem vndiquaque diffuſam, quid cæcutimus? Quid poſt oſtenſa, & promiſſa bona cæleſtia (vt vno verbo eorum infinitionem complectar) beati his ſenſilibus, illis poſthabitis, nos exiſtimamus? Quòd ſi Iudæos imitari delectat, cur non circumcidimur? cur non ſacrificamus? Alia eorum multa prætereo. Dei cum eximio munere nos illa maneant, quæ nec oculum vidiſſe, nec aurem audiuiſſe, neque in cor hominis aſcendiſſe cum propheta Diuus Apoſtolus atteſtatur; à nobis certe hæc viſibilia ſpreta, proculcata, exibilataque oportebat. Si reuera chriſtiani eſſe volumus, vltro ipſa præterquam, quæ ad tuendam vitam opus eſſent, contemnere, ridere, abiicere deberemus; ac Iudæis tandem, & infidelibus, & his denique, qui nulla notitia futuræ beatę vitę excubti præſentis duntaxat commoda ſentiunt, derelinquere:

Deut. 28.

Iſaiæ. 64.
1. Corint. 2

AVCTORITATES ALIQVOT PRAESERTIM *noui teſtamenti in diuites ac diuitia, & quod ſignificet mammona.*

Cap. VII.

SED ne hæc perorare modò videamur,minuſ-
que ſibi perſuaderi diuites noſtri patiantur;
agedùm fortioribus vtamur. Afferamus ro-
buſtiora diuinarum ſcripturarum teſtimonia
præſertim noui teſtamenti,quod veteris cul-
men eſt,atque perfectio. Omnia, inquit Solo *Eccleſia.* 11
mon,tempus habent,& quæ nunc opportuna cẽſentur:mox
compluribus connumeratis importuna demonſtrat. Tẽpus
(ait)naſcendi,& tempus moriendi,& quæ ſequuntur. Ad hãc
ſapientiſsimi regis auctoritatem,audi Paulum illum conſen
tientem. Hoc itaque dico fratres (inquit) tempus contractũ
eſt: ſupereſt vt qui habent vxores, tamq̃ non habentes ſint; 1.*Cor.* 7
& qui flent,tamq̃ non flentes; & qui gaudent, tamq̃ nõ gau
dẽtes;&qui emunt,tamq̃ nõ poſsidentes;& qui vtuntur hoc
mundo,tamq̃ non vtantur. Preterit enim figura huius mun
di. Conſiderate ſerio conuenit, quibus hæc ſcribat: Corin-
thiorum promiſcuæ multitudini nimirum,&per eos chriſtia
nis vniuerſis,nulla conditionum,ordinum, ac ſtatuum habi-
ta ratione. Permittebantur autem Iudæis (vt iam diximus)
temporaria bona,permittebantur iuramenta,permittebatur
cõiugis repudium,permittebatur vindicatio iniuriarum: ſed
vt hæc omnia *IESVS* meus correxit,ac vt a nobis præſtan
tiora efficerentur ſapientiſsime declarauit; ſic & in diuitiarũ
vſu multa accuratiſsimè docuit. Audi mihi quicunque no-
men ipſi *CHRISTO* dediſti,eundem ſancientem ex aucto
ritate Patris,quid tibi facto ſit opus; ne mea eſſe verba cauil
lere. Audi mihi (inquam) primum hoc diuiniſsimę legis,ac *Matth.* 5
doctrinæ ſuæ. Amen dico vobis,niſi abundauerit iuſtitia ve
ſtra pluſquam Scribarum,& Phariſęorum, non intrabitis in
regnum cœlorum. An non vel hoc vnũ nos validiſsimè pro
ſternit? Sed prolixius ad hanc vnam generaliorem examina
re ſententiam vitæ noſtræ modum in præſentia nolim. Vi-
deamus,quæ ſint noſtræ cauſæ magis propria. Atque illud
cum primis animaduerte quem beatum vocet. Nunquid di
uitem? nunquid pecuniis inhiãtem? Beati pauperes(inquit) *Lucæ.* 6.

quoniam veſtrum eſt regnum Dei. Beati qui nunc eſuritis,
quoniam ſaturabimini. Eſto ſit ſpiritus, atque animi præci-
pue hæc beata paupertas,& eſuries: magnum etiam momen
tum ad eam affert externa iſta, vbi ſpirituali ipſi cōiuncta fue
rit. Quod vt manifeſtius cognoſcas, in Lucæ euangelio, ſi-
mul vt, quæ adduximus protuliſſet, poſt beatitudines ceu ex
iuſta antitheſi, adiunxit: Verum tamen vę vobis diuitibus,
Luc. 6. quia habetis conſolationem veſtram. Vę vobis, qui ſaturati
eſtis quia eſurietis. Audin'tu diues meus? Audin' qui tot, tā
taque cōmoda opum mihi denarras? Væ illis dicit. At quid
in illo væ contineatur, vel cogitatione complecti totus exhor
reſcit vere' pius. Sed mecum inſequere in verba ſapientiſsimi
Matth. 5 magiſtri. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi æ-
rugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.
Ad hæc poſt aliquot verba: Nemo poteſt duobus dominis
ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut
vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Iam ne diu multum
que animi penderemus, de quibus diceret Dominis *ignari*,
confeſtim addit. Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ.
Quid autem ſignificet Mammona, nemo ſcripturis ſanctis,
atque doctrinæ eccleſiaſticæ, vel parum aſſuetus, ignorat. Sy
riaco enim atque Chaldæorum (quem dicunt) ſermone, id
vocis, ſubſtantiam, opes, diuitias ſignificat. hæc enim eorum
vox eſt. ממונא Porró audi illud, quo ceu robuſtiſsimo arie-
te deiiciuntur quicunque prætextus, quos humana calliditas
ad tuendas opes, & earum cumulandarum cupidinem cōſtru
xit. Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid man-
Matth. 6 ducetis, neque corpori veſtro quid induamini. quod axioma
poſteaq̃ varie', & fortiter confirmauit, ex pręſtantioribus iam
citra curam vllam noſtram, ſed Dei optimi parentis vna beni
gnitate acceptis ab exacta illa, atque indefectibili ipſius Dei
prouidentia erga ceteras creaturas, quibus nos incredibiliter
præſtamus; & ex eo etiam, q̄ fruſtra ſine Deo noſtri huc co-
natus adhiberentur, egregiè complectens, repetit denuo: No
lite ergo (inquit) ſoliciti eſſe dicentes: Quid mādùcabimus?
aut quid bibemus? aut quo operiemur? atque hoc factum
indigniſsimum eſſe chriſtiano, vt demonſtraret, plurimumq;
de Dei gloria, & beneuolentia erga nos detraheret: Hæc enim
omnia (ait) gentes inquirūt. Scit enim Pater veſter quia his
omnibus indigetis. Sed ô auguſtiſsimam, & vndecumq; per
fectam

fectam domini noſtri doctrinã. Oſtenſo luculentiſsimè quid cauere oporteat, breuiſsimè, atque apertiſsimè quid agere debeamus declarat. Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Satis abundeq; nos quidem docuiſſe hucuſque videri poteſt; ſed nõ ſatis habuit ſalutis noſtræ ſtudioſiſsimis Dominus: penitus infixam norat nocentiſsimam cupiditatem. Quo circa, euulſam illã omni ex parte cupiens, & omnibus fibris, ac radicibus præciſam, iam tertium dicit. Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum: Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua.

NON EGERE COMMENTARIIS PRAEFATAM *Domini Doctrinam, noſtram cæcitatem culpandam eſſe, quæ ad omnes eam pertinere non intelligit.* *Cap.* VIII.

SCILICET hæc inuoluta ſunt, & tanq̃ Sphinges, vel ex tripode Delphica reſpõſa ambigua illa, & confuſa ſenſu, quæ in aduerſas partes trahantur pro interpretum voluntate. Prolixis videlicet commentariis egent, & vt eorum ſententia vix percipiatur ſudandum eſt maximè. Nimirum hæc (vt ſecundum eos, qui modeſtiores haberi volunt, dicamus) non in præceptorum, ſed conſiliorum album referri oportet: quod in primo libro redarguimus. Sed hæc luce clariora ſunt, neq; intentiſsimis diſcuſsionibus egẽt. Noſtra eſt cœcitas, ſi in meridiana luce patimur tenebras, neq; omnibus ea intereſſe affirmamus. Cedò, quibus illa Seruator effatus eſt? His nempe, qui ſe ſequebantur, nõ apoſtolis ſolis, quod forte ex Matthæi euangelio ſuſpicari poſſes; ſed frequẽ
tiſsimæ multitudini, vt prudens lector ex Diuo Luca aduer- *Luc. 6*
tit: & nobis præterea vniuerſis, qui in ipſum credimus, & e-
ius euangelica amplexi ſumus. Nam quod vobis dico (in- *Marci. 13*
quit) apoſtolis nimirum; omnibus dico. Et alibi: Quod di *Matth. 10*
co vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aurem auditis, prædicate ſuper tecta. Denique conſcenſurus in cœlum electis illis, quibus cum mortalis familiariſsimè vixerat, Eun
tes (ait) in mundum vniuerſum, prædicate euangelium o- *Marci. 16*
mni creaturæ. Et; Euntes ergo docete omnes gentes: bap- *Matth. 28*

tizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti:
docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.
Itaque ad vniuerſos qui in ipſum Dominum IESVM cre
didimus per apoſtolicum ſermonem, hæc diuiniſsima prolo
quia pertinent, non ad ſolos Apoſtolos, vel qui apoſtolicũ ſta
tum ac profeſsionem profitentur, monachos videlicet, vt nũ-
nulli falſo putant. Et quidem falluntur indubie, qui ad le-
gem ac doctrinam euangelii ſeruandam, plus teneri exiſti-
mant, qui monaſticen profiteantur, quàm Chriſtianos alios,
maxime nullos ordinẹ in eccleſia ſacris initiatos. Etenim di-
ſtincti hi uiuendi modi atque ordines in chriſtiana noſtra re-
ligione, excogitati atque inſtituti fuere multo poſt CHRI-
STVM a ſpiritualibus ac diuinis viris, in hoc vt in eis ho-
mines, qui multò facilime à germano chriſtianiſmo deflecte
bant ob carnis fragilitatem, & infeſtas aduerſariorum inui-
ſibilium contra nos aſtutias, ad ipſam inregritatem chriſtia-
næ vitę, faciliore aditu peruenirent. Abrenunciamus enim
cuncti dum baptizamur, ſatanæ, mundo, ac omnibus pom
pis eius; credereque in CHRISTVM inconcuſſe profite-
mur. qua re, quid eſt, quod deſiderari poſsit ad iuſtam per-
fectionem? Sed quia ferè infantuli omnes cum ſumus, eo di
uiniſsimo ſacramento initiamur; idcirco quid eo per nos, aut
noſtros ſuſceptores noſtro nomine factum ſit, non recordan-
tes, ſimul ac ad rationis vſum venimus; noſtro vitio, ac praua
voluntate ad ea rurſum, vnde per baptiſma defeceramus, trã
sfugientes, contra quæ ſacroſanctè ſeruare nos obſtinximus
agimus, facimus. Quem quidem errorem quis non omni-
no extra ſenſum chriſtianarum rerum, ſine mœrore, ac luctu
conſiderare iam poſsit? Sed nolim in preſentia in hanc dolo-
ris pleniſsimam tractationem deflectere, ad propoſitum refe
ramus nos. Sic igitur cum omnes, qui CHRISTI fidem
profitentur, obſtricti ſint; quicunque per Dei gratiam rem
ita ſe habere animaduertunt, eadem opitulante ad eum vitę
modum conferunt ſeſe, quo pericula violandi ſanctiſsima
promiſſa maximè declinantur. Eę enim ſunt monaſticæ vi-
tę rationes, vt optimè euangelio conſentiant, & baptiſmatis
ſacramento; eo quod infinita inſtrumenta præcidant; qui-
bus cæteri, niſi prudentiſsimè aduigilent, ad preuaricandum
quod per ſanctè Deo promiſere; feruntur. In ſumma non eſt
cur alium eſſe monachum arbitremur, quàm qui ſumma vi,

& quan-

& quanto maximo ſtudio ad obſeruandum, quæ in baptiſmate profeſsi ſumus, totus incumbit. Quod cum alibi copioſe ſatis demonſtrauerimus, hic plura dicendi non eſt animus. Ad cunctos igitur cum pertineant quæ docuit & prædicauit dominus IESVS, quicquid profiteare, quacunque conditione, ordine, dignitate; modo ſacrata baptiſmi aqua ſis tinctus; ſi ad regnum Dei pertingere ſperas, obſeruare illa neceſſum eſt: prȩterire autem, negligere, ac præuaricari tibi eſt nefas omnino.

RVRSVM ADVERSVM DIVITIAS AC DI-*uites*. *Cap*. IX.

CVR verò eſt (vt ad opes redeamus) quòd non haſce ob humanum vitium, pernicioſiſsimas eſſe ducis? cum præter quæ dicta ſunt, non raro audita fuerit à nobis parabola ſeminis quod decidit inter ſpinas? interpretatur ipſe *Matth.* 13 idem doctor omnium optimus ſpinas eſſe diuitias atque ſolicitudines, quȩ multæ valde & moleſtæ illis nunquam non inhȩrent. Quem ad modum enim ſpinæ ſata etiam fælicia ſtrangulant, & perimunt; ita verbum Dei, fides illa viuax, & optimarum quarumcunque actionum feraciſsima: agnitioque & diuinarum rerum clara intelligētia ab hac opum ſolicitudine obſcurantur, & ſuffocantur. Hiſce moleſtis (inquiunt) curis, ac ſolicitudinibus caremus. Audent adhuc (ſi Deo placet) mittere has voces, quaſi vero nulla fuerint quæ tam multa in prȩcedentibus apertiſsimè oſtenſa ſunt indicia auaririæ, quā vt in luce nunquam ſine vmbra corpus, ita certe ſine irrequietis curarum procellis extare neutiquam fuerit inuenire. Hoc planè eſt in aqua ſiccum perſiſtere, & camino intenſo proximum, algere. Facilius à cute colorem detraxeris, quā vt hoc deplorato ſæculo diues, ob diuitias, ſexcentis flagitiis nō irretiatur. Et verè deplorata atque infelicia tempora noſtra, & ô potius nos miſeros atque lugendos, inter quos hæc anxiè diſſerere conuenit. Sed adducatur vehemens illud atque terrificum perquam, nec minus verum, in noſtram peruicaciam eiaculatum. Quam difficile (inquit Dominus) qui pecunias habent, in regnum Dei *Marci.* 10 intrabunt. Demirantibus autem, ac ſtupidis factis horum

gratia

gratia diſcipulis: Filioli (addit) quàm difficile eſt confidentes in pecuniis in regnum Dei introire? Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Obmurmuret, torqueatque ſe quantum volet opulentus: cœlum, & terra tranſibunt, CHRISTI autem Domini verba non tranſibunt. Obſecro te lector à capite ad calcem vſque, tota mihi euangelia, & reliquam Apoſtolorum ſcripturam perlege. quid inuenias, quod diuitibus ſuffragetur? immo vero præter vnum Ioſephum ac Nicodemum, legis culpatos illos ac condemnatos vehementer. Diſpice in Luca quid de neſcio quo diuite referatur, qui cum exuberantiſsimos ex agris fructus recepiſſet, vſque adeò, vt ignoraret quo pacto præ copia reconderet; excogitauiſſet autem capaciora horrea, atque penuaria conſtituere, ſibi interim hiſce verbis ablandiens: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos; requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte repetunt animam tuã à te, quæ autẽ paraſti cuius erunt? Quibus dictis colligit Saluator *dicens*: Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues. Singula verba commentatione multa eſſent digniſsima, non quòd luce illa egeant, aut non maximè quod volumus confirment ſed vt caliginem tam altè obductam mentibus chriſtianorũ efficacius abſtergerent. Interim nos, vt intente conſiderentur quæ intacta præterimus, admonentes, ad alterum illum diuitem commemorandum pergimus: illum inquam, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Quem finem quæſo eſt conſequutus? Periit ipſe, & in tartara præcipitatus, perpetuò excarnificandus, dum pompa ingenti ad ſepulchrum deferretur cadauer, inter tormenta immania cruciatuſque flammarum inauditos, ne ſtillam quidẽ aquæ, qui cum incendium linguæ intolerabile, vel pauxillò mitigaret, impetrare omnino non potuit. Audiuit de Patriarcha quem interpellarat: Recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus (quem ſibi ad refrigerium mitti efflagitabat) ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint, neque iſthinc huc tranſmeare.

Lucę. 12

Lucę. 16

NON

NON FALSO, AVT IOCO; SED SVMMO SERIO *loquutus eſt Dominus contra diuites, etiam teſtimonio vitæ ſuæ.* Cap. X

HAECCINE putas Dominus IESVS io-
co adducebat? vel vt facetus haberetur? ſiue
vt ſophiſta quiſpiam fabulabatur ad hunc
modum? Apage tantam abſurditatem. Non
ludebat ſumma ſapientia, ſed grauiſsimé, &
maximo ſerio, in noſtram ſalutem huiuſce-
modi diſſerebat. Næ imperitus ille ignorabat rationes, qui
bus, & nos, & adamatas diuitias defendere nitimur. Sed mi
nimé iſthuc quidem. Quin exactiſsimè, & plus quám om-
nes mortales citra collationem, compertiſsima habet omni-
um auarorum commenta, & propugnacula; ſed perdit ille
aſtutias, callidates eorum. Nouit perniciem hinc incredibi-
lem, nouit hunc appetitum innummeris modis iugulare ani
mam, & á Deo auctore abalienatam, incredibiliter reddere in
uiſam. Quare noſtræ ſalutis amantiſsimus, omni via ab ea
malorum lerna reuocare nos contendebat, atque inter cętera
omnia efficaciſsimum illud nobis dereliquit, exemplum vi
delicet totius vitæ ſuæ. Namque ab ipſis cunabulis, quid ro- *Lucę.*2.
go, illo pauperius? Totam mihi eius vitam expende: qui fa
bri filius eſſe (vt putabatur) voluit: qui cum humilibus ex *Matth.* 13
tremæque conditionis viris, continuam duxit conſuetudinē *Marci.*6.
qui fieri rex fugit: qui de ſe vere pronunciauit, non habere *Ioann.* 6
vbi caput reclinaret: quamquam id dictum etiam contineat
ſacramentum: Denique in cruce nudus ludibrio omnium ex
poſitus, ſpiritum illum omnium beatiſsimum inter manus
Patris commendans, obiuit pauperrimus. Aut ille igitur ſtul *Lucæ.*22.
tus, aut nos prorſum inſignitur deſipimus. At palā eſt, á qua
parte veritas extat. Nos (inquit Paulus) predicamus CHRI 1. *Corint.*1
STVM crucifixum, Iudæis quidem ſcādalum gentibus aūt
ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis CHRI
STVM Dei virtutem, & Dei ſapientiā. Si itaque ex vocatis
nos eſſe volumus, ac ſumus; ſapientiſsimè dicta eſſe, quæ
CHRITVS Dei ſapientia pronunciauit, certa perſuaſione
retinemus. Sin eius dictis offendimur, in Iudęorum: ſin ve-
ro inſulſa, ac ſtulta ea dicimus, in Gentilium impiam, & fal-
ſam fidem referri conuincimur.

DILVITVR OBIECTIO, QVOD NON IN OMNI *bus imitandus ſit ſeruator. Imitandum eum maxime in contemptu mundi cuius voces utinam omnes exaudiant.* Cap. XI.

AT audio reſponſantem, complura eſſe, quę Sal
uator noſter, & ſi noſtri gratia præſtitit, mi/
nus tamen ea factis nos ſequi oportere. Aſſen
tior perquam libenter: neque adeò ſtupidus,
& amẽs quis fuerit, vt imitari omnia *CHRI/
STI* acta chriſtianos, opus eſſe affirmet. Ne/
mo enim (vt ille) pro noſtro genere inſtaurando, in crucem
agi procurare debet, neque attentandum fuerit, vt tabo fati/
ſcientia iam cadauera, reuocata anima ad vitam reſtituantur.
Mitto cętera multa, quæ propria aſſertoris noſtri vt imitetur
chriſtianus vllus, in cupiditatem venire non debet. Sed in
moribus, & ſanctiſſimarum virtutum actibus, inter quos inſi/
gnis eſt diuitiarum contemptus, chriſtianis nobis *omnino* eſt
1.*Ioan*.2 inſequendus. Qui dicit ſe in CHRISTO manere, debet
ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare. Sed adhuc illam ſen-
Lucæ.14: tentiam referre non prætermittam, quæ os omne obſtruere,
concluderéque tandem poſsit. Niſi quis renunciauerit omni
bus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ad ani/
mum pertinere hoc dices, ſat ſcio. Et hoc neq; nos in primis
inficiamur. Sed indicia euidentiſsima, quæ multa in pręce/
dentibus commemorata fuere; cum ex diametro contra hãc
mentis renunciationem argumenta inducant: cur eſt quòd
nos tantum in diuitias inhiantes & incubantes reos non vn/
decunque agnoſcimus? ſed mihi vox eſſet reſonantiſsimæ
tubæ inſtar, adeóque fulminis atque tonitrui; quam non
modo ciues mei omnes, cunctique regionum noſtrarum ho/
mines, ſed etiam longe latéque vniuerſi, qui fidem CHRI/
STI profitetur, exaudirent. Imo uerò ad verba Domini
ſeriò penituſque intelligenda, & agnoſcenda aures audiendi,
quas non raro idem requirebat, afferrẽt præter cæteros, quot
quot aurum, ac lucra ſequuntur; qui rem rei addere inceſſa
biliter pergunt: qui ne hinc prohibeantur, tam multa præte
xunt: qui fortiter aiunt gradum ſuum retinere, conſeruare,
& augere etiam honeſtum eſſe, familias pro dignitate paran
das eſſe; proſpiciendum liberis; bonas dotes filiabus inſtituẽ
das

das; non ad vnam formam omnes redigendos: egregium eſ
ſe ſplendidas menſas inſtruere: induere ſumptuoſis veſtimẽ
tis, magnifica palacia erigere. huiuſmodi infinitas alias vanita
tes prætermitto, quas iſti adducunt. Audirent ergo hi, & au-
res haberent audiendi euangelicam Domini noſtri *IESV*
CHRISTI doctrinam, quæ certe aliam longè valde politiã
docet, quàm quæ noſtro tempore in vſu eſſe perſpicitur. In
hac enim tãta abuſione, ac perturbatione honeſtę atque Chri
ſtianæ vitę, neſcio equidem qua ratione alia, aut magiſterio,
ſique diſciplina vlla præterea, in rectam redire iam poſsit, prę
ter quàm ſi ſumma intentione, ac ſtudio ipſi doctrinæ Serua
toris ex toto animo combibendæ dederimus nos; ſtatueri-
musque ſecundum eam, tanquam ab integro, vitam noſtrã
informare. Licet enim prudentiſsimus quis exiſtat, licet rerũ
omnium peritiſsimus, ſummo ſtudio, cura atque ſolertia con
tenderet, nunquam (mea quidem ſententia,) auarum ho-
minem, vt appetitum illum deponat, plenè perſuaſerit. Nun
quam inquam cuiuſque tanta auctoritas, eruditio, ſanctitas
imaginari poſsit, quæ cupiditati nocentiſsimæ, vt in ipſius
ſententia conquieſcat, legem præſcribat. Cauillabitur etenim
ſemper, excuſationes contra afferet pecunioſus, vt caſſus abeat
labor ſudorque moderatoris. AB Euangelio igitur, vt om-
nium maximè deploratiſsimæ ægritudini iſti medicinam pe
tendam eſſe: vt vt alii aliter ſentiant ego quidem ſentio. &
quo pacto id fieri poſsit, candidè & quanta maxima breuita-
te exponam. Conquieſcendum enim mihi eſſe iam video, &
finem huic tractationi imponendum.

ALIQVOT SVCCINCTAE PRAECEPTIONES AD *profligandum efficaciter auaritiæ morbum.* Cap. XII.

PRINCIPIO conſulerim ego quidem, vt
qua pietate homo poteſt, ac modeſtia, im-
plorata Dei ope, reputet ſeriò religionem, ac
fidem, quam ipſius Dei munere conſequu-
tus eſt, non in vitam præſentem dirigi, ſed
in futuram: non eius eſſe in ſenſibilibus bo-
nis inhæreſcere, ſed ad inuiſibilia illa, quæ
nos diuinæ, literæ atque orthodoxæ eccleſiæ doctrina abun-

dè doceant toto animi ſtudio, & honeſtis actionibus extrin‑ſecus pro ſua facultate contendere: obliteratam autem quam intelligit leg s noſtræ non modo obſeruationem, ſed etiam notitiam veram certamque capeſcere decernat, ac renouare in ſe conſtituat. Quia verò hoc in euangeliis, & apoſtolorum aliis literis præſertim, luculentiſsimè continetur: ſi literatus ſit, pietate qua diximus, & modeſtia, nec non animo certo componendi ſe ſecundum illam; ad earum literarum ſtudiũ ſe conferat: & cum omnia, tum ea quæ pręſenti rei conueni‑ant, perlegat non oſcitanter: ſcrutetur, ruminet, digerat, expendat. atque dum hoc facit, ſubinde votis efflagitet Deum, vt huiuſce rei ſpeciatim gratia, lucem veritatis perci‑piat, diſpulſa omnium affectionum mundanarum caligine. Sin vero fuerit illiteratus, non quos vis magiſtros adire, tu‑tum ſciat; ſed in catholica Eccleſia eos, quorum vita probi‑tate, eruditio autem non ſecundum mundanam noſtri tem‑poris conſuetudinem, ſed ad formam pręſertim antiquorũ, teſtata eſſe intelligitur. Quoniam verò inter huiuſmodi di‑ſtinguere arduum nimis, maioremque in modum nullis li‑teris excultis, Deum (quod ſemper, & omni in re commodiſ‑ſimum eſt atque honeſtiſsimum) hic ſemper ex animo ambi‑re opus erit, precarique ab eo se dirigi, & effici, vt in verum eccleſię incidat doctorem, in cuius diſciplina ac magiſterio ac‑quieſcat; Qua quidem pietate, atque animi conſtitutione quiſquis inſtructus fuerit, quantum ſanè iudicare poſſum, haud fiet vnquam, vt non ei manum præbeat Deus, & incre‑dibili munere ſuo, certam indubitatamque cognitionem lar‑giatur, vt quem ad modum inter diuitias ſe habere ſecundũ chriſtianiſmum oporteat, definitè, atque oportunè intelligat.

Optimum verò cum his remedium etiam illud erit, exem‑pla optimorum chriſtianorum mentis oculis intueri, qui om‑nes copias, atque diuitiarum omnis generis amplitudinem contempſere, & vt quiſquilias ac ſtercora habuere: contra verò à vulgi opinione ac perſuaſione, abducere ſe quam lon‑giſsimè: Denique vtiliſsimum fuerit reputare, mortem nun‑quam non impendere nobis: qua ex cogitatione, dum intẽ‑ta fuerit, ac ſeria, neque infidelium inſtar, ſed ſecundum chri‑ſtianam fidem; cum cæteri affectus noxii, tum hic habendi nocentiſsimus atque potentiſsimus, reſtingui perfacilè pote‑rit: opem ferente, adlaborantibus nobis continenter, eo:

qui

qui auctore Diuo Paulo, cum diues eſſe, pro nobis pauper factus eſt, vt eius exemplum dum hic ſumus, tum animo, tum re qua poſſumus imitantes, diuitias illas præſtãtiſsimas iucundiſsimas, atque perpetuas in futuram conſequeremur. Qui cum patre, & Spiritu ſancto, viuit, & regnat ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. AMEN. 2.Corint.8

AD PIVM LECTOREM.

CVM de hac noſtra de dominatu AVARITIAE commentatione (in qua etiam de cambiorum, quæ vocant, negocio, patrocinium haud mediocre ei morbo præſtantium, bona fide pro noſtra virili diſquirimus) typis excudenda meditaremur; commodũ in manus noſtras peruenit de iis cambiis ſententia gentilis noſtri Nicolai Cenaregæ. V. I. peritiſsimi, & in ſtudio ſanctarum ſcripturarum diligenter verſati: quam aliquot ab hinc annis dum in viuis ageret, inter complures alios iuris doctores, ac theologos rogatus ab Reuerẽdiſsimo Egidio Falceta Epiſcopo Caprulenſe; qui tum pro Reuerendiſsimo Archiepiſcopo Genuenſi. Hieronymo Saulio in metropolitana eccleſia Genuæ Cathedram tenebat; cum retuliſſet; eidem Præſuli (vt in ipſius fronte cernere eſt) ſcripto deſtinauit. Hanc ergo cum legiſſem, & noſtræ de eadem re probé conſentientem vidiſſem, operæprecium duxi hic eam coniungere: vt ſi quis nõ ita noſtris rationibus fortaſſe, veluti leuioris auctoris moueri, ac perſuaderi acquieſceret; vel huiuſce viri doctiſsimi auctoritate, atque pondere moueatur: perſuadeaturque cũ cæteris auaritiæ inſtrumentis, tum cambiis iſtis longe nuncium remittere. Caue ſis lector, vt ita cupiditate rei, & diuitiarum amore diſtineare, quo cæleſtibus bonis, atque amore *CHRISTI*, & Dei extorris fias. Fieri enim haud poſſe certum pronunciauit ipſe Dominus, vt quis Deo ſeruiat, & mãmonæ; & facilius eſſe camelum ingredi per foramen acus; quàm vt diues ingrediatur regnum Cælorum. *Matth.6* *Lucæ.18.*

REVERENDISSIME PRAESVL.

DIV anceps ſui, an in medium proferrem, nec ne: quid circa propoſitam tanti ponderis quæſtionem ſentiam; in qua tot ſummorum virorum opiniones variæ, & contrariæ validiſsimis hinc, inde rationibus muniuntur. Sed nũc ommiſsis præludiis, ac pręfationibus ad tractatum cambiorum facientibus; volui temeritatis potius, & audaciæ notam ſubire, quàm iuſsis tuæ dignitatis non obtẽperare; quamuis diurnis, & maximis negociis tenear occupatus. Rem igitur propius capeſcens in eorum me ſententiam incedere pronuncio, veluti veriorem, & tutiorem, comprobantium ſcilicet, cambia, quæ in noſtra ciuitate fiunt, eſſe illicita. Si enim contractus ipſius, & veritatem, & propriam eſſentiam: non paliationes, quibus ſibi mentitur iniquitas, inſpiciamus; huiuſcemodi cambia; quãuis contrahantur ſub nomine emptionis ſoluendo ſolidos ſexaginta tres, *vel quatuor*; vt Lugduni, vel Bezenſoni recipiant ſcutum vnum marchæ, æſtimationis ibidem ſolidorum ſexaginta ſeptem, & denariorum quatuor: tamen cum emant per anticipatam precii exburſationem, rem minori precio, alio tempore conſignandam; quam veré ſit valitura tempore conſignationis: cadunt in contractum mutui; qui propterea illicitus cẽſetur. Sic dicit Glos. communiter approbata in. c. Nauiganti. vers. Ille quoque. in ver. dubitatur, extra De vſur. & ibi ſequuntur Io. And. D. Ant. Car. Io. Calde: D. Abb. & cõmuniter Doct. *I*bi pulchre dicit Henr. Boic. in ſua Diſtinc. quã ponit ſuper illo verſ. Ille quoque; vbi allegat Aſten. in Sum: de vſu. in 4. Arti: quod poſt Alex: de Alex. dicit; quód emens turonẽſes recipiendos in Francia in nundinis, faciat contractum illicitum: quum ille, qui dat minus, probabiliter eſt plus recepturus, (prout eſt in caſu iſto) & ſine dubio tale lucrũ, quod quis recipit, eſt ob dilationem temporis quod manifeſtè apparet; quia maius precium datur qñ feriæ ſunt breuiores, vt in feriis apparitionis: vel vbi cãbiũ ſit propè tẽpus feriæ in expeditione literarũ, quia vt plurimum quanto magis ſumus propinqui, tanto maiori precio fiunt cambia, & cum minori lucro. qua de re dictum lucrum ratione temporis eſt illicitum; & implicat in ſe tacitum mutuum, vel diſponitur in. c. con-

ſuluit

ſuluit. De vsur: cum ſummus Pontifex reſpondendo tertio quæſito ſibi facto de eo, qui merces ſuas maiori precio diſtrahit ob prolixitatem temporis ad ſoluendum conceſſam. reſpondit talem contractum illicitum. quia cadit ſub pręcepto euangelico: Mutuum date; nihil inde sperate: & ſic innuit in illo contractu tacite incidere mutuum, prout ibi communiter concludunt Doct. Ita dicendum in caſu noſtro quod licet quis ſub ficto nomine precii det pecunias in preſenti ciuitate plus recepturus; & ſi veritatem velimus intueri, mercatores inuenerunt huiuſmodi contractum ad euitandum nomen vſuræ, non ad euitandam vſuram. cum ad nihil aliud tendant, niſi vt ex ſuis pecuniis quolibet anno recipiant octo vel decem pro centenario; non habentes animum ad aliquã veram permutationem pecuniarum, vel aliquam veram emptionem ſcutorũ de marchis: ſed vt ſub ficto nomine emptionis pro qualibet feria lucrẽtur duo vel tria pro centenario ad damnum illius, cui in ciuitate dant pecunias. & in hoc caſu, vt dicit Conra:in tractatu contractuum, in queſt.99 in c. Col:quando campſor non habet oculum ad alietatem numiſmatis ſibi redendi; licet alietas ſit in pactum deducta pro forma, tamen eſt proprie mutuator: & ad nihil aliud ſeruit ipſi recipienti; quo caſu contractus eſt illicitus. & hoc generaliter procedit in ciuitate noſtra, quia illi, qui dant pecunias cãbio in ciuitate, nullum alium finem habent, niſi quod pro 63. vel 4. recipiant 67. ſolidos, & licet quandoque eueniat, ꝙ nõ plus recipiant; tamen per hoc contractus non eſt licitus, quia ea, quæ raro accidunt, non ſunt in conſideratione, vt dicunt Hoſt. Io. Cald: & D. Abb. & communiter Doct. in. d. c. Fin. Nec obſtat, quod dicitur, quod illud ſupra plus venit ratione loci, in quo plus valet ſcutus de marchis in Lugduno, quám in ciuitate. quia reuera non reperitur ſcutus marchę; nec ex tali moneta in rerum natura, ſed reperitur eſtimata in ſolidis quadraginta quatuor turonenſes qui tam in Lugduno, quã hic ratiocinantur in ſolidis ſexaginta ſeptem, & denariis quatuor. Nec etiam obſtat, quod dicitur, quod propter prohibitiones, quę ſunt in Lugduno, extrahendi pecunias: ipſi mercatores recipiũt periculum:& ſic ratione periculi poſſunt obligari: quia hoc eſt contra determinationem Eccleſiæ, de qua in. d. c. Fi. in pri. ver. ſeſto de vſur. Et vlterius dicitur, quod in facto hoc non eſt verum: & ſunt excuſationes ad excuſan-

da peccata. quia ille, qui dat pecunias, quas recipit in Lugdu no pro precio ſcutorum marchæ; cum eodemmet lucro vel Genuã, vel ad alia loca ſibi remittere facit abſque aliqua pro hibitione. Hanc eandem opinionem, quod ſint illicita, tenet & ſequitur Ambr: de Vign. numero 268. & numero 287. & idem Hoſt. poſt Gofr. in ſum. de vſur. & quam etiam ſequi tur Clauaſ. in ſum. in tract. de vſu. in ſecunda par. primo. ubi tractat de cambiis. Item Car. Moli. ſequitur in tract: de vſur. numero 504 cum ſequenti. Plus etiam dico, quod etiam ſi attendamus opinionem illorum, qui dicunt cambia eſſe licita cum qualitatibus per eos adductis: cambia, quæ fiunt in hac ciuitate, non habent aliquam ex qualitatibus addu/ctis per illos ad iuſtificandum cambia. ſed potius peccant, & habent qualitates per quas ipſi dicunt cambia eſſe lici/ta. Ex quibus omnibus ducor in illam ſententiam quod cambia, quæ iſtis temporibus fiunt in ciuitate noſtra pro Lugduno, & Bezen/ſono, ſunt illicita: ſalua ſemper de terminatione orthodoxæ Eccleſiæ, & alterius cuiuslibet re ctius ſen tiẽtis.

Magn. D. Nicolaus Cenarega.
D. Vtr. I.



BRIXIÆ

Ex officina Damiani Turlini, anno Domini.
MDLXVII.

CVM LICENTIA

0056761/83
005676484

S. Hildegardis Ab
batiſſa